et flagellatiõi et mortifica
tum et resurrectionē
gētis. Oratio. Dñe
ge dñe. ihū. Ne obsta
cō nos tuus dñe ab omnib;
purgēt offensis. quos un
xisti tuum tuam tuus
mundi tulit offensa. ihs
xp̄us filius dñs noster.
Qui te. Sphaō. Qui saluē
[illegible]

qui saluus. Epla. Quam
te. Sñ. Benedicta. et Ala
Post ptum. seq̄n. Gaude
gentrix. Ave. Quae pater
et mater. usq; ut reuelen
ceml'. Credo. Offe. Felix n
cōtinuo. Ita ut cae. Cō. I
Ypuerx. Cōplin. Per nos
ita. nulla est. Infra pūbica
nem et Lege. Infirmus
te cō. Coll

Hoc volumine continentur

1, Strebaei de electione et oratoria collocatione verborum. Item Rapicii de numero oratorio libri

2, Mureti Epistolae et Poemata.

Augs

27 - 4082

IAC. LVDOICI

STREBAEI,

REMENSIS, DE ELECTIONE ET ORATORIA collocatione verborum, Libri duo.

Item,

IOVITAE

RAPICII, BRIXIANI,

DE NVMERO ORATORIO, LIBRI QVINQVE.

Non ſolum ſtudioſis omnibus Latinæ linguæ perneceſſarij: ſed etiam doctiſſimis viris vtiliſſimi.

J. P. Krebs. 98.

COLONIAE,
In Officina Birckmannica.

cIↃ. IↃ. LXXXII.



14087

1018 a 1958

IACOBI LODOICI STREBAEI, RHEMENSIS, DE ELECTIONE ET ORATORIA COLlocatione verborum, libri duo, ad Ioannem Venatorem Cardinalem

PRAEFATIO.

ERant in manibus nostris, sanctissime Cardinalis, Commentaria quædam in Rhetorica Ciceronis ad Q. Fratrem, quum tuo imperio Lutetiam Parisiorum relinquere, Condetum domũ tuam petere iussi sumus. Quũ procul ab vrbe propinquos tuos Oratorias artes Philosophiamque doceremus, nec satis multa librorum copia ad operis incœpti confectionem suppeteret, commentarijs intermissis, ne nihil ageremus interea, hunc libellum de delectu & oratoria collocatione verborum, successiuis horis effecimus. Hanc autem materiam potissimum legimus è multis, quòd in arte dicendi iam proposita nobis ad illustrandum, nihil esse videbamus vtilius hominibus nostris, quam rationes & virtutes eloquendi. Illud vnum pulcherrimum, & summoperè petendùm, studiosis ar-

tium bonarum deesse maximè, & iam multis ætatibus defuisse. Quid enim aliud non in orandi facultate modò, sed etiam in alijs artibus desideratur? Floret Gallia scientia rerum maximarum. Qui poetarum versus dilucidè exponant, qui pulchrè narrent historias, qui differant acutè, qui ad naturæ causas penetrent subtiliter, qui tutò medeantur corporibus, qui mathematicas demonstrationes sciant, qui benè tradant præcepta morum, qui respondeant de iure ciuili atq; pontificio, & causas agant, qui diuina oracula doctè, sanctè, pieque interpretentur, non modò singulis Franciæ populis, sed etiam magnis in ciuitatibus propè innumerabiles inuenias. Qui verò purè, vsitatè, propriè, ornatè eloquantur, admodum paucos. Sic in omnes disciplinas inuasit fœda ac spurca barbaries, sic egit in præceps linguæ Romanæ puritatem & ordinẽ, vt vix mẽllesimus quisque eorum, qui inter doctos haberi volunt, rectè, dilucidè, compositè dicat. Nam & ex ijs paucis, qui emendatè loquuntur, altera pars adeò affectat insolens & obscurum genus, adeò impropria & inusitata verba permiscet, vt quid agat verbis, quid sibi velit, nõ intelligant eruditi. Vitium grande quidem tam commune gentium bonum, sermonem tam latè patentem, linguam tot rerum naturæ,

ræ,tot scientiarum interpretem, miseris modis violauisse. Sed hoc malum temporis, nõ huius ætatis omnino fuit. Quamobrem neminem arguo,qui se tueatur illa consuetudine aut potius abusu loquendi. nec illos docere volo, quos vel senes, vel alijs rebus occupatos discere Latinè serum est. Nec istud quidem si facere velim, satis commodè possim. Sed vt renascẽtibus literis bonis,iuuentus etiam nobis monentibus assuescat optimo sermoni, cuiusmodi verba legat, qua ratione stylum formet, qua arte materiam vestiat oratione, quos ex omnibus imitetur, perspicuè(ni fallor)ac breuiter ostendi. Verborum differentias omneis,quas neq; Cicero,neque Quintilianus,neque posteriorum quisquã apertè distinxerat, in ordines suos digessi: quodque ad docendum plurimum confert,vsus sum frequẽtibus exemplis. De natura & coagmentatione syllabarum disputaui copiosè,& (verè dicã) multò copiosius, quàm eorum,qui vulgò leguntur,rhetorum quisquam.De numerosa concinnitate,de pedibus rhythmicis,de modis aptæ dictionis, de generibus eloquendi egi equidem,si non grauius aut verius (nec enim mihi quicquà arrogo) explicatius tamen & apertè magis: id quod facilè iudicabunt ij,qui nostra etiam legere ipsi, vel suis prælegere volent. Hoc

quicquid est elucubrationis, an amplissimo tuo nomini consecrarem, diu multumq; dubius apud me cogitaui. Dissuadebant rationes validæ multæ, & in illis tres maximè: dignitatis tuæ suspicienda maiestas, extrema tenuitas nostri libelli, deinde eæ quæ vix te respirare sinunt occupationes. Quid hoc erit, dicebam, ad virum primaria nobilitate conspicuum, perfugium diuitum & egenorum, amicissimum primoribus, intimum Christianissimo Regi, charum ciuibus atq; peregrinis, clarum præfectura Lexouiæ ciuitatis, plurium sodalitium præfectum, pontificem longæuum, summè verendum Cardinalem, hominem vigilantia, pietate, innocentia, liberalitate, virtute præstabilem, quid erit hoc ad virum tantum? At etiam parua recipit ille vir summa præditus humanitate. Quo pacto? cui non est otium non dico legendi, aut tenendi, aut saltem audiendi quid sit, sed ne recipiendi quidem. adeo magna multaq; laborioſum principem distrahunt huc illuc negocia. In singulos dies precibus & sacris operam dare, Regi non deesse, sexcentas audire postulationes, legere multas literas, scribere non paucas, regere rem familiarem, tam magnam sustinere domum, excipere viros honestos, tractare notos & ignotos, opem ferre amicis, res pauperum & inopum curare,

re, iter subinde facere, plus decem magistratus administrare, in singulis obire officia diuersa. hęc omnia paucane tibi negotia videntur, nisi rebus tuis premas aliunde nimis ac nimis oneratũ? Hæc mihi veniebant in mentem, amplissime Cardinalis, & aliquid tibi offerre cupientẽ remorabãtur. Sedenim hic liber domi tuæ natus erat. Cõdeti venerat in lucem, paulũ suscitatus amœnitate loci, quo tibi perpetua maceries præter castellum & irriguam fossam, nec procul duas ædes elegantes, ambit syluam molli colle circunjectam. In media velle prata peramœna, duobus pisculentis fluminibus intercœpta, ducentis & pluribus depasta ceruis: cui loco celebrata carminibus comparari non ægrè ferant. Illic igitur satus apud te, tuus quodammodo factus erat. Quòd si fortè ad alium, non ad te migrasset, iure videretur esse fugitiuus. Et cui potius studiorum fructum mitterem, quàm ei qui propter studia literarum me legit, in suos recepit, humanissimè tractauit, mercede sustinuit, spe fortunæ melioris erexit? Si tui omnes, apud quos ago, in vnum te conijciunt oculos ac mentes, & omnium rerum suarum faciunt te potentem, non & idem me facere oportet? At res oblata nihil est ad illã dignitatem. Certè. At eiusmodi munuscula ex officina Musarum peti-

ta, nunquam aſpernati ſunt honeſtiſsimi viri etiam illiterati, non eximij principes, non imperatores, non ſummi pontifices, non dij deæque immortales. An illud eſt paruum & tenue, quod à Deo profectum, homini conceſſum, perficit, ne omnia conſumat tempus adax? An vile precium literarum, quod vnũ memoriam veterum ſeruat, & omnes omnium res & artes continet? Verùm eſto paruum ſi quid eſt meum: non illud ego tuæ maieſtati comparo, ſed tuo deſtinatum patrocinio committo. Non id augebit tuas curas nimium multas. Nec enim ſum vſqueadeò rerum inſcius, vt quæ documenta iuuenibus in vnum coegi, petam vt cognoſcantur à te, vel legantur. Non id quidem peto: ſed illa tibi trado quaſi in clientelam, aut certè in adoptationem, vt ſplendore ſancti nominis illuſtrata, ſuis lectoribus ampliora videantur. Nihil eſt cur pœniteat vos Eccleſiæ Chriſtianæ principes huiuſmodi adoptaſſe filios, qui poſt hæc vos & ſcientiæ & virtutis amatores fuiſſe teſtentur. Sed iam tuis auſpicijs noſtram de electione & oratoria collocatione verborum ſententiam explicemus.

LIBRI

LIBRI PRIMI
CAPITA.

CVR pauci verba deligere & contexere sciant. caput 1. fol. 1.

Quanti sit oratio lectis verbis & ordine digestis constitutæ. cap. 2. 3.

Qui fugiendi magistri. cap. 3. 10.

Qui fugiendi scriptores elegantiarum. cap. 4. 17.

Qui magistri, quiq; scriptores deligendi. cap 5. 22.

Vtri priores legendi, poetæ, an oratores.. cap. 6. 28.

Sæpe diligenterq; scribendum. cap. 7. 31.

Rudimenta componendi. cap. 8. 34.

Quæ pars Rhetoricæ prima discenda, quæ partitio verborum, quæq; ex illis aut legenda, aut repudianda. cap. 9. 47.

De verbis sordidis. cap. 10. 52.

De verbis inusitatis. cap. 11. 54.

De verbis barbaris. cap. 12. 59.

De verbis agrestibus. cap. 13. 61.

De verbis humilibus. cap 14. 66.

De verbis sublimibus. cap. 15. 70.

De grauibus verbis, & leuibus. cap. 16. 77.

De propriis & assumptis, & quæ aliena dicuntur, ca. 17. 85.

De verbis veteribus, & nouis. cap. 18. 94.

De verbis sonantibus, & exilibus. cap. 19. 99.

De verbis grandibus, & paruis. cap. 20. 112.

De verbis volubilibus, & tardis. cap. 21. 115.

De verbis lenibus, & asperis. cap. 22. 119.

De verbis integris, & corruptis. cap. 23. 124.

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Præfatio libri secundi. fol. 127.
Oratio alia soluta, alia vincta. cap. 1. 134
De oratione vincta, & ordine verborum. cap. 2. 142.
De vocalium concursione in coagmentatione. cap. 3. 148.
De coagmentatione consonantium literarum. cap. 4. 159.
De coagmentatione vocalium & consonantium. cap. 5. 181.
Quæ figuræ coagmentationi subseruiant. cap. 6. 184.
De concinnitate numerosa, & similiter desinentibus. cap. 7. 187.
Vt sit oratio numerosa ex similiter cadentibus. cap. 8. 192.
De paribus membris, & eorum numero. cap 9. 196.
Quæ sint contraria numerosa. cap. 10. 198.
Quid numerus à concinnitate numerosa, & à metro differat. cap. 11. 203.
Qui pedes orationis, & quid à numero differant cap. 12. 207.
Qui sit ordo pedum in extruendo numero. cap. 13. 210.
Quæ vitiosa numeri textura. cap. 14. 228.
Quæ de numero quæri expediat. cap. 15. 233.
De ambitu. cap. 16. 239.
Tria genera eloquendi, qui characteres dicuntur. cap. 17. 248.
De humili stylo. cap. 18. 251.
De elocutione tenui. cap. 19. 258
De media figura. cap. 20. 267.
De summo genere eligendi. cap. 21. 279.
Quæ genera locis, temporibus, artibus, ingenijs, conditionibus mutata sint. cap. 22. 292.

CVR PAVCI VERBA DE-ligere & contexere sciant.

CAP. I.

QVVM multa iuuentus hoc tempore Rhetorum præceptis, & Oratoria institutione formetur, multiq; homines ingenio summo stylū dicendi magistrum & nunc in primis orandi partibus expetendum, diligenter exerceant: quærendum mihi videtur, cur paucis admodum sit electio verborum, rectaque componendi ratio. Tres præcipue causas reperio, cur tā paucis eares fauste feliciterq; succedat. Vnā statuo inscitiam & audaciam eorum, quorum docendi munus est: alteram, discentiū prauum in imitando studium: aliam, artis eius qua verba deliguntur & collocantur, ignorationem. Nam quum sine duce magistro nemo eloquendi vias rationesq; tenere possit, molientibus iter primus est error, quanuis arrogās, tamen incertus ignarusq; viarū magister, qui relictis vltro veterū oratorum vestigijs, regionūignaros per anfractus & ambages atque salebras orationis reuocāte natura trahit, recta declinat, prauatemere persequitur. Si quibus autē reperitur dux optimus, quales etsi paucos, tamē & fuisse & esse certū est, ex cōpluribus tamen vix vnus aut alter recta peruenit ad summā. Ductorē sequi piget, sua quisque trahitur voluptate. Digrediuntur alij ad amœnitates orationis eius quam floridā & suauē esse falso opinantur. Apuleios,

leios, & Baptistas Pios, quam Cæsares atq; Cicerones assectari & colere malunt. Alij nullo certo fine, nullaq; meta proposita, quo pedes ducit, etiam per inuia ac deserta rapiuntur: & sine modo possim aberrare, hinc & illinc voculas & inusitatas loquendi formulas excipere satius esse ducunt, quam affluentem omniū rerum verborumq; copiā de medio sumere. Alij poetarū more, quibus grandius aliquid & sonātius arridet, nituntur velut in præruptas rupes, & in arduos montes: & quasi sublimes facti, tragicū nescio quid & cōfragiosum personāt. Hæc & similia vitia non semper eorum sunt qui docent, sed eorum quoq; qui veræ disciplinæ impatientes, effrænata libidine feruntur. Non desunt aūt, nec defuerunt vnquam magistri & discipuli probi, qui ad optima contenderent: sed nemo adhuc satis familiaris fuit, qui compendiū quærentibus, digitum ad fontes intenderet. Quanquam enim Cicero multa, Quintilianus haud pauca de collocatione verborū scripta reliquerunt, eo tamen vterq; prouectus est, quo non facile debiliores, si nemo porrigat manum, peruenire possint. Est enim (vt ait Cicero) locus late patens de natura vsuq; verborum. De quo neuter ample & copiose disputat. Res est obscura compositio, si nō illustratur exemplis. Alter autem idonea apud Latinos nō reperit, alter Ciceroniana sæpe fugit vt molesta. Si quid in hac re possumus (minimū autē vel nihil est quod possumus) at si quid possumus, studiosis orationum consultum volumus. Illos amatores sui tam superbe glorioſos,

quan-

quandoquidem id maxime volunt, labi, errare, falli, sinamus. Non audiens hos monitus, nec ista præcepta suspicient, qui Apuleium per florida secuti, deseruere Ciceronem. Legant putidos flores. Habeant congestã insolentium verborum suppellectilem. Notatos teneant communes locos. Circunferant enchiridia quædam, vnde magnam vim locutionum promant. Nos veterũ prudentia, consilio, authoritate nitamur, qui censent eos stultos & insanos fuisse, qui literis mandarunt cogitationes suas, nullam facultatem orationis habuerunt.

Quanti sit oratio lectis verbis & ordine digestis constituta.

Cap. II.

De grauitate sententiarum, de figuris & schematis ingenti voluminum magnitudine comprehensis, in præsentia non ago. Nunc hoc propono, quod est huius instituti, bonitate verborum, & eorũ digesta compositione nihil esse in oratione laudabilius, nihil in quo magis neruos omnes intendere debeamus. Ab hac virtute, eloquentia, non ab inuentione aut a rerũ dispositione nomen accepit. Eloquentia ab elocutione dicta est, & ab eadẽ orator, & oratio: quæ non aliud est, quam oratoris elocutio. Nec is cui dicendi facultas inesset, aut inuentor, aut dispositor, sed eloquens appellatus est, propterea quod inuentio & dispositio multorum communis, non tam artis esse, quam

se, quam prudentiæ cuiusdam videtur. Elocutio oratoris est propria, & arte obseruationeque fere tota constat: res adeo rara, adeoque difficilis, vt M. Antonius in libello quodam scripserit, disertos se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Optimum dicendi genus aut nullis adhuc, aut perpaucis contigisse argumento est, quod in arte collocandi Brutus & Caluus ausi sint reprehendere Ciceronẽ, cuius dictionem nemini mortalium imitabilem hodie complures existimãt. Sed illud perfectũ summumq; si supra nos est, nihil quidem ad nos. Quod possumus, id assequamur, & elocutionẽ quanuis tenuẽ & minutã, modo probam rectamq; præclarum quiddam esse profiteamur. Compositionẽ (Quintiliani verbis vtar) eruditissimo cuique persuasum est valere quamplurimũ, non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorũ: Primum, quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure velut quodam vestibulo statim offendit. Deinde quod natura ducimur ad modos. Neque enim aliter eueniret, vt illi quoque organorum soni, quanquam verba non exprimunt, in alios tamẽ atque alios motus ducerent auditorem. Quod si numeris & modis inest quædam tacita vis, in oratione est vehementissima. Quantumq; interest, sensus idẽ quibus verbis efferatur, tantũ verba eadem qua compositione vel in exitu iungantur, vel in fine claudantur. Hactenus Fabius. Cicero in Bruto: Nec res vlla plus apud animos hominũ, quam ordo & ornatus orationis valet. Idem in Oratore: Quanuis suaues

gra-

graues q3 sententiæ, tamen si inconditis verbis efferentur, offendent aures, quarum est iudiciũ superbissimum. Mutila, hiulca, redundantia, confragoso, quæ interstant, quæ male connectũtur, quæ claudicant, quæ dissentanea sunt, auriũ sensum molestè feriunt, animum offendunt, vim orationis interturbant, nec quenquam diu retinere possunt, nisi forte Midas illos, & asinos ad lyram, qui se quærere sententias, verba modulata repudiare gloriantur. Ingenia liberaliter instituta, quæ naturæ bona non corrupta, sed aucta voluerunt, specie orationis & decore capiuntur, modulandi iucunditate recreantur, & illã qua sermones hominũ, qua libri cõmendãtur, qua suauis est eloquentia, non aspernãtur voluptatẽ. In compositione verborũ, vt in muro lapidũ, decor est, & pulchritudo, qua non aliter oblectantur aures, atque figuris optimis oculi. Placet elegantia verborum bene digestorum. sicut partium corporis inter se competentium. Quumque perinde atque flumen alueo prono, composite fluit oratio, demulcet audientẽ, & sine vllo tædio quasi iucundo nauigio per sententiarum fluuium perducit ad finem. Aptaueris pedes eius, apte decenterq3 sicuti bellator equus in curriculo feretur. Cõposueris numeros, vt certator in palestra, sic pulchre fortiterq3 pugnabit. Modulatus fueris ambitus & conclusiones, symphoniacorum modos omni suauitate superabit. Quis (inquit Cicero) cantus, moderatæ orationis pronũtiatione dulcior inueniri potest? Quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius?

aptius? Quis actor in imitanda, quam orator in suscipienda veritate iucundior? Quod si quis adeo seuerus & immanis est, vt nulla voluptate capiatur, poteritne contemnere dicendi perspicuitatem? Nihili facies vires & impetus orationis? Oratio quanto compositior, tanto perspicua magis atque dilucida. Nam quemadmodum sensum confundit indigesta verborũ perturbatio, quod hyberbaton vocatur, ita claritatẽ fert ordine composita collocatio. Cur Cicero tam facilis intellectu videtur, etiam quando sublimis est? Scit nimirum quo quodq; loco verbum statuendum sit. Cuique suum assignat ordinem. Cur pleraque indoctissimorum sententiæ non capiuntur animo? Omnis eorum dictio contorta est. Si igitur summa virtus orationis est claritas, & ea vehementer collocatione splendescit, ad summas orandi virtutes accedat proxime collocatio, necesse est. Eadem vires addit orationi. Vt enim amentis hasta, & neruis sagitta, sic compositione sententia cõcitatur. Quod autem sunt varia dicendi genera, nunc celeritate dicendi rapiuntur animi, nunc tarditati torpescunt, nunc grauitate componuntur, nunc leuitate vanescunt, aut læti sunt, aut tristes, aut quieti, pro orationis habitu, formaq; dicendi. Itaq; damnandi sunt, qui horridũ & incultũ sermonem, quam cultũ nitidumq; magis virilẽ esse contendũt. Ex quibus alij de industria colũt id quod nõ pessime (si volunt) facere possunt: alij neq; possunt, neq; volunt. Non posse se negant, nolle gloriantur. Iudicio falluntur illi, hi laborant ignorantia.

Neu-

Neutri mea sententia probandi, qui pulcherrimam eloquentiæ virtutem in sermone Romano aut negligunt aut vituperant, quam in communi lingua, & in sermone populari tantopere concupiscunt. Si pulchrum laudabileq; est componere linguam Gallicā, aliamve quæ non ita verborum mutatione gaudet, cur turpe et fœdum est Latinam tanto meliorē, quanto communiorem, in ordinem aptum digerere, qui sine transpositione vocum nullam penitus habet venustatem? Quærenda suauitas oratori. Neq; enim refert (inquit Cicero) videre quid dicendum sit, nisi id queas solute & suauiter dicere. In artificiosa constructione non modo iucunditas, perspicuitas, & vis maior est, quæ omnia per se maxima sunt, sed etiam stupor & admiratio, quæ dicentem non hominem videri, sed deum quendam inter homines efficit. de quo Cic. 3. lib. de Oratore: Nemo, inquit, vnquam est orator, quod latine loqueretur, admiratus. Si est aliter, irridemt: neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, vt qui adessent, intelligerent quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deum (vt ita dicam) inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate & rebus & verbis dicunt, & in ipsa oratione quasi quendam numerum versumq; conficiunt, id est, quod dico ornate, qui idem ita moderantur, vt rerum, vt personarum

rum dignitates ferunt, ij sunt in eo genere laudis, quod ego aptum & congruens nominem. Qui ita dicerent, eos negauit adhuc se vidisse Antonius, & ijs hoc nomen dixit eloquentiæ solis esse tribuendū. Eam vult instrui collocationem, quæ quasi quendam numerum versumq; conficiat. Non amat scopas dissolutas, & inordinatum dicendi genus, quod vt arte, sic & omni decore caret. Artem semper comitatur decor. Ars inuenit in arboribus quincuncem, in vitibus limites, & patria interualla, in oleribus areas, in vrbibus insularum descriptiones, in ædibus cellas, et instrumenta sepositia, in ciuibus ordines, in exercitibus instructiones, in disciplinis generum formarumq; seriem, in poemate contextum, in rebus oratoris dispositionem, in verbis collocationem, quæ speciosa veluti quadratum corpus, & robusta sicut acies esset: quam qui despicit, quodammodo ordines cœlorum, siderū, errorum, elementorū, corporum, & artificialium omnium, quæ naturam proxime imitantur, temere et stulte despicit. Vbi sunt tot philosophorū libri, quorum nullus non semētiosus erat? Vbi tot opera poetarum generis heroici? Vbi tam multa cæterorū? Vbi annales & historiæ? Vbi tot dissertorū orationes? Vbi infinitæ doctorum conscriptiones? Vbi sexcentæ proximis sæculis magno sudore conscriptæ, editæq; volumina? Vbi prudentium quidem sed inculte loquentiū, id est, infantium vigiliæ & labores? Fuerunt, inquies. Cur etiā non sunt? Rogas? Non placuit indigestum chaos, non insulsæ veterum glandes, non horridæ casæ, non inde-

indocta barbaries, non agrestia tegumenta, non in montibus & syluis ferina vita non quicquid arte expoliri, & in melius aptari formariq; posset. Ornamus prophanas ædes auro & argento: hortos, agros prædia decoramus. Imponimus equis phaleras. Corpora nostra splendide vestimus, mensas magnifice apparamus. Theatra ad voluptatem construimus, sacras ædes vasis aureis, gemis, stragula veste, signis, tabulis, & id genus ornamentis facimus angustiores: Cur sermonem, quo nihil homini melius datum est, excolere non licet? Quid Liuius adiecit antiquis annaliū scriptoribus? Quid Vergilius poetis? Quid Columella rei rusticæ authoribus? Quid æquales plurimi, quid recentiores noui pepererunt? Extersérunt illam veterū rubiginem, & res eorum nitore verborum splendidas effecerunt. Quemadmodum viro magnifica vestis, et ornata domus nonnullam affert dignitatem, ita quoque verborum splendor & ordo quadam maiestate donat orationē. Si conditor ille rerum Deus immortalis, non omnia varietate & pulchritudine exornauit, illius exemplo contemnamus ornatum. Si rebus in omnibus coniunxit vtilitati decorem, cur illum summum opificem, summæ vbiq; pulchritudinis effectorem veremur imitari? Incidimus tamē in stultissimum barbarorum genus, qui laudant equi bouiq; speciem, qui probāt hominis bonam formā, qui stupidi contemplantur ornamenta regum, qui tollunt ad cœlum splendidū conuiuium, qui lauta suppellectile capiuntur, qui (vt breuiter finiam) nihil non pulchrum

magnificiunt, nisi quod circundatum est orationi. Quid est causæ cur illud vnum probare non possunt? Quod habere debent, & non habēt, ne turpe sit quod non habent, hoc iniuria vituperant. Alijs ingenium, alijs defuit labor. Stylus est magni laboris (quem plerique fugimus) sed optimus & præstantissimus dicendi effector & magister. Vt quod res velit, eloquare: ingenio, studio, arte, exercitatione, imitatione opus est. Hoc maxime docetur (inquit Fabius) hoc nullus arte assequi potest, huc studium adhibendū, hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis ætas consumitur, hoc maxime orator oratore præstantior, hoc genera ipsa dicendi alijs alia potiora. Sed si in tenui labore honesto non parua est gloria, in hoc certe omnium honestissimo debebit esse vel maxima. Hanc quisquis adipisci volet (omnes autem velle debent) optimo statim præceptore, si licebit, vtetur, alioqui natiuum illum ingenij candorem fœdissimo loquendi colore vitiabit, & aurium iudicium illiberali sono, et sermonum prauitate corrumpet.

Qui fugiendi magistri.

CAP. III.

QVum innumerabiles in omni gente magistri linguam pueritiæ informare velint, paucissimi de rebus proprie, ornate, composite disserere possunt. Hæc tamen virtus in grammatico si non est officium explere suum non potest. Id Quintilianus de re

ye grammaticorum loquens affirmat, his verbis, Eloquentia quoque non mediocri est opus, vt de vnaquaque earum quas demonstrauimus rerum, doceat proprie & copiose. Nunc irrumpunt αὐθάδιδαικτοι, genus hominum temerarium, confidens, & audax. Nullam vel mediocriter sciunt, & omnem profitentur artem. Omnia peruadunt, omnia suis prælegunt, omnia inculcant, omnia dictant, omnia contaminãt. Prima rudimenta, Syntaxin verborum, Officia, Paradoxa, libros de Inuentione, de Senectute, Quæstiones Tusculanas, Poetas, Historicos, Oratores, Philosophos, vno eodemq; die sine modo, sine lege, sine ratione obtrudunt infantiæ balbutienti, & circa elementa prima hæsitanti. Vt omittam cætera, nullum habent verborum delectum, nullam artificiosam collocationem, nullum certum dicendi genus. Omnia locis omnibus promiscue & confuse, non sine sui iactatione, garriunt: nec tam humana voce loqui, quam inter cornices inepte cornicari videntur. Volubilis illa garrulitas, & incondita linguæ profusio, per mille species rerũ non aliter quam somniantis animus momento rapitur: non insistit, non imprimit vestigium, non habet quod certo loquatur, etiamsi nihil non vult loqui. Quod si quando loquacitati finem imposuit, nec ipse qui talia profudit, nec audientium quisquam scire potest quidnam sibi velit. Virtus est orationis (si dijs placet) nulla in re commorari, huc & illuc disilire, omnia commiscere: sic agere, vt tuam nemo capiat mentem: onerare auditorem putidis verbis,

& inamœna locutione, & contorto genere dicendi aures animumq; contundere. Quid hinc iudicij refe-ret auditor? quid disciplinæ liberalioris? quid sententiarum? quid verborum? quid puri rectiq; sermonis? quid potißimum sequetur? Pendebit ab ore, non dicoloquentis, sed insanientis. Alieno se iudicio committet, atq; in diuersa rapietur, vti puluis qui venti procella corripitur: & vt os nutricis infans, sic ille magistri linguam exprimere conabitur. Materia scribendi proposita, præceptorem imitatus euagabitur. verba noua cum obsoletis, grandia cum paruis, dura cum mollibus, Latina cum barbaris miscēs, nullum eorum apte & ordine collocabit. Laudabit hæc ignarus veri magister. exprimet illum tandem discipulus infelix, & ex officina mala prodibit haud bonus. Et quoniam quæ praua sunt, hærent tenacius, nunquam poterit elui impura fœdaq; linguæ proluuies. Nam

Quo semel est imbutus recens, seruabit odorem
Testa diu.

Et vera nimis est Quintiliani sententia, Frangas citius quam corrigas, quæ in prauū induruerūt. Quam multos flectere volui? quam multos aliter instituere? quam vani fuere mei labores? Ingenij vis illa naturalis pene mortua, non ita restituti poterat, vt aliquid rectum & æquale & naturæ simile gignerent. Arte quadam, vt verius dicā, nebula fumoq; nitebantur, & quasi per aerem vagi, & multa quærentes, nihil omnino reperiebant, nisi inane quiddam, a natura

turæ firmitate nimis alienum. Absit igitur hæc pestis ab eo qui suas aures modulatione erudire, verborum discrimina discernere suo quæq; ordine collocare velit. Absit hoc monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. Sed permulti sunt id genus Cyclopes: contra pauci reperiuntur, qui encyclopædiam absoluerunt. Est aliud hominum genus minus arrogans ac insolens, æque tamen incultum & indoctum. Ex autoribus, qui potissimum legendi sint, quoniam iudicare non possunt, & conscij virium suarũ, principes linguæ Latinæ interpretandi causa aggredi non audent, optima quæq; tanquam sacra Cereris non diu ineunt. Vilia quædam poemata, & insulsos dialogos, & leues epistolas, & apologos, & fabulas inutiles, & leuiculos autores, quos impropria paraphrasi grauiter onerent, legunt. Singulis verbis, nunc singula, nunc bina, nunc terna quaternave reddunt: & spinosa verborũ copia locos omnes & paginas implent: tumq; præclare doctioris officium obire se putant, quum terq; quaterq; repetendo cantitant, Est, id est, existit. Què, pro &. Quoq;, id est, etiam. At, id est, sed. Enim, pro quia. Docemus, hoc est, instruimus, ostendimus, monstramus. Scribo, id est, describo, compono. Phagi, illius arboris. Hibisco, illa herba. Cantharus, illud vas. Sagitta, id est pharetra. Carbasus, indusium delicatum. Timet, hoc est, metuit, pauet, horrescit, formidat, veretur. Præclara sane verborum copia, pulchra loquendi proprietas, bellum puerítiæ formandæ principium. Quid agis? Soli demens

lumen infers, tenebras non aufers: Dilucidi & obscuri nullum statuis discrimen. Verborum proprietatem & suauitatem, qua nihil in oratione gratius est, sic abijcis, vt si aliena summoueas, tua non intelligantur, & incredibiliter exhorrescant. Quid? Mirabere istorum stultitiam. Ne sit obscurior illa (quam diximus) interpretatio ridicula, puerum iubent adscribere putidam quandam paraphrasim, quam sententiam vocant, & eam diligenter ediscere. Hinc accidit in autoribus primæ dignitatis (quos isti aliquādo tandem suscipiunt) vt ea verba quæ maxime cuiusq; rei propria, quæque sunt ornatissima atque optima puer relinquat, minus idoneis vti consuescat. Quæ, malum, est hæc insania? vt contortam barbariem, quam rectam loquendi rationem memoriæ tradi, in imitationem vsumq; trahi malis? In ediscendis optimi cuiusq; scriptis, audita modorum suauitate formaret aures, verbis abundaret vel optimis, & tandem animi impetu ferente, eadem prope contexendi ratione vteretur. Nunc tecum derudere miser assuescit. Totus scatet malis verbis. Præpostera compositione deprauat orationem. Quod autem materiæ genus proponis ad scribendum? quæ tibi exercendi ratio est? Ponu aliquid ociosum, neque inuentione acutum, neque sententijs vtile, neque partibus inter se cohærentibus elegans & consentaneū. Ex colluuie glossematum tuorum, & annotationum sterquilinio, spurca quædam verba diligenter eximunt pueri, quibus non rem præscriptam, sed aliud nescio quid finiri imum

mum complectuntur. Hæc male consuta proferunt. Admoues aurem, tua agnoscis, egregios imitatores exoscularis. Nam parenti simia pulcherrima est. Si quis est aut barbarismus, aut solœcismus occultior, aut vox horridior, aut vitium in cõsecutione, aut perturbatus ordo, non animaduertis, propterea quod auribus aptum tuis auribus, quamuis inemendatum, durũ, & inamabile dicẽdi genus. Sed dimittamus istos, ne forte lacessiti grauiter excandescant. Cauendum est enim, ne quam ferant opem Guido Iuuenalis, aut alius eodẽ modo facilis ac obuius interpres. Hoc præsidio freti se parant ad certamen, & de imperio summáq; rerum contendunt. Quid alios referam multos, qui stimulant iuuencos, terram non arant? Πολλὰ βόες στον, παῦροι δέ τε γῆς ἀρότῆρες. Alij totum diem vociferantur in ludo. Iuuentutem obruũt multitudine verborum impurissimorum, nec illam disputationibus agitant, nec exercitationibus roborant, nec excitant languentem, nec petulantem coercent imperio, & magisterij dignitate. Alunt improbum quoddam hominum genus, quod ignorans suas vires, omnia se posse credit, omnia præ se contemnit ac despicit. Vt tyro ferox veteranos aspernatus, multa & egregia de se pollicetur: collata manu, & impressione facta, stare loco nescit, cedit, fugæ se mandat, & tum demum imbecillitatis suæ certior factus, non reuertitur in prælium: sic & isti animorum pleni, eruditos & exercitatos fastidiunt, nihil sibi non arrogant insolentes, vbi in certamen literarum pu-

gnamq; ventum est, haud magno momento superati deserunt, & detestati literas & magistrum, & doctis omnibus infensi, ad aliud vitæ genus confugiunt. Sunt qui sedulo materias à suis exigunt hora præstituta. Redditas perlegunt ipsi: sed quoniam arbitrantur hoc vnum suum munus esse, expurgare vitium barbarismi atque solœcismi, non progrediuntur vltra. Puerum non admonent eorum quæ dure & horride, quæ inusitate, quæ contorte, quæ obscure, quæ exiliter, quæ affectate tumideq; dicta sunt. Pro sermone Latino & emendato vasta & agrestis lingua abutuntur, nec inter Latinos iure numerari, nec inter doctos haberi, nec munera præceptoris obire possunt. Iam quotus quisque nouit versum arte modulari? aut orationem verbis & proprijs & vsitatis atq; compositis exprimere? Expectamus aquam e pumice? Qui rudes illi docebunt cæteros id quod ipsi non modo non facere sed ne intelligere quidē possunt? Quonam pacto iusti erunt existimatores eorum quæ candida atra ne sint, cæci: bona an mala, improbi: culta an inculta, impoliti non vident? Qua formabūt arte iuuentutem? Quibus ornamentis excolent? Ex eiusmodi officina mirum ni prodeat incultus informisq; discipulus. Hic (inquiūt) præstantior est puer, multo plura scripsit. victus ille, edidit enim pauciora. Huius omnia verba trita sunt, illius inusitatiora, & eo nomine meliora. Habes hominū iudicium. Non scripti genere, sed quantitate: non proprietate, sed insolentia censent orationem. Multos alio quodā morbi genere

uere vitiosos numerare possum, quorum contagionē fugere debet is qui studio componendi, & orationis collocatæ gloria ducitur. Multos ipse cognoui, qui omnem orationis elegantiam esse statuebant in adagijs, apophthegmatu, verbis antiquatis, nouis quibusdam nitelis, & ridiculis ornamentis: vt si confectores stragulæ vestis pauca essingant in ea signa, vniuersum contextum negligant: vt si olitor treis quatuor ue stirpes herbarum specie lucidas, fructu inutiles colat, reliquas terræ partes incultas esse patiatur. Illos omneis fugiendos esse sciet qui hāc verba Ciceronis audierit: Magni interest quos quisque audiat cotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. Legimus epistolas Corneliæ matris Gracchorum. apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Auditus est nobis Laliæ C. filiæ sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, & filias eius Mutias ambas, quarum sermo mihi fuit notus: & neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu Brute credo aliquando audisti loquentem.

Qui fugiendi scriptores elegantiarum.

CAP. IIII.

NOn defuerunt & qui memoriæ literarum cōponendi leges, & collocandi præcepta mandarent. In illis principatum obtinuit Augustinus

ille

ille Dathus, & quidam Petrus Niger, ornamentis orationis (vt sibi videbatur) admodum candidus. Horum venustatem nitoremq; posteriores vehementer admirati, scripserunt alij progymnasmata, alij enchiridia, alij loquendi formulas, alij inelegantes elegantias, alij quasdam suas obseruationes, quas tum teneræ ætati, tum mediocriter eruditis perutiles esse rebantur. Finis erat eiusmodi scriptionum, vt qui venustus & elegans veluti gratijs afflatus esse vellet, hæc verba, nullus, nemo, nihil, nunquam, nusquam, neutiquam, nequaquam, in clausula collocaret: vt verbo sæpius quam nomine aut participio clauderet orationem: vt geminaret copulandi coniunctionem: vt in exitu voce trium quatuorve syllabarū sustineret ambitum: vt obliquū casum statueret initio, vt pronominibus, qui, quæ, quod, ea quæ natura præponi debeant, arte postponeret, vt in eius ordine rei nomen duarum syllabarum antecederet, adiectio sequeretur, si modo totidem pluribusve cōstaret syllabis: vt, pater meus, frater optimus. Denique vt si idem vel epistolam vel orationem scribere & exornare vellet, insignibus formulis quasi aureis emblematis vteretur. Alij ciebant pauca verba rarè cuiusdam pulchritudinis, quibus tanquam gemmis distinguerent & illustrarent opus. In hisce rebus, & paucis generis eiusdem, omnem omnium oratorum elegantiam positam esse existimabant. Quo quid ineptius, magisque ridiculum esse potest? In oratione nullo verbo propria sedes est, nullus certus & immutabilis locus,

nullus

nullus vnquam fuit sic destinatus ordo, vt eius mutatio deformis & inelegans esset. Loca verborum communia sunt, nec in extrema clausula magis quam in principio, nec initio potius quam in oratione media ponuntur. Neminem vnquam vidi pulchriorem, composite dixeris. Pulchriorem vidi vnquam neminem, incomposite. Inter oratores neminem summum perfectūq; reperies, recte dicitur, Inter oratores summū perfectumq; reperies neminem, praue et affectate. Vbi igitur apte collocaueris hoc verbi neminem? Semperne in extrema sententia? nequaquam. Cur ita? non id vbique patietur ratio componendi. Quamobrem? Obseruantur in clausula, id est, in oratione postrema, duo tresve pedes, qui composite & decenter incedant, & suauiter cadant in aurem. Si dactylus hic, neminem, in conclusione ponatur, nisi pes vnus & alter molliter antecedat, offendet aurem, & illius eum loci quodammodo pœnitebit. Quum dico, Ferendum grauiter in hominibus sapientem inueniri neminem, non læduntur aures, quia coagmentatio cohæret, & sine versu molliter ad finem currunt pedes. Quum dico, Prendere auide cupiunt neminem, nulla voluptate sensus oblectatur, propterea quod sic exiliunt & attolluntur anapæsti, vt non inclinentur ad dactyli positionem. Ad hoc compositio, iunctura q; hiat, & aspere duo postrema verba concurrunt. Mutandus est igitur ordo verborum, & auribus eruditis instruendi ratio committenda. Quid si reiecta in extremum particula, quæ primas habere cupie-

bat, transuorsum trudentur omnia? vt, Mihi placui minus nunquam. Rectius ne Crassus istuc, Nunquam mihi minus placui? Quemadmodum in extructione murorum vident oculi quo loco quodque saxum rude melius aptetur, sic & in oratione dirigenda iudicant aures, qui cuiq; verborum sit assignãdus ordo. Quid igitur opus est, quasi de certo loco præcipere? Quid incerta pro certis habentur? Pro significatione, figura, coagmentatione, numero, loca, singulis assignantur. Nec si verbũ proprie dictum sæpe claudit eam quam perficit orationem, idcirco dixero, Patrem amaui. reclamat enim auriu̇m iudicium. Amaui patrem, vel natura monente dicendum esse iudicabo. Qui verba de loco in locum transfert ornãdi gratia, non enumerat eorum syllabas, vt inde sciat, vtrum anteponendum sit, epithetonne, an rei nomen, sed iunctura & interuallo pedum, loco metitur: prima, media, vltima quo inter se consentiãt, attemperat. Iam quid iuuabunt locutiones ex enchiridio, si imparibus assuentur? Vt erit æquabilis, suiq; similis oratio, si duæ tresve ab optimo scriptore sententiæ longe cæteris emineant, & quam sint humiles reliquæ, sua amplitudine demonstrent? Cur a casu obliquo pulchrius quam a recto ducimus initium? Quis vnquam veterum tulit has leges? Multa de rhetorica tradidit Aristoteles, multa Theodectes, multa Theophrastus, Hermagoras haud pauca, plurima Cicero, non pauciora multo Quintilianus: quid? horũ nemo vidit quod Dathus? quod Niger? quod Progymna-

fles? quod formularij, & eiusmodi inuestigatores elegantiarum? Nesciebant credo, & tam suaues delicias nunquam gustauerant. Cur isti igitur admirantur eorum dicta? cur habent pro lege formulaq; loquēdi, quicquid notatum scriptumq; reliquerunt? Quo pacto ex illis eruunt exempla, quibus sua præcepta confirmare conantur? Sciebant, inquiunt, sed tam parua scribere grauabantur. Itane vero? Diligenter omnia persequebantur oratoris ornamenta, & vobis tam suaues tamq; molles orandi voluptates præteribant? Non ita est. Nullum eorum, qui libellos istos ediderunt, artes oratorias aut intellexisse, aut saltē legisse contendo. Si forte legissent, nunquam certe quidem commisissent, vt hoc nouum & insolens & inauditū legum genus conderent. At præclare nonnulla scripserunt. Quis negare potest? Nullus est tam malus liber, in quo non sit aliquid boni. sed magno cōstitit quicquid illud fuit. Innumerabiles cum pueros, tum viros bene collocandæ dictionis percupidos, nomine facilitatis & nitoris illuserunt. Passim legebantur, vulgo circumferebantur, in scribendis epistolis & conficiendis orationibus leges eorum haud aliter obseruabantur, quam mysteria, atq; cæremoniæ deorum. Alebant inanem spem: vnam aut alteram ad ornandū particulam, non integrā vestem induebant: tandem suos cultores partim nudos, partim ridicule vestitos ad hominum doctorum ludibria mittebant. Quum vita celeri cursu fugiat, & studiorum tempus admodum breue sit, in tanta librorum optimorum copia

cur

cur malumus in peßimis quibuſdam quam in optimis bonas horas collocare? Quæramus alios dicendi magiſtros, qui plane ſciant qua ratione pro tempore, loco, & perſonis, acies verborum ſit inſtruenda. Ne de pauca ſupellectile, ſed de vniuerſa diſpoſitione verborum dimicemus. Quæ maiores agit prædas, illa iucundior eſt victoria.

Qui magiſtri, quiſque ſcriptores deligendi.

CAP. V.

QVos ludi magiſtros, & quæ præcepta vitaret homo ſtudioſus elocutionis, breuiter attigimus. Nunc quem potißimum doctorem & dicendi magiſtrum ſequatur, vt quo maxime velit, eo breui compendio viarum perueniat, ſi placet, explicemus. Non erit alienum ab inſtituto, quærere ducem, ſine quo ad propoſitum finem recta venire non poßit. Non agam de virtute præceptoris, quæ in primis eſt a diſcentibus expetenda, propterea quod pueri vt eius artes, ſic & mores, & malos quam bonos ſæpius imitantur. Nihil dicam de cognitione & ſcientia rerum maximarum, quam ſi non habet, docet alios indoctus, &, quod dementis eſt, verba ſine re profundit. Quam ſeueram debeat habere diſciplinā, quam ſanctam, quam virilem, quam aßiduam, non eſt hic diſputandi locus. Hoc ad rem pertinet, quo ſit ingenio, quaq; natura præditus. Nam quemadmodum poetæ,

ſic

sic (mea sententia) quodammodo nascuntur oratores. Nec enim poetæ, si naturæ parentis igniculi desint, alta & ardua excogitare, delectum verborum habere, numeros aptare queant. Nec oratores aduersante Genio mira quædam inuenire, proprie, copiose, venuste, floride differere possint. Est in oratione, sicut in versu, numerus, & obscura modulatio, quam teretes & rotundæ sentiunt aures. Quædam verba sic amica sunt, & pene germana, vt inter se concordia summa copulẽtur, quædam (vt ita dicam) inimica atq; dissona: quæ si coniunxeris, perpetuo rixabuntur, & aspere ferient illam sentiendi facultatem. Quis hac de re iudicabit? Auris. An omnis. Haud quaquam vero. Quæ sic, & quæ non? Sensus ille, sicut omnia, adiuuatur arte & exercitatione. Fateor. Alioqui ista non traderem: sed nisi vis illa naturalis, acuta, sagax, acris habilisq; sit, nisi sonorum differentias & modorum sponte sua dijudicet, nisi in ambitu & partibus illius, temperata, curta, redundantia, in verbis aut singulis aut compositis lenia, aspera, mollia, dura sentiat: ars & vsus, res duæ maximæ, non efficient vt instructa venustata sit oratio. Noui plurimos studio & amore literarum eximio, qui cognitis atque perspectis rhetoricæ præceptis summa cum diligentia multa scripserunt, nec secus ac poetæ solent, in collocanda dictione, & quærenda venustate diu multumq; laborarunt: sed enim conatus infœlices fuerunt, & male propitiæ Musæ. Non suberat vera vis & indoles, non fluebat illa vena atque natiua fœcundi-

cunditas, nec sensum natura duriorem mouebat aspera sonorum concursio. Itaque succumbebat ars et animus silente consilio naturæ, nec vllum percipiebat dignum suo labore fructum. Sic erat, vt colendi peritus agricola, qui sterile solum omni arte & industria subigit, eoq; conijcit semen: hinc forte nascetur aliquid quod tandem metat: sed raræ & graciles aristæ fallunt hominum boumq; sudores. Non omnis fert omnia tellus, inquit poeta. Nec ars sola potest, quodipsa concurrente natura. Quid? quod sub vno eodemq; præceptore videas pueros eadem informari disciplina, & intendi pari diligentia, qui tamen in oratione exædificanda non sunt inter se pares? Quid est causæ? quid? Illorũ paria non sunt ingenia. Quum sit vna rhetorica, totidem fere sunt genera dicendi, quot oratores: nec vnquam duo per omnia consimiles reperti. Hanc formarum varietatem non aliter in ordine, quam in hominum ore natura fecit. Quod si quis alio quam quo natus est, tendit, Gigantum more naturæ Deoque repugnabit, & suæ stultitiæ tandem precium feret. Labor improbus res arduas expugnat, sed funditus euellere naturæ fundamenta non potest. Verum est illud Horatianum:

Naturam expellas furca: tamen vsq; recurret.

Sint igitur eloquendi magistro celeres animi motus, & insita prudentia. Insit vbertas, & quædam musica vis ingenij: & innatus venustatis amor alliciat animum eius ad verborum suauitatem, vt numerosæ con-

constructionis ordinem persequatur. Sic expetat ornandæ dictionis artem, vt tamen a naturali & illaborato fluxu longe ne recedat. Nam tanto deterior erit, quãto longius a natura ducetur oratio. Non excidit mihi quod autore Quintiliano dixeram, elocutionem omnem arte consistere. Natura sine arte in inueniendo & collocando multum sane potest, in eloquendo nihil omnino. Sed ars sine natura in his omnibus debilis est. Cui natura modulationis huius indidit amorem, versatus sit in optimis tum proprietatis, tum collocationis autoribus. Teneat quæ de singulis verbis, de compositis, de coagmentatione, de concinnitate, de numero, de compositione Cicero præcepit. Horum omnium vim rationesq; notas habeat. Ne quid ignoret, quod Quintilianus de natura verborum simplicium, de ornatu, de compositione scripsit. Ab his enim duobus viris pene res omnis est absoluta, vt hic Græcis autoribus nihil egeamus. Nec opus erat his præceptionibus nostris, nisi agere pingui Minerua, & rem obscuram exemplis illustrare voluissemus. Et quoniam aures hic plurimum possunt, erudierit sensum, primum in carminibus poetarum, Terentij & Vergilij maxime, altero nemo Latinorum purior, venustiorque, altero nemo compositior, deinde in oratione non minus propria & Latina, quam instructa atque modulata, qualis est Cæsaris atq; Ciceronis. Est in Cæsare summa proprietas compositio tenuis quidem, sed perquam suauis. In Cicerone cum proprietate omne eloquendi genus,

omnisq; figura dicendi. Hos quatuor, si non ad omnem & inuentionem & elocutionem, tamen ad id quod volumus, satis esse dicimus. Quanquam non repudiandus est educator, qui varias, si modo sanas, dapes apponit: non tamen maiorem quærimus verborum puritatem, neque flagitamus delectum exquisitiorem, neque extructiorem petimus collocationem. Horum scripta cãtitauerit magister, & crebra pronunciatione quodãmodo limauerit suas aureis. Hæc proponat pueris ediscenda. Hæc clara voce ac virili prælegat, interpretetur, quid virtutis habeant, sedulo demonstret. Quod si facere non possit, eum satis idoneum non habebo. Nec diu virtus aut vitium latebit. Animaduertentem difficile non est iudicare (si modo propius inspicitur) qui valeat ingenio professor, qui phrasim redoleat elegantem, qui sermonem habeat purum, dispositum, & ornatum, qui vitet illud opimum & adipale dictionis genus, in quo rident Asiani: qui nec hæsitet turpiter, nec intersistat, nec langueſcat, nec mutila iactet, nec concise, improprie, barbare loquatur. Est vna de summis eius virtutibus, sermo expeditus, venustus, & incorruptus. Assidue cadit in aurem pueri, sensumq; dulci voluptate demulcet. Hinc fit, vt non modo libentius audiat eloquentem, sed etiam vt sic castiget & informet aures, vt horridam & incultam perferre linguam postea non possit. Nolo hominem dissolutum, qui subinde pueritiæ verba faciens, propria impropria, pura impura, Latina Gallica, grandia parua, composita incom-

incomposita commisceat. Volo virum qui excitet animum, atq; ratione moderetur: vt quæ cogitauerit, verbis lectis, & subita facultate digestis exprimat. Animi celeritas admirabilis, si curam adhibebit ac diligentiam, in multa se munera partietur, & optima inueniet, & iuuenta disponet, & eodem prope tempore collocata vestiet honore verborum. Volo qui rationem mentis vrgeat, cui sit studium & eximius ardor literarum, qui artium liberalium maiestatem veritus, non omnia ad quæstum & auaritiam, more multorum, sed ad bene dicendi laudem, & ad veræ gloriæ fructum referat. qui pertulerit illum scribendi laborem: quem si nō hauserit puerilis formator, qui de scriptis alienis rectum iudicium feret? Quis omnium de versu vere iudicare potest? Poeta. Quis autem de oratione? Orator. Quis est aut orator aut poeta, aut saltem finitimus illis? Qui carmina permulta diligenter condidit, multas epistolas & orationes arte confecit. Exercitatus ille præceptor, & styli minime rudis, facili negocio scripta discentis emendabit, improba & ociosa expunget, proba & grauia ponet, pro insuauibus dulcia, pro fortuitis lecta, pro confusis composita prompte suggeret. Si quid alumnus inemendatum aut durum locutus erit, expedite corriget, & molliet immutato genere loquendi: cuius limam solicite metuens discipulus, vigilabit, & intendet animum, ne quid proferat nimis squalidum & impolitum: qui haud dubie securus esset, si artificem imperitū scriptis æquaret, aut vinceret. Meus

hic disciplinæ princeps, pauca, sed præclara dicat. Commoretur in locis difficilioribus, ne quantum, sed quam bene ferat, curet. Commissa auditoris fidei repetat assidue: materiam scribendi sententiosam, rectoque quasi filo ductam, & primis adumbratam lineis proponat, propositam die statuto exigat, ne cessatores efficiantur, quorū periculo inutiles transmittuntur horæ. Omnia vitia ne vellicet, sed tantum notabilia, quoniam scriptor tam sæpe reprehensus, animum despondet, & infaustum execratur laborem. Ista nequaquam scribo professoribus artium humanarum, quos docere iam, non doceri par est, sed proiectis vltra prima rudimenta, qui vel Romanæ linguæ magistris doctioribus operam dare, vel alios eandem linguam docere volunt.

Vtri priores legendi, poetæ, an oratores.

CAP. VI.

QVi legi maxime debeant, tum magistri, tum scriptores Latini, vt inde verborum delectus habeatur, & pulchre concinneq; extruatur oratio, paucis exposuimus. vtri priores legendi, poetæ, an oratores, breuiter explicemus. Lectionem poetarum priorem ire oportere, maximæ causſæ rationesq; confirmant. Nam carmen ornatius est atq; iucundius, vt res ad voluptatem comparata. Quod numerus eius certus, & eodē modo conscriptus, artificioso & composito pede cum voluptate fertur, primum oblectat aures

aures mollioris ætatis, deinde in animum procliuius illabitur, inque diuturnum tempus memoriæ sesigit. Itaque cecinit Horat.

Os tenerum pueri balbumq; poeta figurat.

Doctissimi nimirum sunt boni poetæ, & diuino quodam numinis afflatu concitati, immortale quiddam ac cœleste spirant, sententiarum concinnitate mirabiles, lumine verborum conspicui, modulatione numerorum suauissimi. Optimos quosq; natura sic ad carminum modos effinxit, sic ad argutum genus orationis inclinauit, vt si cum ipsis arte certare velis, neque dictione lectius quicquam, neque sono temperatum magis, neq; compositione modulatius inuenire possis. Quid enim putamus ingenium summum agitante Deo succensum, multis magnisq; artibus eruditum, vsu multo peritum, alta atque longa cogitatione, crebra & seuera castigatione efficere potuisse? Quicquid est graue, sonorum, rotundum, elegans, iucundū, dulce, suaue gratum, venustum, adsciuerunt in carmen, heroicum præsertim: Leue, exile asperum, deforme, triste, amarum, insuaue, insulsum, repudiauerunt, nisi siquando forte de industria duriorum rerum naturam sono orationis imitari, quam leniter & æquabiliter profluere maluerunt. Horum versus occinet puer, eosque thesauro memoriæ committet, ornamentum postea sermonibus & scriptis futurū. In his spacia & tempora syllabarum, quæ longæ, quæ breues, quæq; sunt accipites, sine magno labore discet, rem adeo necessariam, vt si desit, neque nume-

ros orationi inſerere, neque pedes intelligere, neque verſum moliri, neque verba accentu variare, aut bene proferre poſſit. Cognoſcet illud poeticum μέτρον, & quid ab oratorũ rhythmo differat, expendet. Sciet qui ſint in verſu pedes, & eoſdem poeticos, eoſdem oratorios eſſe: nec re ipſa, ſed collocationis ordine differre perſpiciet. Animaduertet illud dicendi genus a ſermone & a lingua cotidiana diſtare. Nimium tritam loquendi viam, lutumq; triuialium deſeret, ſublimius atque purius iter inibit. Formabit aurium iudicium. Eximio ſplendore verborum illuſtrabit animum, & ornatu mirabili captus, eadem præcellere magnificentia volet. Accendet animum, acuet animi iudicium, multa facile comprehendet, multa paulatim trahet in vſum, & hinc figuram dicendi colorabit. Ergo poetarum interpretatio præuertat orationem. Nam & grammaticorum officio, non rhetorum commiſſa eſt. Imbuatur hoc quaſi liquore recens animus, vt ſemper in oratione iucundum illum retineat ſaporem, qui ſi vehementer haud tangit palatum, ſentitur tamen quaſi quoddam parcius condimentum. Miror his annis extitiſſe complures, qui poetas abÿcerent, vni rhetoricæ nauarent operam, quaſi eloquentia poemate non egeret. Longe ſecus Ciceroni viſum eſt. Legendi, inquit, ſunt poetæ. Nam etiam poetæ quæſtionem attulerunt, quidnam eſſet illud, quo ipſi differrent ab oratoribus. Numero maxime antea videbantur & verſu, nunc apud oratores iã ipſe numerus increbuit. & paulo poſt, Quorundam

rundam grandis & ornata vox est poetarum. & in eodem loco, Inter eos simile est iudicium, electioque verborum. Sensit idem Theophrastus, teste Quintiliano, cuius hæc verba sunt, in decimo libro: Plurimũ dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multiq; eius iudicium sequuntur, neque immerito. Nanque ab ijs & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur. Præcipueq; velut attrita cotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blandicia reparantur. Ideoq; in hac lectione Cicero requiescendum putat. Plura de poetis addidissem, si de omnibus illorum bonis, quæ innumerabilia sunt, agere voluissem: quoniam modo de electione & extructione verborum mentionem facio, satis multa credo de carmine prælegendo locutus sum.

Sæpè diligenterque scribendum.

CAP. VII.

Materias ad cogitandum scribendumq; proponi oportere, & sententiosas atque consentaneas esse debere iam diximus. Stylus enim optimus est & præstantissimus dicendi effector & magister, inquit orator. Idem, Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio. Operæprecium est diligenter animaduertere, quæ de scribendo Crassus apud Ciceronem disserit. Caput autem est, inquit, quod (vt vere dicam) minime facimus, est enim magni labo-

ris (quem plerique fugimus) quamplurimum scribere. Stylus optimus & præstantißimus dicendi effector ac magister: neque iniuria. Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim siue artis sunt loci, siue ingenij cuiusdam atque prudentiæ, qui modo insunt in ea re de qua scribimus, inquirentibus nobis, omniq3 acie ingenij contemplantibus ostendunt se, & occurrunt: omnesq3 sententiæ, verbaque omnia, quæ sunt cuiusque generis, maximeq3 illustria, sub acumen styli subeant & succedant necesse est. tum ipsa collocatio conformatioq3 verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed oratorio quodã numero & modo. Hæc sunt quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quisquã, nisi diu multumq3 scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, vt etiam subito si dicat, tamen illa quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur: atque etiam siquando in dicendo scriptum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Hæc ille. Si stylus est dicendi magister, si cætera exercitationum genera facile vincit, si locos peragrat omnes, & ex illis sententias optimas excipit, si verba maxime illustria deligit, & ita collocat & conformat, vt oratorium numerum efficiant, si consequitur admirationes, & dat im-

impetum dicenti: sine dubitatione semper in manibus est habendus, ac omni cura, studio, diligentia exercendus. Nunquam probaui remissum pigrumque auditorum genus, quod multos annos in schola sedẽs professores subaudit, nihil vnquam neque relegit, neque reponit. Aures habent quidem pigri, nec eas satis attentas, ore manuq3, in quibus duobus summus est literarum fructus, haud vtuntur. Linguæ Romanæ student vt loqui possint: quando emendate loquentur? Scribere Latine volunt epistolas, epigrammata, literas, orationes, libellos: quando scribendi facultatem adipiscentur? Quis optimus miles arma non tractauit? Quis idoneus gubernator non tenuit clauũ? Quis architectus amussim & regulam non apposuit? Quis arator industrius non coluit agrum? Quid audisse prodest, si quum docti loquuntur, tacendum tibi sit? si neque tuas cogitationes mandare literis, neque cotidianæ linguæ committere audeas? siq3 de tuis studijs non existimationis & gloriæ fructum, sed ignominiam dedecusq3 percipias? Turpe quidem est atq3 dedecorosum, in studio literarum te longum tempus absumpsisse, sine frequenti vitio loqui scribereve non posse. Stylus vires ingenij experitur, vagos animi motus continet, mentis aciem exacuit, eorum quæ legeris, quæ audieris, memoriam excitat, iudiciũ formar, illustrat obscura præcepta, linguã expedit & manũ, estq3 studiorum custos, cogitationum interpres, mandatorum nuncius, monumentum scientiarũ, dulcis in ocio negocioque comes & monitor. Scribendum igitur

tur quamplurimum: nec fugiendus est labor, qui sicut magnis in rebus est multus, ita quum vincit, non paruam consequitur laudem.

Rudimenta componendi.

CAP. VIII.

PRincipio ne ponderi succumbat debilis & infirmus, perpauca scribantur. Quemadmodũ paulatim robur corporis, ita vires animi crescunt. Et vt molle corpus iniquo pondere grauatum, ad iustam magnitudinem peruenire non potest, sic animus immaturo onere pressus, ad altas cogitationes vix vnquam postea erigitur. Libertatem suapte natura cupit, & ægre vim ac imperium patitur. Quo magis amanda sunt puero studia literarum, & vltro magna voluntate capessenda, ne a doctoribus aut flagris aut minis vrgeatur. Proponantur ergo materiæ frequẽtes potius quam immodicæ. Artes enim haud aliter in animum instillantur, quam liquores in angustiora vasa: & vt labor distributus in partes, agentem minus fatigat, sic etiam duæ tresve breuissimæ scriptiones minus animũ lassant, quam si congerantur in vnum laborẽ. Quod autem præscribitur, aptum consentaneumq; sit, eius membra cohæreant inter se, & recto quasi filo ductus omnis sententiarum dirigatur. Contortum illud rerum genus & confusum, non difficultatem modo parit imitanti, sed etiam turbat illum sensum communem, & natiuum iudiciũ,

sine

sine quo vana est hæc omnis de scribendo præcepto. Etenim recta facilius quam praua sequitur artium rudis & ignarus. Minus aberrat a naturæ prudentia, minusq; fatigatur hac via tum recta, tum compendiosa, quam si per ambages, & salebrosos regionum anfractus circunducatur. Adde quod ad dirigendam mentis aciem, & informandum iudicium, incurua loquendi regula inutilis est. Detorquet in prauum quod procerum & habile natura procreauit. Naturam vero vt ducem optimam sequi debemus. Quia causſæ antecedunt, sequuntur effectus, & negotijs gerendis suum tempus est ordine constitutum, seruemus hanc in dicendo collocationem, nisi ratio fortior alio nos impulerit. Video quosdam sententias, quas pueris aut Latinis verbis efferendas, aut copiosius tractandas suggerunt, sic immiscere & interturbare, vt ne ipsi quidem quid sibi velint, omnino satis intelligant. Deest illis aut ingenium, aut diligentia, aut artis cognitio, aut duo ex illis, aut certe vniuersa. Hinc indigesta rerum sylua rudibus animis tractanda subijcitur, quam ego quidem ineptam & perniciosam esse existimo. Nolo sensus & continuationes verborum longiores, quas & in narratione, & vbicunque faciles esse volumus, eo vitamus, quod vocum multitudo, & numerosa partium cõgeries nonnullam parit obscuritatem. Quanto paucioribus verbis sensum vnum complectimur, tanto celerius illud animo concipimus. Itaq; contracta & minuta primum, deinde circunducta laudabo. Contracta & minuta

nuta dicimus ea, quæ a similitudine partium corporis membra nominantur: circunducta autem periodo compræhensa. Non erit arduum atque difficile, quum fuerit vsu firmata scribendi ratio, quæ dissipata sunt atque diuulsa, colligere, & vno longiore ambitu concludere. Mollius & pronius hoc erit inchoanti, Voluptas debilitat vires, inimica est virtutibus, rationem mentis eludit, totum demum corrumpit hominem. hoc igitur monstrum fugere debemus. Membra quinque sunt hic parua ac minuta, qualia rudiores haud magno negocio formare possint. Paria fingant initio, & ante simulacri particulas, quam totũ opus conflare discant. Longius atq; volubilius excurrit periodus, quã vel incisa, vel membra. Ante igitur breui curriculo firment articulos, quam Herculano stadio se committant. Quum celeritas ab exercitatione feretur incitatius, sententiam eandem vno impetu percurrant, & concludãt in orbem. Est enim quando longa compræhensione curta illa & quasi mutila sustinere debemus: tum multa redigimus in vnum corpus, hoc modo, Quum voluptas debilitet vires, & inimica sit virtutibus, quumq; rationẽ mentis eludat & demum totum corrumpat hominem, hoc lætale monstrũ fugere debemus. Hanc continuationem, si puer aut quiuis rudis initio moliatur, & medio cursu perturbatus hærebit, & oblitus vnde profectus sit, & quo tẽdat iter, trahetur in errorem. Metiatur potius interualla breuiora, vbi principiũ finemq; eodẽ pene obtutu facile conspiciat. Ad hæc membra singula singulis

gulis punctis interiectis, singulisque literis gradiuscu-
lis distinguenda, vt explorantitum magistro, tum di-
scipulo clarius appareant, & notas legenti, vbi vocem
ponat, sententiamq; perficiat, ostendant. Ignorantia
puerilis sæpe minutissimis literis vtitur, angustissima
inter versiculos spacia relinquit, verba verbis nullo
interuallo sic alligat, vt singuli versus singulas tan-
tum voces habere videantur: nulla moræ respiratio-
nisq; signa figit: nullum ponit elementum matus:
perpetuo contextu sine discrimine ducit orationem.
Qua de causa neque scriptor, neque arbiter scripta
perspicere, neque hic aut ille spacijs exclusus iniquis
adijcere quicquam, neque a versu versum, neque a
verbis verba separare potest. Hoc nimirum scri-
bendi genus officit emendationi, mentis oculos he-
betat, omnemq; miscet & obruit intelligentiam. Par
ua in re sæpe grande momentum. Quid enim minus
operosum est, quam pingere obtusiore calamo, & li-
teras efficere grandes, vt oculis subijci, facile cogno-
sci, legiq; possint? Quid facilius est, quam sulcos &
ordines longe diducere, vt si fuerit opus, aliquid in-
terseratur? Quid minoris est operæ, quam principia
ducere a litera magna, exitus autem interpuncta
nota quasi terminos finire: vt quo loco sistendum sit
atque respirandum, nouerit & autor, & castigator?
Quid? quod distincta & expressa scriptura relegen-
ti iucundior est? Nihilne est in isto commodi? Hac
voluptate capti sæpius antedicta recognoscimus, prio-
ra posterioribus aptamus, & ad nouum cursum

im-

impetum maiorem concitamus. Ne autem præscriptæ res sit inutilis & ociosa, quanquam apologos & fabulas quidam (quorum est Aphtonius) inter exercitationes enumerant. Non omnes apologi, nec omnes fabulæ vanæ sunt. Sæpe enim continent grauissimam aut ad bene dicendum, aut ad bene viuendum sententiam, cuiusmodi scribentem deligere oportere existimo. Etenim quum omnis oratio constet rebus & verbis, & res sint animi instar in corpore: insanit ille, qui verba sine re, id est, orationem sine animo contexit. de quo Cicero præclare. Composite, inquit, & apte sine sententijs dicere, insania est: sententiose autem sine verborum ordine & modo, infantia. In leuitate rerum quid meditator assequitur præter nugas, & inanem verborum congeriem? Nonne satius est grauiora versare, quæ semel oratione tractata, vix excidunt animo, & ad similia reperiēda parant mentem? Si optimis quibusq; debemus assuescere (debemus autem) optima est oratio, quæ grauitate sententiarum dignitatem, proprietate & ornatu verborum pulchritudinem consecuta est. Tot sunt historiæ præclaræ, tot exempla rerum gestarum, tot decreta philosophorum, tot adagia, & argute dicta, quæ Græci ἀποφθέγματα vocant, tot similitudines & comparationes acutæ, tot sententiosa carmina poetarū, tam multa nobis suppeditant hominum sermones, tot tamq; varias suggerunt res lectiones cotidianæ: nihilne graue ex tam multis excipere possumus, quod verbis exprimamus, & vestiamus oratione? Id quidem

dem sicuti facile est, ita honestum & vtile, & ad excellentem disciplinam necessarium. Obtinuit autem consuetudo, aut potius abusus, vt tyrones literarum ante verba de loco in locum traijcerent, & illum naturalem ordinem permiscerent, quam cur, & quomodo illud faciendum esset, intelligerent. Improba certe quidem et insana ratio componendi, quæ naturæ sermonem, etsi interdum durum & incultum, tamen facilem & rectum, & priscis illis scriptoribus amicum despicit: perplexum, implicatum, permixtū, contortum, spinosum, exhorrentem, prodigiosum anteponit. Via publica (vt opinor) semitam ignorāti tutior est. Certa sunt incertis præstantiora. Vox gestusq; naturalis decentior est, quam flexus arte mala confusus, & dissonans. Nihil omnino tam ridiculum est, quā quod anxie & solicite eam cuius est expers, imitatur artem. An vero saltator ignorās numeros, palæstrites inscius cautionū & petitionū, gladiator imperitus armorum, dux rudis ordinum ridetur vt artifex ἀπεχνῶς, & simius imitator: non ridetur indoctus & ineptus verborum compositor, qui quæ sit ratio ordinis construendi, nescit, nihilominus more simiarum, sine aure, sine mente, sine iudicio, sine arte temperare vult orationem? Quum verbum de suo loco transtuleris, vbi collocabis? Melius, inquies, alibi sonat. Qui scis? Aurium iudicio opus est, & arte, vt hoc quale sit, certe iudicare possis: nec quod optime sonat, id semper optimum censetur. Potest illud εὐρυθμοῦν, & carmen, quod vitium est oratio-

orationis, efficere. Fieri potest, vt aliquid tibi sonorum, iucundumq; sit, alijs omnibus stridulum & odiosum. Cur de conglutinatione syllabarum, quæ iunctura dicitur, præcepta tradita sunt? cur de pedibus, de numeris, membris, de continuationibus, de imitatione tam multa scripserunt veteres, si omnia suo loco statuere nosti sine præceptis & arte? Non est ita, sed omnis elocutio arte constat, & vsu longo perficitur. Expectemus ergo tempus, vt amur consilio disertorum, ne quid inconsulto & temere loco donemus. Nam subeunda ratio collocandi (inquit Fabius Quintilianus) versandiq; omni modo numeri: non vt quodq; se proferet verbum, locum occupet. Sonantia exilia, grandia parua, volubilia tarda, numerosa dissoluta, perfecta mutila, discernat necesse est, qui suum cuiq; verbo locum assignat in oratione. Natura primũ sponte nascentes fructus, & tegumẽta rudia, & antea natiua dedit, deinde ars mitiorẽ victum, splendidiorem ornatum, & illustriores domos fecit. Sua quadam rebus est infantia, quæ quanto meliores sunt, tanto lentioribus augentur incrementis. Sunt & orationi sua incunabula. quamobrem alenda primum est quasi lacte natura parentis, donec lautiores apparatus arte sibi instruere possit. Quo tempore citra rhetoricas artes puer emendate magis & Latine, quam ornate loqui contendit, quumq; certam non habent rationem locorum, quibus apte verba constituat, vt atur ordine naturali: qui si pulcher est (vt frequenter accidit) ne ab artifice

rifice quidem est immutandus. Si quam interdum trahit secum deformitatem, tum securitate compensatur. Hoc tam seuere tamq; religiose teneri nolo, vt ne vnam quidem particulam traducere audeat. Dandum aliquid naturæ, & institutioni primæ, quæ nonnulla fœliciter in alia sede, si non certissimo, tamen aliquo iudicio locat. Sed in plurimis seruetur hic ordo, quem summi oratores aliquando seruant, vt in his & in alijs multis Cicero: Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colorem. Sed quæstiones vrgent Milonem, quæ sunt habitæ in atrio Libertatis. Interim paululum immutat: vt, Si quis Iudices forte nunc adsit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis vestræ, miretur profecto, quæ sit tanta atrocitas huiusce causæ, quod diebus festis, ludisq; publicis, omnibusq; negotijs forensibus intermissis, vnum hoc iudicium exerceatur. Quid quod poetæ studiosissimi componendi, sæpe a natura non recedunt?

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Mens immota manet: lacrymæ voluuntur inanes.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis.

Non pemteat me compositionis huius, Fortitudo est magnitudo quædam animi in rebus aduersis, quam qui habet, non metuit periculum, non expauescit mortem, non perhorrescit ludibria fortunæ.

Hic si quicquam forte miscebis, & a natura, & ab arte discedes. Natura autem vocandi casum, quoniam vim habet excitandi, primum statuit:
vt:

Tytere coge pecus. -

Quia aut nomine aut vocabulo signatur ea res, de qua loquimur, sine qua nullum in oratione fundamentum est, nominandi casus verbo anteponitur, illi verbum subijcitur ad explendum animi sensum,

Nox erat -

Altera lux aderat -

Nominibus & appellationibus epitheta, verbis aduerbia, regentibus subiecta coniunguntur, vt in hac oratione: Virtus optima præceptoris, amare sancte discipulos, & continere bonos honore, malos seueritate disciplinæ. In his est ordo naturalis, de quo in præsentia mẽtionem facimus, & quem ab imperito scribendi tamisper obseruari volumus, donec rationes et præcepta collocandi norit. In proferendis exemplis vtrum natura præferatur, nomenne rei, an epitheton, non magnopere laboro. Res quidem accidentibus prior est, sed oratio quæ expedite fluere debet, ad hos scrupulos tam molestos deducenda non est. Adhibenda sit diligentia: tamen hic magis offendit nimium, quam parum. Hoc sit mihi naturale, quod a ratione naturæ aut nihil aut parum discedit. Sit potius incorrupta Latini sermonis integritas & cura. Nunc obiectionibus quorundam occurrendum mihi videtur. Quid? inquient, e lectionibus quotidia-

tidianis nihil ne transcribet imitator in rem suam? Non assumet cuiusque pulcherrimæ locutionis elegantiã? Ad quid aliud optimi libri præleguntur? Diximus a poetis sumendũ esse discendi principiũ. Aliam poetis, Aliam vero oratoribus eloquendi speciem, de qua Neoptolemus iste iudicare nõ potest, esse constat. Nihil hic agitemere volumus. Quid fieri iubes? An ne totos versus, aut hemistichia pro oratione soluta haberi? An poeticum & inusitatum dicendi genus in vsum trahi? Hoc quidem neque decet, neque salubre est, neque Rhetorum quisquam suasit genera permiscere, atque dediscenda magno labore conquirere. A poetis igitur verba propria & translata nonnulla sumat. Loquendi formulas in tempus aliud omittat: vt infans quum pendet ab ore nutricis, non imitatur orationem primorum ciuitatis & regum etiamsi loquentes sæpissime audit. Ita ab ore præceptoris pẽdeat alumnus, sermonem eius exprimere nitatur, ad sublimitatem poetarum ne teneras manus extẽdat. Non enim semel poetæ leguntur. Non omnes eorum virtutes simul capessuntur. Alijs rebus & suum tempus erit, quum paulatim adoleuerit disciplina. Interea audiat a magistris poetas interpretantibus quæ cuiusque verbi natura sit: multum proprijs vtatur, alienis & figuratis parce & verecunde. Sentis ne permultos in oratione sonare quiddam poeticum, grandiloquum, & abhorrens a ratione dicendi? Tardius se contulerunt ad oratores: poetas aliter quam bonum fuit, imitati sunt. Fabulæ Terentianæ ser-

moni proximæ, verborum proprietatem suppeditabunt, & fragmēta locutionum. At si inde transscripseris integras sententias, eisq; pro tuis veteris, versum interpones in oratione vitandum, & in suspitionem furti venies, ac prouectus eruditione audies illud:

O imitatores seruum pecus, vt mihi sæpe
Risum, sæpe iocum vestri mouere tumultus?

Futurus orator mittebatur ad histrionem, longe tamen aliter voce & gestu corporis vtebatur, atque histrio. Sic vtendum rebus poetarum. Quid ego de poetis ante dixerim, memini: nihil discordāt ab istis. Nunc enim de scribendi rudimentis ago, quæ neque poetica, neq; naturæ dissona esse volo, donec ars & ratio collocationis accesserit. Quid si familiares epistolas vna cum poematis pueri discant, & illud sponte fusum dicendi genus vsurpent? Patiar quidem. Nemo arbitretur eam, de qua loquor, imbecillitatem, virtutes hominum doctorum intelligere posse, & quod quidem necessarium est bene imitari volenti, iudicium firmum habere. Sunt qui a pueris vno aut altero mense leuiter institutis plus exigant, quam ipsi totos annos decem informati præstare possint. Quod habent effundunt ante maturitatem: ingenia fœlicia deterrent a studio literarum, nihili sapientiores ijs matribus, quæ pro lacte vinum liberis infundunt, & eorum molles neruos adurunt, ac viscera. Seuocant pueritiam ad formulas quasdam legesque magna cum religione seruandas, quibus nemo

vnquam

vsquam factus est doctus. In legendis optimis quibusq; scriptoribus verba paulatim discenda sunt, vsus obseruandus, non anxie vero complexus illorum transferendus. Multa exercitationum genera Cicero tradit, multa Quintilianus ex Aphthonio, sed neuter illorum mentionem fecit de locutionum formulis, de officinis, de epithetis, de Calepinis adauctis: neuter enumerauit copiam verborum, & ea quæ seligeret imitator, quæ sunt prope infinita. Satis erat lectorem monuisse paucis, vt virtutes eius, quem vellent imitari, cognosceret: ex eo verborum copiam, sententiarumq; bonitatem, quantum decorum pateretur, exciperet. Missa igitur faciant istæ tyrones, de proprietate verborum laborent: hanc e bonis autoribus aliud agentes, non ex enchiridijs petant: alioqui prodigiosam ex dissimilitudine formarũ component orationem: resistent vbiq;, & formula destituti, quod ad præscriptum loquantur, non habebunt. Ne quis obstrepat hic mihi, de locutionum genere fusiore loquor. Si quis duo triave tantum verba comecta decerpit ab alio sic occupata, vt tam bona reperire non possit, non reprehenda.

Quæ pars Rhetoricæ prima discenda, quæ partitio verborum, quæque ex illis aut legenda, aut repudianda.

CAP. IX.

IN eo genere, quod sponte funditur, versetur puer (est & senex puer) donec proprie, incorrupte,

& integre, si non omnia, saltem vulgatiora loqui, & condere versiculos possit. Ne propere festinet ad ornatum is qui per eruditionis ætatem iacere debet in cunis. Suum cuique rei tempus est, a nobis prudenter expectandum. Quum ex emendata Grammaticæ disciplina, & e poetarum lectione prodierit ad historicos & oratores, tum & cœpta conficiat, & comptiorem meditetur orationem. Elaboret diligentius in elocutione & partibus illius, quam in rerum inuentione & dispositione: propterea quod inuenire & collocare sententias, proprium magis est prudentiæ & ingenij, quam artis: deinde quod inuentam materiam suppeditat magister. Elocutio contra magis est artis, quam prudentiæ, nec a docente cum rebus ipsis subministratur. Adde quod hæc in enumerandis literis & syllabis, in dimetiendis pedibus & interuallis, puerile quiddam habet, ætate prima deuorandum: de quo Cicero in Oratore. De verbis enim componendis, & de syllabis propemodum dinumerandis & dimetiendis loquemur: quæ etiam si sunt, sicuti mihi videntur, necessaria, tamen fiunt magnificentius, quam docentur. Est id omnino verum, sed proprie in hoc dicitur. Nam omnis magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat, radices stirpesq; non item. Sed esse illa sine his non potest.

Hæc ille. Facile non est hominem altius elatum ad eiusmodi radices stirpesq; reuocare. Plerique cõtemnunt hanc rerum humilitatem. Plerique eandẽ frustra cupiunt: quoniam illis sic indurauerunt aures,

vt

vt sonorum modorumq; discrimen internoscere non possint. Praeterea si inscriptitandis orationibus prauum characterem ipsi sibi proprium fecerint, stylumq; diuturna exercitatione firmarint, nequaquã tandem quæ sit recte componendi ratio, docebuntur. His ego causis adductus, quæ scripta sunt de elocutione præcepta, etsi naturæ ordine tertia sunt, primum tamen exponenda pueris existimo. Non est idem ordo scribendi, qui docendi. Quod naturæ primum est inuenire quæ dicas, alterum inuenta collocare, tertium verbis exprimere: scriptores artis hũc ordinem sicuti sunt. Quoniam autem sine magnarum rerum scientia inuentio ieiuna est, aliudq; tempus desiderat, & præceptor discipulis debet partiri materias, aut assignare locos vnde res excipiant, aut eos ad communẽ sensum remittere: ars eloquẽdi, sine qua temere locantur omnia, in docendo prima sit. Inuentio vna cum prudentia iudicioque crescet, audiendo, legendo, conferendo, disputando, diligenter & assidue scribendo. Si quid in hac re qui docetur, errabit, in viam facile reducetur. Artificiosa constructio verborum, vix vnquam cuiquam erit in manu, nisi statim nouerit quæ syllabarum sit quantitas, quæ differentia verborum, quæ coagmentatio, qui pedes orationis, qui modus in eorum collocatione, quæ periodi numerosa circunscriptio. Nec ista nouisse satis est: in calamum & vsum vocanda sunt. Alioquin erunt quasi thesaurus absconditus. Qui rerum cognitionem ante didicerunt, ad orationem

postea reuoluti, scient id esse verum quod loquimur. Quam vellent eloqui posse quod mente concipiunt? quam cuperent suas cogitationes monumento literarum committere? Tempus obstat, præterijt opportunitas, labor infelix territat, alio mentem trahunt negotia grauiora: quapropter studiorum fructum percipere non possunt. Huc igitur incumbant pueri huc neruos intendãt. hanc molestiam subeant, vt postea liberius glorioſiusq; cætera discere & tractare possint. Hoc Cicero præcipit: Sit is qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili. Quum sit autem verborum ornatus duplex, vnus simplicium, alter collocatorum: simplicem primum considerent, & imitẽtur architectos & artifices, qui partes ante probant, quã comungant in vnũ. Sciant quã varia sit natura verborũ. Sunt enim pudica obscœna, nitida sordida, visitata, inusitata, Latina barbara, vrbana agrestia, sublimia humilia, grauia leuia, propria assũpta, vetera noua, sonantia exilia, grandia parua, tarda volubilia, lenia aspera, integra corrupta. Est & quiddam medium interiectum, vt inter priscum & nouum, inter sonorum & tenue, inter grande & paruum, inter tardum & volubile, inter lene & asperum. Ex his obscœna relinquantur poetis epigrammaticis, lyricis, mimorum & elegorum scriptoribus, satyricis, impudicis, vt Catullis, Horatijs, Ouidijs, Martialibus, Iuuenalibus, Apuleijs, spurcis & fœdis hominibus, qui metuunt ne sui libelli castrati esse videãtur

Habe-

Habeant isti pudenda virilia atque muliebria, perfricent frontem, abijciant pudorem: stupra, adulteria, probra, libidines Venereas etiam prodigiosas suis verbis efferant. Nihilo verecundius agant quam leno, quam meretrix, quam cinædus, quam flagitiosissimus homo & imprudentissimus. Inquinent Musas castissimas nefaria turpitudine verborum, scriptorum quam scriptorum similiores: dicant hæc more improborum, Verba non putent. Reijciant honestorum consuetudinem, sentiant cum impura colluuione stupratorum, & putida verba tandem cum subolenti flagitio dicant. Quintiliani sententiam de verbis, reuereantur honestiores. Sed ne inornata sunt quidem, inquit, nisi cum sunt infra rei, de qua loquēdum est, dignitatem, excepto si obscœna nudis nominibus enuncientur. Quod viderint, qui non putant esse vitanda, quia nec sit vox vlla natura turpis, & si qua est rei deformitas, alia quoque appellatione quacunque ad intellectum eundem nihilo minus perueniat. Ego Romani pudoris more contentus, vt iam respondi talibus, verecundiam silentio vindicabo. Quintilianus hæc sanctissime. Subobscœna non modo non collocabit in oratione verecundus & ingenuus puer, sed ne leget quidem scriptores impudicos, quoniam morum sanctitas hac meretricia diciplina præstantior est. Leget ista postea vir factus, doctrinaque seuerior confirmatus: quanquam & illis tum omnino carere potest, in tanta honestissimorum copia. Quid si turpia aliquando venient in

causſam

cauſſam? Vtetur ea arte, qua Cicero tertia in Verrem: Itaque primum illum actum iſtius vitæ turpiſſimum & flagitioſiſsimum prætermittam. Nil a me de pueritiæ ſuæ flagitijs peccatisq; audiet, nihil ex illa impura adoleſcentia ſua, quæ qualis fuerit, aut meminiſtis, aut ex eo quem ſui ſimillimum produxit, recognoſcere poteſtis. Omnia prætеribo quæ mihi turpia dictu videbuntur: neque ſolum quid iſtum audire, verumetiam quid me deceat dicere, conſiderabo. Vos quæſo date hoc & concedite pudori meo, vt aliquã partem de iſtius impudentia reticere poſſim. Omne illud tempus quod fuit antequam iſte ad magiſtratus Remq; publicam acceſſit, habeat per me ſolutum ac liberum: ſileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigilijs. Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat. Damna, dedecora, quæ res patris eius, ætas ipſius pertulit, prætereantur. Lucretur indicia veteris infamiæ, patiatur eius vita reliqua me hanc tantam iacturam criminum facere. Videsne quid ſignificet? ſentis quid hoc ſchemate aſſequatur? Decorum ſeruat in perſona ſua, aduerſarium grauius lædit, quam ſi rem omnem detegeret. Similem quoque pudorem retinent heroici poetæ, Vt Vergilius in octauo-

—Ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidumque petiuit
Coniugis infuſus gremio permembra ſoporem.

Quinetiam idem verecundus eſt in Venere beſtiarum, quum dicit hæc tertio γεωργικῶν:

Hoc

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior vsus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes,
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusq; recondat.

Quintiliano similis pudentia non defuit, vt in isto, Iam si minor in eligendis custodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra nefandi homines isto cadendi iure abutantur, quam det alijs quoque nonnunquam occasionem hic miserorum metus. Non morabor in parte hac. nimium est, quod intelligitur. Pueri liberaliter educati, & pene infantes puellæ hunc ruboris colorem seruant in loquendo: Quid faciet natu maior disciplinis liberalibus exultus, quem potissimum commendat grauitas & verecundia? Ad turpia contegenda seruit translatio, quam Græci μεταφορὰν vocant, vt aruum genitale pro vulua: & ἀποσιώπησις, hoc est, reticentia, vt, Nimium est quod intelligitur, & suppressio verbi, quæ dicitur ἔλλειψις,

Nouimus & qui te-

& συνεκδοχὴ, vt,

- Rapiat sitiens venerem.

& ἀλληγορία, id alia oratio, & continua translatio, vt,

- Sulcos oblimet inermes.

& κατάχρησις, quod est abusio, vt in hoc Persiano.

Patricia immeiat vulua-

abutitur verbo immeiat, quia nullū rei, de qua agitur propriū est: satyricā tamen nō effugit obscœnitatē.

De

De verbis sordidis.

CAP. X.

Sordida sicut obscœna recipiunt ij qui vilem & abiectam materiam tractant, vt Martialis,

Si memini, fuerant tibi quattuor Aelia dentes,
Expuit vna duos tussis, & vna duos.

Ventris onus posito (nec te pudet) excipis auro,
Basse bibis vitro, carius ergo cacas. Persius:

—Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues. Pueri, sacer est locus, extra
Meijte—

At si vnctus cesses, & figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores, penemq; arcanaq; lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vuluas.
Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasq; nates labefactent forcipe aduncа,
Non tamen ista filix vllo mansuescit aratro.

Fœda sunt, Expuit, Cacas, Oletum, Meijte, Arcana lumbi, Runcantem penem, Vellant plantaria pilorum, Nates: Translata sunt quidem, Arcana lumbi, Runcantem penem, Vellant plantaria: sed & aliquando metaphora sordet, vt Iuppiter niue conspuit Alpes. Castrata morte Aphricani Resp. Stercus curiæ Glaucia. Persecuisti Reip. vomicas. Emunxi pecunia senes. Inter sordentia numerabo (licet enim docēti)

latri-

latrinas, matelliones, culum, podicem, sterquilinium scaphia, simum, lotium, merdam, ructum, eructare, vomere, pedere, aluum, aqualiculum, vesicam, pus, pediculum, pulicem, cimicem putere, cauponari, lutum. Quintilianus inter sordida ponit Sarracū, Trusionem, Ruscionem: quæ humilia, non sordida appellabo. Statuendum enim discrimen est inter obscœna, sordida & humilia, nequa sit in docendo confusio & ambiguitas. In carmine Persiano Marcentes vuluæ, verbum dicatur obscœnum: Nates, sordidum: Gausape pro barba, humile & abiectum, obscœnū, sordidū est: non quicquid sordidum, semper est obscœnum. Hæc confunduntur interdum, scio, sed docenti sinendum est quo quicque vocabulo proprie significet. Ex ijs quæ fœda lutulentaque sunt, nescio quomodo, alijs alia sunt acceptiora, vt vomere, quam cacare, vrina quam meiere, ructare quam pedere, lutum quam putere. Quanto ad vniuersum genus propius accedunt, tanto mihi videntur vsitatiora. Sordidis vtuntur medici adducti quadam necessitate, Item rei rusticæ explanatores, vt quid velint, proprijs nominibus exponant, Bucolici poetæ raro, Lyrici nonnunquam, Satyrici & epigrammatici plus satis. Heroici & oratores non eo deijciunt maiestatem ac dignitatem orationis, vt opus honestum & nitidū inquinent fœditate male olentiū verborū. Quam mihi seruabit honestatē qui bene cōponendi gloria ductus, verecunda & nitida leget. Nihil est omnino quod magis oratione abijciat, quam sordes & obscœnitas. hinc illud

Quinti-

Quintiliani, Nec sordidis vnquam in oratione erudita locus. Cœleste quiddam ac diuinum est oratio bene constituta, quam spurcitia & verborum proluuione contaminare nefarium duco. Indulgeant sibi qui praua licentia gestiunt, & impuris hominū moribus destinant suos labores. In oratione iuuenili, sicut in ætate, verecundiam, pudorem, honestatem, & illud ἠθικὸν ad naturam & ad mores, & ad omnē vitæ consuetudinem accommodatum, seruari oportere iudico. In habendo verborum delectu, sicut militum, non est omnis ætas, aut lingua, aut conditio, aut natura conscribenda. Nec enim miles ætate fractus, nec obscœnus, nec barbarus, nec lutulentus inter honestos ciues bene audit.

De verbis inusitatis.

CAP. XI.

PRæterea inusitata verba & insolentia esse fugienda mōstrauit ignominia Sisennæ. C. Ruscius accusauit Chirtilium, Sisenna defendens dixit quædam eius sputatilica crimina. Tum C. Ruscius, Circūuenior, inquit, iudices, nisi subuenitis. Sisenna, quid dicas, nescio: metuo insidias. sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio. Maximi risus. sed ille tamē recte loqui putabat esse inusitate loqui. Hæc Cicero in Bruto. qui non semel præcipit, vt verbis vsitatis illustremus orationem, propterea quod inusitata sunt obscura, obscuritas autem est (vt ait)

in ora-

in oratione ciuili vitium vel maximum. Quid enim attinet dicere, si nolis intelligi? Ad quid est oratio? Ad obijciendas tenebras, an ad explicanda sensa mentis? Vt autem animi conceptus explanabit id quod ipsum lumine interpretationis eget? Si summa virtus orationis est claritas, vt est, summum profecto vitium erit σκοτίζειν, Et si oratoris officium est docere & explicare controuersiã, huic rei contraria sunt verba inusitata & inaudita: & si denique quanto quis eloquentior, tanto dilucidior est: certe quanto quis indoctior, tanto obscurior. Praferamus igitur lucem tenebris, diem nocti, serenitatem nubilo cœlo, & vt priscorum glandes repertis frugibus, sic & eorum verba, melioribus inuentis, missa faciamus. Cæsari credamus ingenij acerrimi viro, verbum insolens & antiquatum tanquam scopulum esse fugiendũ. Imitemur eloquij parentẽ M. Tullium, cuius oratio verbis vsitatißimis expressa, qui Romane loqui debeamus, ostendit. Egregiam vero & eximiam laudem refert, qui obliterata multisq; seculis obsita refert in vsum, & cum præsentibus quasi cum matre Euandri loquitur, forte quod pauci imperitiores dictitant illud, Tanto melior, ne ego quidem intellexi. Aliter visum est Cicer. in hac re iudici vel optimo, qui in oratione pro Cluentio Cepasium rider, quod ex tam multis auditoribus nemo, quid ille sibi vellet, intelligeret. Hoc vitium solet ijs accidere, qui verba in medio posita respuunt, trita & vsitata aspernãtur, communia & omnibus aperta pro vitiosis habẽt, venan-

tur abstrusa, laudant insueta, optima censent, quæ paucis aut nemini sunt cognita. Relictis omnibus orationis insignibus, duo summa flagitia committunt, in quibus eloquentiæ fructum ignari rerum esse putant: verba prisca locant, temere permiscēt omnem loquendi consuetudinem. Hoc autem prodigiosum dicendi genus adsciscunt in vmbra ac in otio, quum ad ingeniorum ostētationem ignotissima quæq; proferunt in medium, vt plura legisse, plura didicisse videantur. Vulgi sequuntur opinionem, cui ignota & incomprehensa admirationi, nota & conclusa contemptui sunt. Lectitant Ennij versiculos apud Ciceronem, apud Aulum Gellium, & Nonium Marcellū. Passim colligunt, quæ venosus Accius, & verrucosus Pacuuius antique dixit. Plautina & Lucretiana referunt in enchiridium, vt cum sit vsus, expromant. Perlegunt scriptores ineptissimos, qui Chaldæa Hebræa, Persica Macedonica, Græca Latina, barbara peregrina, nota ignota, pura & impura confundūt, tametsi nullius omnino linguæ docti peritiq; sunt. Ex illis eliciunt asperam (cum Persio dicam) loquendi sartaginem. Plurimi enim ridicule docti extiterunt hoc sæculo proximo, quorum laus omnis orto lumine bonarum literarum adumbrata est. Horum periculo sapiant intacti, & dum exercentur apud magistros, nunquam inusitate loquantur. Non omnibus omnia licent. Pueros vsitatis assuescere, prisca notare volo. Quum abierit ignorantiæ suspicio, concedam vt prisca & inusitata liberius vsurpent, quibus

loco

loco positis grandior atque antiquior videtur oratio. De quo sic Tullius de Oratore, libro tertio: Inusitata sunt prisca fere ac vetusta, & ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, quæ sunt poetarum licentiæ liberiora, quam nostra, sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. Neq; enim illud fugerim dicere vt Cælius, Qua tempestate Pœnus in Italiam venit. Nec prolem, aut sobolem, aut effari, aut nuncupari, aut, vt tu soles Catule, non rebar, aut opinabar, & alia multa, quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio sæpe videri solet. Ad quod alludens Quintilianus hæc, Verba a vetustate repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam, non sine delectatione. Nam & autoritatem antiquitatis habent, & quia intermissa sunt, gratiã nouitati similem parant. Sed opus est modo, vt neq; crebra sint hæc, neq; manifesta: quia nihil est odiosius affectatione: nec vtique ab vltimis & iam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt toper & antigerio, & examlare, & prosapia. Pauca asperfit operi Vergilius,

Cælicolæ magni, quinam sententia vobis
Versa retro.
Igneus est olli vigor, & cælestis origo.
Tros Rutulusve fuat.
Vnam ex virginibus sociis sacraq; caterua
Compellabat.
Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipse

Concitat-
Vt rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Troianas sustentat opes-
- Pulchra faciat te prole parentem.

Prisca sunt, quianam olli fuat, compellabat, effatus, rebare, prole: quibus & similibus antiquius sit & grandius heroicum poema. Talia quædam vir impense doctus in re graui, seuera, tristi, nō indecore (si modo raro) ponet. Nec enim omnes, nec in omnibus locis, nec semper, nec omnia decent: & hoc nostrum sæculum fastidiat omnia quæ Ciceronis autoritate defendi nequeunt, quem antiquitatis huius admodum parcum fuisse constat. Iam quis feret hæc? Opulíscere pro ditescere? Paupertauit pro pauperem fecit? Paucies pro raro? Latibulet pro lateat? Ignauit pro ignauum fecit? Occepso pro cœpero? Obstrigilare pro obstare? Porcet pro eo quod est prohibet? Redostit pro rediit? Ruspari proscrutari? Redurare pro aperire? Grandibo pro extendam? Conscribellaui pro conscripsi? Ebriulare pro ebrium facere? & sexcenta alia, quæ posteriores non receperunt, propterea quod essent aut agrestia, aut aspera, aut vrbaniorum consuetudine destituta. Vbi breui finiam, vsitatis tutius vtemur.

De verbis barbaris.

CAP. XII.

Barbara

Barbara quoq; locum non habent in oratione pura ac Latina, nisi forte vt homines externi, sic illa donata sint Romana ciuitate. Recepta sunt a multis gentibus nonnulla, vt a Gallis carrus, rheda, petoritum, carruca, alauda, gesum, gallice pro soleis, a Britannis couinus, a Germanis essedum, ab Hispanis lancea, a Sardis mastruga (scribitur & mastruca) a Pœnis mappa, a Persis gaza, a Macedonibus phalanx, abaccolis Padi ploxenum, a cæteris Italiæ populis multa, quæ nunc pro Latinis ac domesticis habentur: a Græcis plurima, quod inter barbaros sola Græcia non esset. Ex his alia integra manserūt, vt lego, fero, propino, lampas, eclipsis, peristroma. Alia sunt inflexa, vt domus, ager, poema, fama, bos, musa, anima. His & eiusmodi multis licet puer vtatur. Quinetiam Græca quædam Latinis immiscere, & suis literis notare interdum licet, & quid occultare volumus, aut si nostris venustiora sunt Hellenica, aut si cuius hominis Græci verba memoramus, aut si nostra desunt, quod frequenter accidit in nominandis arboribus, piscibus, auibus, herbis, radicibus, instrumentis, medicamentis, partibus corporis humani, suppellectile, gemmis, lapillis. Discant vtranque linguam necesse est ij, qui Latina a Græcis, Græca a Latinis segregare volent. Quod quum fecerint, est enim cum primis necessarium, Latine quam Græce loqui pulchrius & decentius, credo, existimabunt. Turpe quidē est, & inutile, morem ciuium suorum, vsus quotidianos, propriū sermonem, linguā patriæ

triæ deferere, desciſcere ad alienos, & externa malle tractare, quam domeſtica atque familiaria. Nam ſi propter Latina Græcis operam damus, quid ita Græca Latinis anteponimus? Quid peregrina fruſtra ſequimur, noſtra damnamus? cuius ſumus hoſpites in patria? Quin audimus M. Tullium dicentem, nolleſe magis vti Græcis in oratione Latina, quã Græci Latinis vtantur in Græca? Ridiculus eſt, qui Græce nugatur, neſciens Latine, quiq; in medio poſita non attingit, longinqua & fugitantia fruſtra perſequitur. Prima ſit cura puero, vt Latine loquatur, Græca ſine cauſa valida ne admiſceat: barbaram vocem vt contagionem vitet. Omnis autem vox barbara cenſetur quam indecore fuderunt imperiti, non admiſere docti, vt leuca, paſſagium, treuga, aucha, manutenẽtia, capellania, locumtenens, capellanus, bannum, guerra, pitantia, piretum. Quid moror? Sunt alia prope infinita, quæ vulgus imperitorũ facit imitatione ſermonis eius quem didicit a nutricibus, præter illa quorum vi, natura, genere, declinatione abutitur, vt tenetur pro debet, furauit pro furatus eſt, domauit pro domuit. Quæ niſi exhorreat rudior ætas perinde atq; ſerpentem, niſi timide & religioſe obſeruet vſu doctorum probata, nunquam pure, ſyncere, terſe loquetur. Sermonis, vt morum, verecundia mihi placet, diſplicet licentia: quam indulgent ij, qui verentur ne puer, ſi eius conatus infœlices reprimas, parũ ſit copioſus. Probat agricola luxuriantem ſegetem, quæ depaſcenda ſit in herba: ſpinas & carduos nunquam pro-

probat. Hic etiam corrigendus est error illorum, qui quicquid in receptæ dignitatis scriptoribus reperiunt, verum, probum, idoneum arbitrantur. Quot sunt apud Catonem, Plautum, Terentium, Lucretium, Varronem, quibus iam vt obliteratis non vtimur? Quot apud recentiores nominis amplissimi subolent barbarum quiddam, & offendunt aures eruditas? Probati sunt autores, sed temporis & præsentis vsus habenda est ratio. Ergo in eligendo opus est prudentia, & illorum imitatione, qui tempore Ciceroniano, & paulo post literis & doctrina floruerunt. Tum multo elegantissima fuit Romana lingua, & longo interuallo superauit antiquorum vastitatem. Ex verbis priscis multa antiquauit, multa neglexit, multa reseruauit aut ad necessitatem, aut ad seueritatem. Itaque valeat in his quod aiunt. Nec passim, nec ab omnibus. Nullus est enim delectus, si omnibus vtimur promiscue.

De verbis agrestibus.

CAP. XIII.

EST præter hæc verborum quoddam genus vastum, insuaue, rusticanum, agreste, inamabile, absonum, & absurdum, quod vix vnquã apud principes linguæ Latinæ reperias. Rationẽ quæris? Non video, nisi quod inuenustum ingratumq; est auribus eruditis: vt hominũ quidam natura sunt inepti, deformes,

mes, illiberales, inhumani, duri & asperi, qui quidem inter aptos & habiles nullum vnquam dignitatis inuenerunt locum. Hanc verborum acerbitatem & offensionem sæpenumero parit inflexio, vt cœlicolæ, amandæ, insaniæ, archipiratæ non displicent: at cœlicolarum, amandarum, insaniarum, archipiratarū, nescio quomodo iniucundus est sonus, & ingrata quædam magnitudinis moles, qua grauiter offensi exultiores viri συγκοπὴν, quæ talia minus odiosa faceret, inuenerunt. Decurtarunt aliqua venuste, & cœlicolum pro cœlicolarum dixerunt at multa ne hoc quidem modo quasi dolare potuerunt. Fœdius est insanium quam insanarum, & archipiratum quam archipiratarū. Nec auris expurgatæ vir lubenter audire poterit hos casus, contemplandorum, duorum virorum, triumuirorum, sestertiorum, nummorum, quadringentorum annorum, facum a face, nucum a nuce, picum a pice, nostratium, vestratium, sobolū, amarorum ab amarore, cornuū, genuum, luctuum, specierum, progenierū. Nec multo libentius exaudiet alius in patrio casu, peculij, Vergilij, Laurentij, Didonis, Calstonis, poematibus, manui gustui. speciei progenici, speciebus, & infinita generis eiusdem. Quæ (malum) ista est superstitio? nescio. In omnibus rebus pulchri voluptas in precio est, vilis autem deformitas. Erasmus in Ciceroniano ridet hanc religionem. Ego vero non rideo, si modum seruat. Visum est optimo cuiq; sic loqui, non modo Latine, sed etiam Græce, Gallice, Germanice, Britānice. Agit in eos qui

vnum

vnum mirantur Ciceronem suum, qui vigilanter observant quos ille probarit casus, eosq; quasi reliquos omnes improbaturi, referuntur ingentem librum Hos ex parte ridiculos, ex parte tolerabiles esse puto. Quod in lectione verborum laborent, vehementer probo. Quod numerum conficiunt eorum quæ elegãtia, quæque vasta sunt & inamœna, non interrogantes aurium sensum, probare non possum. Non est hoc neque numeri, neque auctoritatis, sed ingenij, magnique iudicij. Sentit ingeniosus & exercitatus quid vrbane, quid rustice sonet, & illiberaliter: numerum certum non habet. In eo ipso peccant & quidam grãmatici, qui innumerabilem vocabulorum turbam referũt in heteroclita, quod illis numerus aut singulariter, aut pluraliter, aut casus vnus pluresve desint: quasi numero comprehendi possint omnia declinationum coniugationumque membra quibus ornatiores viri non vtuntur. Quis liberaliter eruditus, præter Mancinellos, dicat, dementiam, concordiam, vigilantiam, alborem, dulcedinem, carere numero plurali? Tamen in dementijs, insanijs, concordijs, dulcedinibus, alboribus, nullus est gratiæ decor. Non omnino desunt eis alterius numeri casus, sed pauci venusti iucundique suppetunt, in quibus numerandis operam perdere quid est necesse? At durum & inuenustum habeo pro nullo. Ego quoque habeo in re molli & decora, non eodem modo in dura & insuaui. Rarus est vsus istorum, non tamen omnino nullus. Quid hic agam? Muta figuram. Res eadem pluribus

modis efferri potest. Eadem est ratio in coniugatione verbi, quæ in declinatione nominis. Amabitis, amaueratis, amaremini, amaminor, amaremur, formidabar, verecundabar, cuperemur, legiminor, audirere, audiremini & alia rationis eiusdem. quæ pares aut plures habent syllabas, adeo vasta sunt, & auditu tristitia, vt perraro intromittantur in orationē elegātem & excultam. Nec illud est modo in casibus partiū orationis. Vt horridulū sonum fugerent veteres quanuis graues & seueri, dixerunt pro duello bellum, pro duis bis, pro duellio bellium, pro axilla alam, pro vexillo velum, pro taxillo talum, pro paxillo palū, pro si audes sodes, pro si vis sis, pro aisne ain', pro non quire nequire, pro magis velle malle, pro nō velle nolle. pro non scire nescire, pro post meridiano pomeridianum, pro medidie meridiem, aufugit non abfugit, auferre non abferre, amouit non abmouit, abstulit non abtulit. Plura numerat M. Tullius in Oratore, quibus refutantur horridi & vaste hiantes homimes barbari, qui de verbis laborandum esse negant. Cur dicimus amasti amastis, amassem amassemus amassetis amasse, steti non staui, dedi non daui, perij, præterieram, audierunt, venierunt? Cur vera & ingra mutamus? Cur hæc magno consensu doctissimorum hominum citra omnem carminis necessitatem recepta sunt? Proh deum hominumque fidem, præfectus fabrum, duumuirum, triumuirū, liberum pro filijs & filiabus, sestertium, nummum, septingentum, metu pro metui, vt hic,

Parce

Parce metu Cytherææ.— Die prodiei,
Libra die noctiq; pares vbi fecerit horas.
Cur inducta ſyncope, apocope. ſynæreſis, πάθη τῶν ὀνομάτων ἢ ῥημάτων? Cur vincla ſæpe Liuius. ſecla Cicero dixit? caldam & ſoldum tota Latinorum ciuitas? hoc ne poeticum? nequaquam. Quale igitur? ingenuum & vrbanum loquendi genus: quod qui deſpicit, matris ſuæ linguam balbutiat infantiſsimus. Ne communem tot gentium linguam qua ciuitates, populi, nationes, regna, imperia habent inter ſe commercium, qua poemata, annales, hiſtoriæ, leges iura ſacra, profana, artes & ſcientiæ omnes explicantur, ne tam celebrem linguam turpiter & fœde polluant atque corrumpant. Ex hoc numero verborum abſonorum alia per interciſionem aptiora fiunt, vt præterieram, ſeſtertium. Alia per apocopen, & extremæ ſyllabæ decurtationem, vt exin, dein, ain', noſtin', metu, tribunal, nam integrum fuit tribunale. Alia per ſynæreſin, qua duæ ſyllabæ in vnam conflantur, vt peculij ſcribimus, ac ſi eſſet quatuor ſyllabarum, duas tamen poſtremas literas in vnam collidimus. Alia per mutationem, vt aufero. ſuſtuli alia per additionem, vt redeo, ambio. Plura manſerunt rudia & impolita, quibus nemo niſi malus architectus ædificat orationem. Quum reieceris & obſcœna & ſordida, & inuſitata, & barbara & ruſticana, cæteris vt tare licet, non temere quidem & promiſcue, ſed vt natura rerum & decorum poſtulabit. Quod quale ſit, ſuo loco dicemus.

De

De verbis humilibus.

CAP. XIIII.

HVmilia nullam penitus habent dignitatis autoritatem. Sunt enim quasi humi detecta, & ad extremam honestorum conditionem redacta. Quapropter sicut in oratione gracili & humili collocantur, ita in ornata, ampla, grauí sublimi, locum non habent. Exempla suppeditat haud pauca Vergilius in Bucolicis, cuiusmodi sunt capella, viburna, caseus, arbusta, casa, tugurium hibiscus, mulctra, mulget, lyciſca, vitula, myricæ, corylus, saliunca paliurus, & quatuor hæc loco fistulæ cicuta, auena, arundo, calamus: ruminat, sinum lactis, vaccæ, buculæ, opilio, bubulcus, fiscella. Suppeditant etiam multa Satyrici, in quibus sunt saliua, occare, runcare, arrocrea, synciput, syngultire, trama, omentum, offa, olla, cornicari, sclopus, cuminum, pappare, lallare, canthus, agaso, farrago, uappa, sambuca, gluto, saperda, stuppæ, obba, festuca, pannucius, pannosus, seriola, tucetum, pituita, puppa, caballus, sumen, corbis, porcus, verruca, scopæ, sartago. Finis non erit si cuncta persequi velim quæ posuerunt satyrici, medici, philosophi naturales, epigrammatici, mythici, qui que de re rustica libros confecerunt. Coguntur enim vilia quædam vsurpare verba, nota atque trita vulgo, dignitatibus aut ignota, aut certe nisi quando se demittunt, indecora. Non enim deceat reges & principes & grauiter agentes abiectissima nominare artium

artium instrumenta, aut animalia ignobilia, aut morborum medicamentorumque minutas species. Si quis tamen aut apud M. Tullium, aut Vergilium in Aenea, aut Liuium, talia quadam reperiat, ne clamitet indignum facinus. Eloquentissimi viri in eodem opere non semper vtuntur eodē genere dicendi, subinde mutant stylum pro varietate rerum de quibus agunt, nunc graues & ornati, nunc suaues & temperati, nunc subtiles atq; demissi. hinc πέδιλα apud Homerum, Pero apud Vergilium, Pusio apud Tullium. Communia quam propria minus vilescunt, vt bos quam vacca, sus quam porcus, bestia quam inus, pastor quam bubulcus, opifex quā coriarius, instrumentum quam pala, nux quam castanea, obsonium qnam lucanica, vestis quam bardocucullus, vas quam trulleum, pomum quam sorbum, piscis quam gobio, verriculum quam scopæ: quæ sunt vsitatiora, quoniam in omniū ore versantur, vt homines plebeij qui in media luce Reipub. viuunt sic illa ab humilitate veniunt in aliquam dignitatem. Erit quod hic mireris: Omnes sententiæ in quibus humilia sunt verba, non habendæ sunt humiles, vt hæc,

In sordido panno sæpe latet alta sapientia. Nec etiā contra: vt,

Fronde super viridi sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Quid: quod heroici poetæ ducunt similitudines ab apibus & formicis quæ, res humilimæ videntur? Est in illis solertia, atque labor honestus, qui suum meruit

ruit honorem. Gemmæ & vniones res paruæ quidē, sed precio ingentes, inter humilia nō debent haberi. Turbo ille quo pueri ludunt, res est admodum vilis, sed tamen vsu notus est. Nec abiecta verba semper metiemur vilitate rerum quas significant, sed aliquando hominum existimatione. Quid est noctua vilius? sed illam celebrarunt auguria, celebrauit prodigiosa natura. Qui nouit humilium verborum differētias, deiectissima, si volet, collocabit in iocosa scriptione, vt siquando ludat βατραχομυομαχίαν, culicē, caluitium, pulicē, testamentū porcelli, leues apologos, fabulas aniles, discordiam partiū corporis humani, ridiculas epistolas, morias, colloquia hominū postremorū, mimos satyras, lasciuas odas, syluas, epigrāmata minutiora, asinos aureos, iocos amorū, comœdias Atellanas & tabernarias, & siqua sunt similia. At in laudatione, in panegyrico in genere epidictico, in historia, in epistola graui, in suasione, in causa forensi ad declamandum posita, ne constituat humillima, nisi forte quū hominē aut rem maxime deprimere & attenuare volet. Aliud est tenue dicēdi genus & acutū, aliud humile & abiectū, in quo ioculariter quod volumus effundimus. Si quid habebit iudicij studiosus artis, monitus videbit quatenus progredi liceat, & Ciceronē optimum ducē lectitabit, illumq; imitari iam occipiet. Nōne vides vt pueri liberaliter educati, siquādo gallice loquātur apud honestos viros, humilitatē fugiāt, quā iocātes apud æquales cupide sectantur? Eadem est ratio Latine loquentis,

tis, & temporibus ac personis accommodantis orationem. Discenda sunt omnia, nõ temere & fortuito iacienda. De quo non pigebit audijsse Quintiliani sententiam: Obscœna, inquit, vitabimus, & sordida & humilia. Sunt autem humilia infra dignitatẽ rerum aut ordinis. In quo vitio cauendo non mediocriter quidam errare solẽt, qui omnia quæ sunt in vsu, etiam si causæ necessitas postulet, reformidant: vt ille qui in actione Ibericas herbas, se solo ne quicquam intelligente, dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Seuerus, spartum eum dicere velle indicasset, Nec video quare clarus orator duratos muria pisces nitidius esse crediderit, quam ipsum id quod vitabat. Hæc ille. Vergilius humilem putat esse panem. dicit igitur,

—Cererem̃q; canistris Expediunt.—
—Onerantq; canistris Dona laboratæ Cereris.—
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte alijs, vt vertere morsus
Exiguam in Cererem, penuria adegit edendi,
Et violare manu malisq; audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris,
Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus.

Per cererem per cereale solum, per exiguam cererem, per quadras, per fatale crustum, per mensas quid accipimus? quoties proprium mutat alieno, vt copia & dignitate crescat res tenuis? Littore ahena locant alij. Proprium vasis nomen) ollam aream

im-

intelligo) parum nitidum existimabat. Idem, Frangere saxo, pro mola aut mortario.

Dant manibus famuli lymphas.—

pro eo quod est, dant aquas.

Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.

pro calceis.

—Famulasque ad lumina longo
Exercet penso.—

pro eo quod est, nere iubet.

Multa alioquin humiliа splendide dixit. Grammatici tamen notant apud eum ταπεινώσιν, id est humilitatis vitium, In gurgite vasto præsensit, & magnitudinis epitheton adiecit. Semper humilitas in eo retinet decorem, vt in hu, Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerua.

Excussi manibus radij.—

Colus & radius non amplæ sunt dignitatis, at honore circunuestita non dedecent. In tenui genere versanti sumenda sunt de medio verba, & oratione liberius quam in heroico opere, verecundius quam in abiecto collocanda.

De verbis sublimibus.

CAP. XV.

DE verbis sublimibus pauca, si bonum videtur, adiungamus. Nam de pudicis, de nitidis, de vsitatis, de Latinis, de vrbane sonantibus nihil hic esse dicendum existimo, propterea quod expositis contrarijs

rijs hæc omnia clare satis elucent. Etenim quicquid in hac lingua obscœnum, sordidum, inusitatum, barbarum, agreste non est: castum, purum, vulgatum, Latinum sit necesse est. hæc oppositio verborum nihil habet intermedium, de quo in habendo delectu quærendum esse videatur. Castis castiora, puris puriora, venustis venustiora inuenire possis, itemque obscœniora obscœnis, sordidiora sordidis: sed erit hoc comparantis, non opponentis ex aduerso contraria. Non ita res est in humilibus & sublimibus. Non enim quicquid humile non est, sublime dici debet: nec quicquid sublimitatem non habet humile putandum. Est aliquid interiectum quod neutrius est particeps. Sublimia & ardua sunt, quæ dignitate & amplitudine splendescunt: vt nomina deorum & sacrorum cum propria, tum communia: vt deus, conditor, pater, moderator, regnator, genitor, numen, rex omnipotens. & apud veteres, Iuno, Minerua, Diana, Apollo, Mercurius, Hercules, Neptunus, Thetis, Amphitrite, Penates, Pluto, Proserpina, & id genus multa, sine quibus aiunt etiamnum Christiani sua poemata iacere, ideoque ad carminum maiestatem suis libris inserunt Cererem pro pane, Bacchum pro vino, Pomonam pro pomis, Neptunum pro mari, Iunonem pro ambitione, Mineruam pro arte, Martem pro bello, Enyo pro bellico furore, Mercurium & Suadam pro eloquentia, Tellurem pro terra, Palem pro pascuis, Diana pro venatione, Hymenæum pro nuptijs, Parcas pro fato, Plutonem pro diuitijs, &

tacodæmoniorum principe. An autem magniloquentia, an ne consuetudo obtinuit, vt hæc amplissima viderentur ornamenta, non iudico: certe, nescio quomodo, posita loco, grandius & antiquius efficiunt poema. Adde nomina virorum illustrium, gentium, populorum, regnorum, montium, fluminum, vrbium, de insignibus loquor, cuius generis hæc sunt, Menelaus, Achilles, Vlysses, Aiax, Diomedes, Priamus, Aeneas, Hector, Paris, Cadmus, Amphiaraus, Lycurgus, Solon, Darius, Philippus, Alexander, Curius, Fabritius, Sylla, Pompeus, Iulius Cæsar, Persæ, Babylonij, Thraces, Lacedæmones, Attici, Thebani, Pœni, Romani, Ausones, Galli, Britanni, Europæ, Asia, Africa, Hesperia India, Aegyptus, Germania, Pelium, Olympus, Ismarus, Caucasus, Apēninus, Alpes, Pyrenei, Atlas, Abila, Calpe, Ganges, Nilus, Hister, Eridanus, Rhodanus, Iberus, Tagus, Rhenus, Athenæ, Thebæ, Sparta, Rhodus, Carthago, Roma, Tolosa, Lugdunum, Lutetia. Sunt alia innumerabilia, quæ certatim colligunt heroici poetæ, & quasi stellas affigunt operi suo. Adijce nomina virtutum, & effectuum qui sequuntur eas, vt prudentia, iustitia, religio, victoria, triumphus, gloria: Scientiarum, cuiusmodi sunt ars magica, iuris prudentia, ratio grammatica, dicendi facultas, architectura, doctrina, disciplina, sapientia, contemplatio: Partium hominis insignium, animus, corpus, cor, cerebrum, caput, pectus, lacerti: Splendidi vestitus, pallium, toga, prætexta: trabea, paludamentum, torques, armilla:

millæ: Colorum, vt purpura, murex, coccum, fulvum, rubrum: Armorum, lorica, galea, thorax, hasta, lancea, ensis: Nauium, biremis, triremis: Aedificiorum, domus, templum, ædes, curia, capitolium, theatrum: Magistratuū, dictator, consul, imperator, rex, tribunus, potestas: Animalium nobilium, tygris, leo, vrsa, elephantus, equus, aquila, philomela, cete, delphinus. Vt breuiter finiam, rerum maximarum vel quantitate, vel præcio, cœlum, Sol, Luna, astra, lumen, ignis, aer, mare, terra, ventus, fulmen, pluuia, tempestas, aurum, argentum, æs, crater, patera, gemmæ, marmora, simulachra, statuæ. Non immorabor vltra. Ex his enim cætera animo concipere minime operosum arduumque est: nec difficile puto de verbo proprie dicto iudicare atque deprehendere quæ vis eius splendeat, quæ ve sit obscura. Regere, moderari, gubernare, orare, iudicare, contemplari, sacrificare, pugnare, vincere, saperè, florere, cohortari, docere, & alia infinita quæ significant facere aut pati id quod aut natura, aut hominum iudicio præclarum est, sublimia & excelsa meo iudicio debent haberi. Dicet aliquis: Sint ne sublimia quæ refers, tu quidem videris: Sat scio a pastoribus, rusticis mulierculis, pueris, infantibus hæc frequēter vsurpari solere. Quidni? quāto sublimiora, tanto magis conspicua sunt, & in omni sermone frequētiora. Res arduas fere vulgus admiratur, & ab infantia nominare discit. subinde loquitur deos, sacrificia, ritus, mores, nationes, vrbes præfecturas, bella,

prælia, fœdera, pacem, iura, leges, vasa, vestes, animalia, loca, tempora, & omnia fere quæ rerum natura ingentia procreauit. Ergo vulgus est grandiloquum? Male colligis. Non æstimamus leonem ab vnguibus. Non vnum verbum sublime & amplum magnificam orationem efficit. Quid igitur? Humilium fuga, sublimium frequentia, sententiarum grauitas, & apta compositio. Vulgus indoctum si se attollere conatur, nec humilia effugit, nec sublimia frequentat, nec in sententiarum grauitate persistit, nec apte res & verba componit. Est & aliquid lautum in parsimonia rusticorum, & plebeia mulier aurum ferit atque margaritas: nec tamen hic conuiuium magnificum, aut insignem fœminæ mundum dixeris. At propemodū quæ numeras, propria rerum vocabula sunt, ab omnibus necessario dicenda. Sublimes igitur quadā necessitate sumus. Quemadmodū materia in syluis alta spōte creuit, sic ex hominū instituto verba magnifica nata sunt: sed nō est cuiusq; deligere. Præterea nec arbor vna præclara splendidā regiam, nec vnius aut alterius verbi splendor excelsam efficit extructionem. Aliena tamen atque modificata sæpe magnificentiora vidētur, quam propria, credo, quod rariora sunt, & paucioribus vsitata. Assumūtur aut translatione, vt scopulus pro periculo, naufragium pro exitio a Cicerone dictum est in oratione pro Rabirio perduellionis reo. aut synecdoche, vt tectum pro domo, ferrum pro gladio. aut metonymia. vt Roma pro Romanis, cœlum pro dijs. aut antonomasia, vt

Pœnus

Pœnus pro Annibale. aut periphrasi figura amica poetis, vt diuum pater, atque hominum rex. orandi facultas, scientia disserēdi. aut catachresi, vt equum diuina Palladis arte ædificant. equificant, vt ædificār, dicere Latine non possumus. aut hyperbole, vt tonabat pro vehementer orabat. quibus annumeranda sunt antiqua, vt rebamur, clarigatio. Proprijs (vt Quintilianus ait) dignitatem dat antiquitas. Quo dicto probari potest in quibusdam proprijs esse dignitatem, At Quintilianus in octauo de proprijs loquēs hæc dicit: In hac autem proprietatis specie, quæ nominibus ipsis cuiusque rei vtitur, nulla virtus est. Si propria nullam per se virtutem habent, qui possunt sublimia censeri? Quintilianus virtutem posuit pro vi ac gratia quam præstant figuræ: quæ quidem eo repertæ sunt, vt efficiant orationem aut grauiorem, aut elegantiorem. Nequaquā autem secluſit a proprijs omnem virtutem. Nam continuo subijcit: Contrarium est vitium id quod apud nos improprium, ἀκυρολογία apud Græcos vocatur. Si improprium, vitium est, cur proprium non est virtus? Idem ibidem mentionem de humilibus facit, quorum multa propria sunt. Si propria quædam, quia res significant humiles, humilia agnoscimus: cur ea propria quæ designant res pretiosas & altas, sublimia non putamus? Idem ex synonymis alia esse sublimiora putat, quod proprijs accidere necesse est. Omne verbū (inquit idem) nisi in oratione positum, virtute caret. Nā & sublime in humili re tumescit. Fateor esse quam-

plurima quæ ab oratione vim capiant, & verbis sublimibus nos abuti posse: sed id non efficit, vt simplicia verba qualia sint natura, considerare non possimus. Lapis natiuus citra compositionem discrimen habet, magnus paruus, durus mollis, longus breuis, vsitatus inusitatus, nitidus impurus, magnificus humilis, integer fractus dicitur. Non eadem quoque ratio verborum est? Verba (inquit Cicero de amplificatione) ponenda sunt quæ vim habeant illustrandi, nec ab vsu sint abhorrentia, grauia, plena, sonentia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, in primisque translata. Quorsum hæc? Si de verbis simplicibus nullum est certum iudicium, cur simplicia, id est incontexta, a collocatis iunctisque dirimit? Si verbum sublime tumescit in oratione tenui, id fit propter inæqualitatem. Inæqualitas aliud quidem respicit, non semper coniunctionem desiderat. Mens enim res separatas atque disiunctas conficere potest. Sunt intermedia quædam, nec humilia natura, nec sublimia, quibus vtimur in omni genere dicendi, vt in nominibus homo, fœmina, cura, res, nemo, nullus. In pronominibus, hic, meus, noster. In verbis, est, stat, mouetur. In aduerbijs, heri, cras, forte. Ex coniunctionibus & præpositionibus nullam excipio. Nihil ipsa per se eminent: in collocatis & in concinnitate & in schemate eminere possunt.

De

De grauibus verbis, & leuibus.

CAP. XVI.

VErba grauia a rerum graui pondere, & ab intellectu significantiore dicuntur: leuia contra. Grauitas atque leuitas in oratione maxime cognoscitur, sed & extra contextum examinari potest. Incestum, flagitium, scelus, peculatus, sacrilegium, perduellio, proditio, parricidium, amentia, furor, insania, praedo, pirata, carnifex, necare, satagere, deperire, formidare, exhorrescere, per se grauia sunt. In synonymis differentia grauium & leuium apertius deprehenditur. Grauior est charitas quam amor, vnda quam aqua, procella quam ventus, saxū quam lapis, angustus quam breuis, rapidus quā celer, grandaeuus quam senex, cultum quam aruū, dapes quam cibaria, religio quam obseruatio, promeritus quam meritus, moles quam magnitudo, ruina quam casus, ingens quam magnus, inaccessus quam inuius, direptus quā captus, superbus quam magnificus, rapina quam furtū, latro quam fur, fraus quā dolus, satur quam plenus, formido quam metus, imber quam pluuia, luxus quam apparatus, insomnis quam vigil, stridor quam sonitus, ruunt quam eunt, obstupuit quam miratus est, torqueo quam iacio, eflagito quam peto, quatio quam moueo. Ex hac cōparatione corrigendi materia sumitur. & a leuiore ad grauius amplificanti sit gradus. Vereor ne in hac

enumeratione exemplorum nuda sim molestus. vix enim capit ornatum atque voluptatem res tot partibus concisa, & interrupta. Sed professus sum me omnia aperte traditurum, quæ ad delectum verborũ & eorum collocationem pertinent. Quare permittant mihi studiosi compositionis, rem omnẽ illustrare exemplorum frequentia, & cogitent aliud esse docentem in gracili rerũ tenuitate versari, aliud in ampla materia atque ardua spaciari eloquentẽ. Virtus est in docente sermo breuis ac diluçidus. Si qua ab illo dicendi voluptas adiungitur, eo tendit, vt præceptorum duritia molliatur. Illa tamen non est tum expetenda, quum res ipsa per se vtilitate capit legentium mentes. In gradibus apertum discrimen est. In his enim quæ gradatim crescunt, comparatio & superlatio primum gradum quantitate & grauitate vincit, acerbior acerbissimus, acrior acerrimus, grauior grauissimus, crudelior crudelissimus, sceleratior sceleratissimus: & id genus infinita. Quin epitheta quædam sine vlla comparatione pondus habent & incrementum, vt quum dicimus, mirum artificium, grande crimen, vastum gurgitem, lectum adolescentem, hominem teterrimum, nefariam libidinem, nequitiam singularem, summam vim, innumerabilem multitudinem, insignem virum, immania pocula, graues iniurias. Nam quum graue quiddam quærimus, & illud in rerum vocabulis inuenire non possumus, tum vt animi conceptus expleatur, ad epitheta confugimus. Quod si propria aut per se, aut epithetis

adiuta

adiuta, grauitati rerum non satisfaciunt, subsidio sunt figuræ, translatio, hypallage, synecdoche, αὐξησις, allegoria, periphrasis, antonomasia. Hic de tropis, non de reliquis luminibus sententiarum atq; verborum loquor, propterea quod illa non sunt in singulis verbis, de quibus agitur in præsentia, sed in oratione contexta prominẽt. Grauiora sunt interdũ translata quam propria, vt ardor pro cupiditate, ignis & vulnus pro amore, nudus pro inopi, germanus pro simili, cæcus pro ignaro, corruscat pro verbo vibrat, extunderet artes pro inueniret, ardere pro amare, inuestigauit pro quæsiit, contendo pro eo, euolare pro abire, acerbitas pro malo, acre pro vehementi, inflammatus pro commoto, sobrius pro consulto, properipere pro eo quod est producere, teterrimus pro crudelissimo. Hypallage est metonymia, qua pro inuentore inuentum, pro continente contentum, pro efficiente effectum, pro possesso possessorem, aut contra capimus. In hac conformatione dicimus, Martem fatigant, Sus Mineruam, Raptus Helenæ Græciam Asiamq; commouit, Africam exciuit tumultus, Periit Marsus, Lacerat Musas. Nutu Iunonis eunt res, Cicero ab exilio reportatus humeris Italiæ. Leuius dixeris, Bellum poscunt, Sus artificem docet, Raptus Helenæ Græcos atq; Troianos commouit, Afros exciuit tumultus, Periit Marsi liber Amazonis, Abutitur disciplinis. Voluntate Iunonis eunt res. Cicero ab exilio reportatus est ab Italis. Synecdoche dicitur quum a parte totum, vel a toto pars, vel numerus a nume-

ro intelligitur. Hac forma grauiter vsus est Cicero cum alibi, tum in sexta actione in Verrem: Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere prouincia, tot familijs tam copiosis vllum argenteum vas, vllum Corinthium aut Deliacum fuisse, nego vllam gemmam aut margaritam fuisse, aut quicquam ex auro aut ebore factum, signum vllum aneum, marmoreum, eburneum, nego vllam picturam neq; in tabulis, neq; textilem fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit. Partem istorum quæsierat & abstulerat Verres, at totum genus amplificandi gratia accusator inculcauit. dissimulat tamen. Quū dico, inquit, nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse, Latine me scitote, non accusatorie loqui. Idem orbem terrarū pro imperio Romano, omnem ciuitatem pro paucis ciuibus vsurpat. Terentius numero mutato grauius dicit, Istarum meretricum contumelias. & Cicero, Curios, Fabritios, Quintos Maximos. Et Vergilius:

Talia conuugia & tales celebrent hymenæos.

Egregium Veneris genus, & rex ipse Latinus.

Allegoria est vox illa Catilinæ, Incendium meum ruina restinguam, pro eo quod est, inimicos meos interimam. Et illud Vergilianum:

Sed nos immensum spacijs confecimus æquor.

Vtrunq; autem auctius est quam proprium. & illud de Tyberio, Lutum sanguine maceratum, Validius est, quam si Rhodius magister dixisset, & sordidus es, & crudelis. Periphrasis interim grauis est, non ma-

de

do sublimiu, at orandi facultas pro Rhetorica memoria rerū gestarū pro historia, diuū pater atq; hominum rex pro Ioue. Cœli qui sydera torquet, pro eodem. Vera Iouis proles, pro Hercule. Romanæ conditor arcis, pro Romulo. Philosophorum princeps pro Platone. Medicorum Deus præ Hippocrate. Imperator populi Romani pro Rupilio dicitur in tertia accusatione Verris, quum augetur illius autoritas. Hæc & similia pondus afferre subiectis rebus videtur. Argumento sit, quod quum rem vehementer exprimere conamur, pro vno verbo hanc libenter amplectimur verborum pluralitatem. Finitima est antonomasia, quæ pronomine nomen vsurpat. Vergilius :

- Thalamo quæ fœda reliquit
Impius -

Leue fuisset, Aeneas. Vigilasne deum gens? maioris est momenti, quam, Vigilasne Aenea? Cicero pro Cluentio: Nubit genero socrus. accusat filium mater. leuius istuc, Nubit Melino Sassia, eadem Cluentium accusat. Stetit soleatus prætor muliercula nixus in littore. minus erat graue & accusatoriū, Stetit soleatus Verres muliercula nixus in littore. Parce victitat senex significantius est quam hoc, parce victitat Chremes. Nec eadem libra pēsitem hæc duo, fœdifragus Annibal, & fœdifragus Pœnus. In alieno vis est argumenti, quæ non est in proprio. Proprium tantum valet ad docendū: alienum & ad docendū, & ad probandum. Addamus etiam ὠξησιν, id est, am-

amplificationem, sed eam quæ in solo verbo posita est. Perij, nullus sum, occidi, actum est, exanimatus sum pro turbato, casus pro læso, latro pro improbo, solitudo pro paucitate, gladiator pro audaci, parricida pro sicario, scelus pro homine malo, fera pro crudeli, pestis portentum monstrum pro nocente, veterator pro callido, bestia pro stolido, pirata pro fure, perditus pro vitioso, innumerabilis pro multo, mille pro multis. Multa sunt genera grauitatis in sententijs & collocatione verborum. Nunc autem de verbis simplicibus loquimur, ex quibus grauia sunt illa, quæ significatione robustiora vehementioraq; sunt. Differt autem grauitas a sublimitate. Grauitas est ponderis, sublimitas dignitatis. Grauia plus vehementiusq; significant, sublimia magnificentius ac lautius. Idem verbum tamen & graue & sublime dici potest, vt si eloquentiam diuinam esse dicemus, illam & significandi pondere, & dignitatis amplitudine adaugebimus. Cœlos autem cœli vertices, astra diuos, heroas magnanimos principes, & multa dignitatis honore conspicua, sublimia, non grauia dicimus. Non enim validiora sunt in gradibus augendi, sed dignitate præstantiora. Adde quod sublimia non turpitudinem, sed eximium splendorem habent. At nefarium scelus, sicut æquitatem singularem inter grauia numeramus. Non ignoro hoc verbum, graue, multos habere sensus, & aliter dici grauem terram, aliter graues iras, aliter grauem Catonem, aliter rationes graues. Hic graue (vt idem sæpius repetam)

dico

dico acre, vrgens, instans, significatione & pondere cumulatum. Ponitur autem in omni parte orationis. Nullum enim verborum (si Ciceroni credimus) nisi aut elegans aut graue mittere debet orator. Sed in amplificatione vt in propria sede dominatur, propterea quod sua mole dilatat id quod augere laboramus. Quæret aliquis, an si qui pulsauit, attigisse: qui vulnerauit, læsisse dicatur, verba grauia sunt attigisse atq; læsisse? Ego quidem leuia esse puto. Subleuant enim reum, & de culpæ grauitate partem detrahunt. quod non est grauium proprium. Contraria sunt hæc, amplificare, & imminuere. Amplificantis est grauia collocare, minuentis autem leuia atque inualida præferre. Ex ijs quæ diximus, difficile nō est iudicare, quæ verba leuia sint, quiq; in dicendo sit vsus illorum. Deprehenduntur aut facta correctione, vt, Non tam didicit literas, quam degustauit. Aut comparatione, vt, Marius septem consulatus, vnum modo Cicero gessit. Pompeius Asianos imbelles, Cæsar fortes Italos subegit. Vnus cum septem, imbelles cum fortibus comparantur. Aut frigida affirmatione, vt, homo non indoctus, non malus autor, non omnium postremus. Aut diminutione, vt, ducere choros, non modo scelus, sed ne vitiū quidem est. Aut sua sponte: vt facile, iocosum, ridiculum. Aut quantitate, vt exigua domus, parua ciuitas. Aut precio, trioboli, tressis, dupondius. Aut opinione, vt Lygur, Iudæus. Aut attenuatione, quæ fit per derivationem, libellus, opusculum. Aut immutatione, Non orator,

sed

sed arator. Aut ironia, vt, O lepidum caput, de homine agresti & inurbano. Sunt quæ sola pronunciatione videantur esse leuia:

- Meq3 timoris
Argue tu Drance-

Quid moror? Totidem leuium genera sunt, quot grauium verborum. Sed locum notasse satis est. Dicet quispiam, Iam mihi videris non de verbo, sed de oratione loqui, & longe aberrare a proposito. Quæ in oratione constitui, in verbum recidunt omnia. Et epitheton, ac rei nomen cui adiungitur, tanquam vnum simplexq3 esse videri potest. Sunt & media, quæ nec grauia per se, nec leuia dicuntur: vt hasta, fons, vester, noster, lego, dico, forte, deorsum, atq3, autem, apud, aduersum. Quædam media natura vim capiũt ab oratione, & rem aut grauant, aut subleuant. Homo impudens mentiebatur palam, deierabat in templo, vomebat postridie. Hic palam, templo, postridie, rem ingrauant. Contra, Licenter agebat Saturnalibus, domi, apud sodales, in conuiuio: leuiter factum videtur. At in re sunt ista, non in verbis. In re sane. quum verba grauia ac leuia Cicero dicit, non aut literas aut syllabas, aut ex illius iunctas voces intuetur: respicit eam rem, cuius signa notæq3 verba sunt. Vis illa rei est tanquam animi instar in corpore, ad quam obscœna, sordida, humilia, grauia reducimus, quæ ad ipsas voces per se referre nec possumus, nec debemus.

De

De proprijs & assumptis, & quæ aliena dicuntur.

CAP. XVII.

VErba, quemadmodum rerum possessiones, aut propria, aut aliena dicũtur. Aliena sunt, quæ a propria significatione in aliam cum virtute mutantur. Tropos cum Græcis ab intellectus immutatione appellamus. Aristoteles in Rhetoricis, & in libello de Arte poetica, metaphoras, id est, translationes vocat: & hoc nominis extendit, & ad ea quæ per similitudinem transferuntur, vt quum dicimus concionũ procellas: & synecdochen, hypallagen, antonomasian, metalepsin, catachresin, hyperbolen, periphrasin, allegorian. Sunt hæ troporũ species, in quibus proprioru̇ loco statuuntur aliena. Cætera omnia rerum vocabula propria nominamus, quæ sunt hominum instituto rebus significandis vsurpata primum, non aliunde quasi mutuo facta, cuiusmodi sunt hæc in generibus rerũ diuersis, phagus, vlmus, fraxinus, brassica, beta, thymus, vites, palmes, pampinus, nitrũ sulphur, bitumen, aurũ, electrum, ferrũ, ceruus, dama, lepus, bos, equus, asinus, congrus, scarus, delphinus, coturnix, alauda, psittacus, homo. animus, corpus, virtus, vitiũ fortitudo, ignauia, scientia, inertia, motus, quies, fundamentũ, paries, tectũ, supellex. vas. vestis, mẽsa, cibus, potus, terra, mare, aer, ignis stella, Deus. Rebus est fere sua cuiq; appellatio Nec enim aliter de omnibus proprie loqui possemus. Vnde planum

num sit propria quadam necessitate reperta esse, aliena vero propter vim & elegantiam in eorum locum traducta. Proprijs abundare debet is, qui multis de rebus agere plane, dilucide, & vsitate contendit. Nec in proprietate tenuis est gloria, ac orationis est commendatio, propterea quod breuiter & aperte res exprimit, non circunducit audientem ambagibus inanium verborum, non infert obscuritatem, quam plerunque pariunt figuræ. Non traducit omnia sine virtute, non triuialia & barbara & inusitata inculcat, quæ vitia frequenter accidunt ijs, qui pauca admodum verba nouerunt. Nunc enim turpiter circumloquuntur id quod vno dici verbo optime potest: vt hoc modo quidam, Vidi magnam illam auem, quæ nunquam volat, & cuius plumas viri nobiles ferunt in galea. Quanto breuius ac melius, Vidi Struthiocamelum? Nunc sunt obscuri tenebris audacium figurarum, vt in epistola quidam sua opinione doctus, Non dedignatus es me concrepare laude nectarea, & buccinare me lingua melliflua. Nunc communibus vtuntur atq; triuialibus, vt quum dicunt hominem totum armatum pro cataphracto, & registrum pro tabulis. Nunc componunt insolita componi, vt si dicendum sit, Milites exposuit e naui, sic loquuntur, Milites de naui emisit in terram. Rogatus sum aliquoties a Philosophiæ studiosis, qui contempta sermonū barbarie in Philosophia plurima, puriores literas expetebant, satisne esset biennium ad emendate, proprie, ornateq; dicendum. Quibus dicere solitus sum,

non

non posse me adduci, vt crederem totum decennium ad id satis esse, quod sibi falso pollicerentur. Quando enim, inquam, barbariem putidam dediscemus? Quando vas imbutum male, non sapiet primum liquorem? Quando vulneris alti vestigia non restabunt? Quando omnem omnium proprietatem non modo memoriae tenebimus, sed etiam expedite tum scripto, tum sermone exprimemus? Videte, quam pauci veteres hanc laudem sint assecuti: non loquor de sublimioribus, quibus est vsus verborum liberior, sed de comicis, historicis, & oratoribus. Ex quibus si Terentium, Caesarem, Ciceronem exceperis, qui proprie & vsitate sit locutus, vix vllum inuenies. Nam proprie loqui, diuturni laboris est, & assiduae exercitationis, sed in primis animi cupientis veritatem, id est, verum natiuumq; sermonem: quem vt abiectum quum multi fugiunt, incidunt in peregrinam quandam & insolentem ac pene prodigiosam linguae impuritatem. quod si turpe est, verbum proprium maxime curae sit, nec vnquam mutetur, nisi aut significantius aut elegantius succedat alienum. Sermo proprius si non semper fortior, verior est tamen, ac vsitatior, & quae prima virtus est orationis, rem dilucide magis ac naturaliter exponit. Ad hanc virtutem consequendam discenda cuiusq; rei propria communiaq; vocabula, & ea maxime verba quibus proprie animi modi declarantur, vt doceo, doce, docerem, doceam, doceo. Tum si est vnius rei vna appellatio, nullus est delectus: ideoq; nisi schemata

velis, parendum erit necessitati. si plures, deligenda quæ magis propria sunt. Panis, pyri, pruni, frumentatoris, vna propria est nominatio: eiusdēq; rei sunt pestis & pestilentia, mors & obitus, lapis & petra, amare & diligere. In hoc genere quæ sunt vsitatoria, aut quæ melius rem pingūt, habenda potiora. Mallim dicere vestem, quam indumentū, herbam quam gramen, auem quam alitem, progeniem quam sobolem subtegmen quam trāmam, distribuit quam dispescit, pugnauit quam conflixit, confirmat quam roborat. In propriis est verbis (inquit Cicero) illa laudatoris, vt abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus vtatur, in quibus plenum quiddam & sonans esse videatur. In collocatis obseruanda maxime proprietas, quam miseris modis laceranr indocti. Dictitant enim, Vigilant in monte, non speculantur e monte. Tentat frangere aciem, non conatur aciem perrumpere. Dimisit suos milites, non dimisit copias. Impediuit commeatum, non intercluſit. Victu carebat Cæsar, non re frumentaria. Duxit vineas, non egit. Primi in consilio, non consilij principes. Reportarunt prædas, non egerunt. Milites monuit, non cohortatus est. Signum fecit, non dedit. Renouauit prælium, non redintegrauit aut restituit. Aciem ordinauit, non instruxit. Longius iuit, non prodijt. Redierūt milites, non receperunt se. Missi equites sine sarcinis, non equites expediti. Fecit prælium, non commisit. Dedit se vt seruiret, non tradidit se in seruitutē. Dedit illis ducem legatum, non præfecit legatum. Misit

ad

ad succurrendum, non misit subsidio. Fecerunt vim, non impetum. Magnis vijs contendit, non magnis itineribus contendit. Oppidum egressi sunt contra hostem, non eruptionem fecerunt. Ad faciendum pontem lignum secabat, non materiam. Reportauit quæ acceperat in legatione, non renunciauit legationem. Tempus adsignatum, non constitutum. Facere amicitiam, non inire gratiam. Perdidit opportunitatem, non amisit occasionem. Quid moror? Sunt qui non tam Latine loqui mihi videntur, quã barbarica phrasi omnẽm inuertere latinitatẽ. Vnde hoc mali? Proposuerunt sibi & magistros & libros infantissimos, putarũq; satis esse, nihil committere contra ea præcepta grammaticæ, quæ sunt de casibus & constructione verborum: quasi non sit grammatici poetas & historicos interpretari, & inde loquendi rationem moremq; cognoscere. Quid hoc omnino peccat in artem declinandi vel construẽdi, Turno mandata perfer, vt veniat in locum meum ad pugnandũ? At quid est ineptius? quid ingratius? quid patidũ magis? Virgilius aliter, Turno mandata perfer, succedat pugnæ. Non defuerunt, qui huic mederi morbo cuperet, legerentq; ex multis autoribus locutiones omneis, vnde grande volumen conficerent. vellem suo morbo potius & insaniæ medelam adhibuissent. Quid est stultius, quam omnia verba propria impropria, poetica oratoria, vsitata inusitata, prisca noua, honesta turpia, bona mala, recta prauа, promiscue congregare, & referre in codicem? Quis leget hæc? & si

quis leget, vt memoria tenebit? & si tenebit, vt a bonis mala separabit? Nemo de lingua optime iudicare potest, qui non eam didicit. Nemo didicit, nisi loquendi consuetudinem obseruauit. Nullus obseruauit apud istos formularios. Nonne ridiculum est ut te tradere studiosis, quæ nunquam noueras quum manū calamo admouisti? quæ oblitus es antequam perscripsisti? quæ nescis ipse? quæ non tenes? quæ tam dubites an scripseris? quæ nolis ipse perdiscere? quæ si velis, haud possis? si possis, non expediat? Nam qui sapit, longa autorum bonorum lectione & obseruatione sapit. Multa sumis a Plauto, a Terentio nonnulla quæ iam exoluerunt, multa a Gellio, multa ab Apuleio, quæ dicta sunt audacius, multa a Suetonio, Plinio, a recentioribus, quæ subolent nescio quid peregrinum & insuaue. Quis erit delectus, quæ proprietas, quæ venustas, si omnia miscebimus? si contorta, si rara, absurda, noue dicta in delicias ac elegantias referemus? Si quicquid inusitatum est ac tritum, vile esse & humile putabimus: contra, quicquid abhorret a loquendi more, precio sum & arduum? At iuuant, inquiunt. Plus obesse, quam prodesse, sit argumento, quod non modo quæ verba scriptores boni iunxerint, tenendum est, sed in quem sensum dixerint, cui personæ, cui tempori, cui rerum conditioni accommodauerint, vt prioribus & posterioribus inseruerint: quorum nihil vident, qui excerpta legunt exempla, vnam aut alterā particulam inepte assuūt orationi, & ornare cupientes, deformem & ridicu-

lam

lam ſuffarcinant orationem. Miſeri, qui tantum ex hoc vno commentario ſapiunt. Multo citius poemata, hiſtorias, orationesq; perlegiſſent, vſum non modo verborum, ſed etiam rerum ab ipſo fonte pure & ſalubriter hauſiſſent, quod tandem facere cogunt ur ij, qui bene ſcribēdi dicendiue ſcientiam quærunt. Ediſcenda ſunt plurima, permulta ſcriptitanda. Relegendi ſunt optimi ſcriptores, vt paulatim veniat in vſum proprietas. Formulæ iſtæ ſuis autoribus amatoribusq; relinquenda. Qui linguæ Gallicanæ ſtudēt, vt puritate ſuperent vulgus, elegantiores loquendi formulas non referunt in libellum, ſed animaduertunt quomodo quiſq; doctiorum loquatur. quod audierunt, memoriæ affigunt, ac perſæpe referunt. ad hæc legunt eorum ſcripta, qui Gallici ſermonis principes extiterunt. Sic & Latina capeſſenti faciendum exiſtimo, ne fruſtra in collectaneis infantium conſeneſcat. Sic autem proprietatem amet, vt intelligat non ſemper vtendū propriis: non dico quando verbum proprium deeſt, vt quum dicimus, equitat in arundine, ſaxa iaculatur, lapidat glebis: ſed quum vitamus humilia, ſordida & obſcœna, & ad tranſlationem confugimus, quumq; figurarum aut elegantiam aut virtutem quærimus. Quintilianus 8. libro multa facit propriorū genera: vnum quod iam multis expoſuimus: alterum, quum dicitur proprium inter plura quæ ſunt eiuſdem nominis, id vnde cætera ducta ſunt, vt vertex aquarum, a quo ſumma pars capitis, & quod eſt in montibus eminentiſſimū,

vertices dicuntur. Aliud, quum res communis pluribus, in vno aliquo habet nomen eximium: vt quum vrbis nomine Romam accipimus. Quartum, quum ponitur illud, quo nihil significantius inueniri posßit, vt Cæsar ad euertendam Rempublicam sobrius accesßit. Hoc translatum, non proprium dixero. Quintum ex appositis, quæ epitheta dicuntur: vt dulce mustum cum dentibus albis. Sextum, cum verbum bene translatũ est. Quod ego non probo, propterea quod a propriis distinguenda sunt translata. Septimum, quum quæ sunt in quoq; præcipua, proprij locum accipiunt: vt, Fabius cunctator. Sunt in his, quatuor genera maxime propria, secundũ, tertium, quintum & septimũ. Primum sußius & latius patet, ac cætera complectitur. Hoc valet ad dilucide aperteq; dicendum, illa etiam ad ornandum. In alienis prima sunt translata, quibus vtimur aut necessario, vt quum dicimus gemmam in vitibus: aut ornandi gratia, vt lumen orationis: aut ad incrementũ, vt ferreum cor, pectus adamantinũ: aut ad vitandam turpitudinem, vt mulier Venere lutulenta. Si nihil horum præstent, proprietate standũ est. aptius enim dicetur, suauis concordia, quam symphonia mellißua, atq; nectarea. Assumitur & Synecdoche: vt, Pro capite diuinandũ. Romanus prælio victor, pro eo quod est, Romani prælio victores. Diximus pro dixi. Item Metonymia: vt, vario Marte pugnatũ est. & Antonomasia, vt euersor Carthaginis pro Scipione. & Metalepsis: vt speluncis abdidit atru, id est, profundis. & Catachresis: vt, minutus

mutus animus, pro paruo. & Periphrasis, vt diuum pater atq; hominum rex. & Allegoria, vt, Oleum incendio ne adijcias, id est, ne iratum excites. & Hyperbole: vt, volabat Camilla. Pauca de alienis hic esse dicenda iudicaui, quoniam figuræ per quas in locũ propriorum transferuntur, & ante dictæ fuerunt, & a grammaticis ac rhetoribus peti possunt. Cicero in Oratore inter alienaponit translatum, & factum aliunde vt mutuo, & factũ ab ipso, & nouum, & priscum, & inusitatum: in Partitionibus ea quæ transferuntur, quæ immutantur, ea quibus tanquam abutimur, quæ obscuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæq; mirabilius quam sermonis consuetudo patitur, ornamus. Noua, prisca, inusitata, propria sunt, nisi quod sunt rara, & vsu paucorum recepta: quæ Ciceroni causa fuit, cur illa referret in aliena. Translatum, siue quod transfertur, est μεταφορικὸν. factum aliunde vt mutuo, & id quo tanquã abutimur, κατα χρησιν, immutatur hypallage: obscurantur ænigmatica, & allegorica. Incredibiliter tollimus hyperbolica. Præter sermonis consuetudinem ornamus periphrastica. In his omnibus tropis est quod in proprij locum sufficitur alienum.

De verbis veteribus, & nouis.

Cap. XVIII.

VErba prisca, de quibus diximus, sæpe vetera appellantur. Hic autẽ docendi gratia inter vete-

ta ac prisca differentiam atq; discrimen esse statuendum iudico. Vt enim omnia prisca sunt vetera, non tamen contra omnia vetera sunt prisca: & vt priscis, & antiquatis, & insolentibus perraro vtimur: ita fere semper nouis reiectis, veterum verbis loquimur. Nam quemadmodum noua aliquando consenescent, & vetera dicentur: sic & ea quibus vtebatur seculum illud Ciceronianum, cæteris in loquendo fælicius consenuerunt quodammodo: quæ tametsi nunc quasi viridi senectute florent, omniumque multo optima putantur, tamen vetera & antiqua nobis possunt videri. Ab vrbe condita ad tempora L. Crassi & M. Antonij nihil erat in lingua Romana expolitum & excultum. Subolebant priscum quiddam Liuius Andronicus, Cæcilius, Actius, Pacuuius, Ennius, Plautus, & in historia Cato, Pictor, Piso, & in oratione permulti, quos Cicero connumerat in Bruto. Isti igitur erant Ciceroni veteres, nobis autem docent esse prisci, & prope antiquati. A temporibus Syllæ dictatoris ad imperium Domitiani sermo Latinus in integritate mãsit, nisi quod posteriores iam propiores erant vitio, quam sanitati. Qui tum scriptores floruerunt, eos & veteres & imitandos esse censemus. Iuniores omnes habemus inter nouos, & impurius esse locutos arbitramur. Vt igitur tempore Ciceronis qui probari volebant, maiorem squallorem asperitatemq; fugiebant, ex omnibus eorũ verbis nitidiora suauioraq; seligebãt: sic & nos contra iuuenum effrenatã audaciam licentiamq; fugitare, ex ijs

pauca

pauca necessaria assumere. Caterum veterum modulationem & puritatem in loquendo sequi debemus. Quæ Terentius, Cæsar, Cicero, Sallustius, Liuius, Vergilius, Horatius, Ouidius, Cornelius Celsus, Persius, Quintilianus, Iuuenalis, Martialis admiserunt, omnia, præter pauca iam obliterata, & quasi vetustate collapsa, qualia sunt fuat, fiet, iudicassit, prosapia, sine vlla dubitatione recipiuntur in sermonem. Antiquioribus & iunioribus temere ne confidas. Non sum tamen in ea opinione, in qua recentiorum quidam ridiculè superstitiosi & sunt & fuerunt: Nullum omnino verbum vsurpandum esse putant, nisi quod apud Ciceronem inuenitur. Quos & ipse Cicero, cuit amũ deferunt honorem, duabus sentẽtijs dãnat. Noua enim verba aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum fieri posse iudicat: & is permulta fecit. In Academicis censet rebus nouis noua nomina imponenda. Horum neutrum isti sinunt. Adde quod de omnibus rebus & disciplinis non est locutus, nec habuit cur diceret quæ Varro in Agricultura, Cornelius Celsus in Arte medendi, quæ Vitruuius in Architectura, quæ Plinius in Historia naturali. Quid? quod eius opera multa desiderantur? & plura scripturus erat, nisi mors immatura præueniisset? In Crasso, in Antonio, in Hortensio nullum verbum vt insolens & putidũ notat, quos certum est suis vsos esse verbis. Pauca reprehendit in M. Antonio, & ea quidem magis accusatorie quam vere: qui si posteriorum quos ante

nominaui, scripta legisset, credo non reprehendisset. Ne igitur nostra culpa languescamus inopia, veterũ quos doctissimi quique magno consensu probauerũt, autoritate nitamur. Eorũ verba, quum licebit, præferamus nouis. Si non erunt idonea, tum recentiora animo & aurium iudicio ponderemus, & audeamus aliquid doctis viris auctoribus. Noua traxerunt in vsum Christiani, cuius generis sunt hæc, Christus, fides, baptismus, sacramentum, eucharistia, spiritus sanctus, ecclesia catholica, euangelium, apostolus, euangelista, euangelizare, baptista, baptizare, paradisus, purgatorium, excommunicatio. Sunt alia vsu omnium iam recepta, quibus me iudice vtare licet & maxime si magis idonea reperire non possũ. Non dico tamen deitatem pro diuinitate, pietatem pro misericordia, humilitatẽ pro modestia, exaltationẽ pro superbia, confortauit pro firmauit, & alia sexcenta, quæ barbaries & ignorantia sine vlla necessitate inuexit in linguam Latinam. Quæ qui pertinaciter tuentur, summa iniuria arguunt Hebræos & Græcos omnes qui philosophiam sanctissimam hac linguæ fœditate conspurcare noluerunt, nisi forte Deus optimus maximus Latinos a vero sermone deuiare, reliquos omnes emendate recteque loqui velit. Quod qui suspicatur, sibi somnium fingit. Religio, credo, in barbarie posita non est. In hac nouitate verborum, quæ tolerari possint, optime iudicabit is, qui necessitati & decori parendum esse norit. Dicamus ecclesiam, quia necesse est: nullum enim

aliud

aliud est eius rei verbum: nec magis inter Latina indecorum est ecclesiæ quam philosophiæ vocabulum. Quando similis ratio suberit, in noua cum alijs audeamus. Intulerunt etiam noua Dialectici, vt subiectum prædicatum, prædicatur, prædicabile, prædicamentum, categoricum, hypotheticum, æquiuocum, vniuocum, substantiam, passionem, terminum: quorum pleraque vt necessaria videantur, non decent tamẽ, & assensum doctorum vix sibi conciliare possunt. Ausim dicere terminum vt ὅρον Græci, subiectum, substantiam, categoricum, hypotheticum, indiuiduum, vt ἄτομον. Cæterum dico pro prædicato enunciatum, pro maiore & minore primam & secundam partem assumptionis, pro prædicabilibus quinque voces, pro prædicamentis categorias, aut elemementa decem, aut genera verborum, pro æquiuoco homonymum, pro vniuoco synonymum. Nam quid Græcis vti vetat, quibus vsi sunt Grammatici? Pro verbo prædicatur, dicitur aut pronũciatur: pro affirmatiua & negatiua propositione, pronunciatũ affirmans aut negãs, aiens aut inficiãs: pro differentibus in eo quod quid est, aut quale quid est, differentia specie, numerõ: in explicanda substantia, aut substantiæ qualitate designanda, pro risibili, risus potentem: pro generalissimo, summum genus: pro specie specialissima, speciem infimam: pro ente, id quod est, aut substans: pro insecabili & indiuisibili, indiuiduum, vt sit epithetũ: pro alterato, dispar aut dissimile: pro principaliter, maxime: pro a se

inuicem, inter se pro incomplexis simplicia Cicero, pro complexis collocata dicit. Reclamet qui volet, malo improprie loqui, quam barbare. Alia sunt in dialectica multa, quibus non omnino mala verba ac commodari possunt: sed non est hoc præsentis instituti. Nam & incidimus in molestum hominum genus, qui nefarium scelus existimant spinosam balbutiem & prodigiosum sermonem relinquere: quam opinionem si deponerent, continuo Latine dialectica loqueretur, sed hærent obstinati & pertinaces. Quã multa dixere physici, ethici, mathematici, grãmatici, Iuris prudentes, quæ inducere non audeas in emendatam orationem, quam multa fecerunt immania & aspera, quibus veteris inuitus? Voces ista substãtiua, abiectiua, relatiua, indicatiua, imperatiua, frequentatiua, fœminina, adeo vaste dureque sonant, vt teretes aureis grauissime ladant. Itẽ sensibile, visibile, possibile, rotunditas, triangulare, quadrãgulare, biculatum, tricubitum, repressalia. Næ frustra laborarem, si innumerabilia recentiorum noua verba numerare contenderem: nulli vnquam fuere audaciores, nulli effrænatiores, nulli minus studiosi sermonis emendati. Istos ne sequi placet, qui gloriantur perinde atque magnũ sit barbaro & inculto genere sermonis nescio quid de magnis artibus oblatrare? Sequamur eos potius, qui necessitate ducti, verba noua feliciter crearunt, qui que citra necessitatem verbis apte nouatis locupletarunt orationem. Primum vetera capessamus, deinde vbi cum arte

iudi-

iudicium accreuerit, de nouis ea quæ vetusta sunt eligamus, & maxime necessaria, vt hæc, Cardinalis, Episcopus, Archidiaconus, Abbas, Monachus, Comes, Bombarda, Caligæ. Ex hoc genere si quid erit horridius ac durius, præfatione molliendum erit, hoc modo, Monachorum pastor est, qui vocatur abbas. Pontifex, aut (vt vulgo loquimur) episcopus. Fulminat tormentum belli, cui bombardæ nomen est. Non erāt Romanis tegumenta crurum & femorum, quæ caligæ appellantur. Quædam periphrasi describimus, vt, est machina belli, cui a colubro nomen est, & alia cui a serpente fecere nomen. Erecta machina, a grue nomen habet, ingentia attollit saxa. Vt breuiter absoluam, nouis vetera præstant: nouorum optima sunt maxime vetera, & ea quibus aut necessitas aut gratia locum inuenit. si quid deest, explent illud verborum figuræ. Noua etiam dicuntur quæ quisque hodie sibi excogitat, vt quidam monachum tenebricolam, & molinariam bestiam, & caseariam dixit.

De verbis sonantibus & exilibus.

CAP. XIX.

HActenus verborum naturas quæ a subiectis rebus oriuntur, explicauimus. Alter est locus de vocum differentijs, quæ verba sint sonantia exilia, grandia parua, volubilia tarda, lenia aspera: vnde oratio

oratio dicitur iucunda tristis. plena tenuis, grandis minuta, lenta volubilis, suauis horrida. Sonantiora sunt verba, aut literarum vocalium, aut consonantium pleniore sono, aut certe spatio & tempore syllabarum. Ex quinque elementis, quæ pure sonant, primum & quartum, a o, magna ac vasta sunt: tertium & quintum, i, u, tenuia & exilia: secundum, e, intermedium. Hanc sonorum varietatem deprehendes in ijs qui venalia magnis inciuitatibus proclamitant: aut certe referes ad aures, quæ de sonis omnibus sua sponte vel optime iudicant. A, litera quoniam spiritu longiore profertur ab arteria, reliquas omneis immanitate soni præstat. ideoque frequentant eam qui grande aliquid & plenū resonant. Tragici Græci libenter mutant ᾱ, in α, vt sit hiantior pronunciatio. Φάμη, Φάμα. Diffundit ea quæ vna modo syllaba constant, vt ars, aut, ad, eras, dat, frans, glās, haud, iā, lanx, mars, pars, stat, quæ, quā, thrax, vah, vas, mas, at, ast. Hæc & paria (quanquā monosyllaba sæpe sunt causa tenuitatis) non attenuant orationē. Argumento sit vel cornix, de qua Vergilius:

Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Pleniora sunt verba duarum syllabarū, quas implet hæc litera, vt arca, arcas, altam, chara, grata, amant, sanant, para, quadrans, frangat, mala, atra, flāma, vastat, saltat, aura. Hanc quoq; recipiunt trisyllaba, atque grauiter insonant, vt amabā sanabāt, arcana, affata, lampada, pallada, barbara, tartara, amara, parabāt, captarat. Reperitur & in quatuor

syl-

syllabis continuis, vt, acclamabat, adamabat, amandabant, apparabãt. Raro peruenit ad quinque, vt in hoc fictitio nomine taratantara. Nihil horum non vehementer sonat. & implet aurium sensum: tamen in auctiore numero syllabarum, auctior est ac plenior sonus. Robustius autem ferit quum recipit duas aut treis literas consonantes, aut etiam diphthongum, quod est omnium commune: vt trabs, stragula, brachium, fragor, statura, augeo, claudo, musæ, si modo recte pronunciaueris, vt quum dicitur Gallice pax. & sed, & factum. Quin vegeta sunt quæ vocibus alijs quidem constant, sed & hanc interserunt aut principio, aut medio, aut extremo loco, vt fragmentum, sonare, ceperamus, subtilitatem, interea, formosam. His vegetiora, quæ si non in omnibus locis. eam tamen in multis collocant, vt asparagus, amaracus, calcitrare, resonabant, Aeneas, sagitta, iactauit, arena, calcatur. Huius itaque soni magnitudine sonora fit oratio, vt hæc, Iste quod argenti placuit, inuasit: quæ mancipia voluit, abduxit: vina, cæteraq; quæ in Asia facillime comparantur, quæ ille reliquerat, asportauit: reliqua vendidit: pecuniam exegit.

—At nunc horrentia Martis
Arma, virumque cano—
At regina graui iamdudum saucia cura.
—Omniaq; arma
Aduocat, & ramis vastisq; molaribus instat.

Proprium est omnium vocum clarius audiri aspiratione, accentu, productione, diphthongo. Clarior est

est in hamo quam in amento, in dato, quam in circundato, in palma, quam in palude, in fraude, quam in fraxino. At discrimen hoc vix audiet qui aspiratione non vtitur, & breues perinde atque longas moratur, aut has & illas pari interuallo præcipitat. Fama quoniam priorem producit, efferatur ac si geminet vocem, hoc modo, faama. sic enim veteres scribebant, & ad longitudinum breuitatumque dimensiones (sine quibus vocum differentias intelligere nō possumus) plurimum valet O, profertur ore diducto rotundo, litera ampla quidem, sed quam prima vox & angustior & obscurior. Hoc nimirum Vergilius sensit, qui quum plane sciret in sanciendis fœderibus non porcam, sed porcum mactari solitum, dixit,

—Et cæsa iungebant fœdera porca.

Obscurius & ingratius erat,

—Cæso iungebant fœdera porco.

Maluit igitur sono quam veritati consulere, sicut Horatius, —Luctata canis.

Sunt qui putarunt in fœminino sexu plus esse cuiusdam gratiæ ego ad sonitum, non ad rem inclinasse poetas existimo. In monosyllabis productis ō, si excipitur ea litera quæ prima est in sanitate, & natura, & rosa, non est vacua & inanis, vt in his, vos, nos hos, ros, mos, flos, cos, bos, tros, quos, non, cor. Vocalior est si duo elementa consona subsequantur, vt nox, mors, sors, fors, frons, fons, mons, pons, fons. In fine surdius auditur, eo, sto, flo, pro, pronomen hoc, secluſa aspiratione, quia litera muta clauditur,

&

& ob, & os breue, nihil omnino ſuperat. In his quæ ſunt pluriũm ſyllabarum, valida eſt, niſi quum o, in verbis ſedet extrema. Senties in his vocibus, flores, mores, hordeum, horreo, noſtra, nobis, monſtrum, formoſus, doloſus, colores, honorem, odor, ſapor, orator, corpora, doctoribus, conformationes. Nec omnino iacet in fine, quod verſus oſtendit,

Arma virumq; cano.

Irim de cœlo miſit Saturnia Iuno.

—Saxo occultabat opaco.

—Ingurgite vaſto.

Sonantius videtur alijs in ſedibus:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Luctantes ventos, tempeſtatesq; ſonoras.

In verbo horreo inflatur hæc vox aſpiratione, & littera canina, & accentu, & quantitate, propterea vehemens eſt, & canorum. In monſtris autem poſitione multarum conſonantium, & tono perſonat. Operæprecium eſt iſta contemplari, ſi cauſam forte cognoſcere velis, cur idem alijs & alijs locis vocalius eſſe videatur. Anceps eſt o, apud nos. a Græcis nomine & figura diſtinguitur. longum dicitur ὦ μέγα breue ὂ μικρὸν, vtrunque apud eos frequentiſſimum, ſed alterum altero, beneficio quantitatis largius eſt, ideoq; præ ſe fert geminam alterius figuram. Ideo documento nobis eſſe debet, eandem literã nunc clariorem productione, nunc obſcuriorem eſſe breuitate. In diphthongis o, producitur, fœlix pœna, amœnus, obſcœnus, mœnia, mœreo, pœnitet Nunc vi-

tio pronunciationis auditur e, ſolum. Quod ſi efferamus œ, quemadmodum Gallice regem dicimus, nihil minuetur illius amplitudo. Habes ſonum duarum literarum, quæ ſiquando frequenter concurrunt, plenam efficiunt orationem: vt,

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Anna vides toto properari littore circum.
Sola viri molles aditus, & tempora noras.
I, ſoror, atque hoſtem ſupplex affare ſuperbum.

Neminem veſtrum ignorare arbitror. Iudices, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuiſſe, Caium Verrem altera actione reſponſurum non eſſe, neque ad iudicium affuturum. E, quod profertur ore parcius diducto, minor eſt vtraque, contra duabus reliquis I, & V, maior. Iacet in ſyllaba ſola, præſertim breui. Exilia ſunt enim es, & ſed, ter, det, ſtet, vel, per, & ſimilia. Paulo vocaliora ſunt longa, rex, lex, des, ſtes, res, ſex, ex, ſtens. Argutiores diphthongi, æs, præs, hæc. In coniunctis breuibus, effluit, leget, reget, tepet, releget, tereret, petere, tegere. quod non ſentiunt qui breuem male producunt, ac ſi ſcriberetur leeget, reeget. Ac celera, vt in hoc verſu,

Pacatumq; reget patrijs virtutibus orbem.

Confirmatur productione, vt fecerunt, excedo, telum, credo, iactetur, luctantes, Teucer, Orpheus. Itẽ adiectis conſonantibus, tempeſtates, ardentes, ingens, defeſſi, infectus, euerſa, exemplum, expleuiſſe, dex-

dextra, desc̄edere. Hanc vocem dilatant imperiti, & nō tempus pronūciant sed tampus: non exemplū, sed examplum: & latantam pro latente dicunt. Hoc vitium Galliæ nostræ, Lusitaniæ contrarium. e. frequēs in oratione summissior fertur: vt, Cuncti ad me publice sæpe venerunt, vt suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem: me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Hæc si modulate pronunciabis, audies earum de quibus agimus literarum differentiam: & hæc verba, Ad me publice sæpe venerunt, Me sæpe esse pollicitum, defensionemque susciperem, summissiora dices: illa vero elatiora, Suarum fortunarum omnium causam. Quod si a & o, & e, in oratione dominantur, iucunda varietate consonant, neque sunt vaste agrestia, neque exiliter effœminata, neque pronunciatione difficilia. Sit hoc exemplum Ciceronianum, Tam autem eras excors, vt tota in oratione tecum ipse pugnares: vt non modo non cohærentia inter se diceres, sed maxime disiuncta atque contraria: vt non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio. Brutus hoc.

—Mecumque fouebit
Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

I, litera quæ molliter ore diducto ad dentes pene coeuntes enunciatur, per se exilis est, ac tenuis, vt in his verbis, bis, cis, is, id, lis, nix, in, rix, quis, s, ir,

vis, vir, cinis, digni finis, gignit, hinnit, linit, mitis, nisi, pili, hirci, quiuis, risi, sibi, tibi, viri, virilis, vitijs, imbibit, illinit, immittit, mirifici, inimici. Ex his alia syllabis singulis constant, alia binis, alia ternis, alia quaternis: alia sunt breuia, alia longa: alia aspirationem habent, alia non habent. In alijs ea quæ dicitur vocalis, excipitur vocali, in alijs vna aut altera consonante. Hæc quanquam (vt ante dixi) variant sonos, omnia tamen si ada, & o, & e, spectes sunt tenui & gracili voce. Miscetur alijs hæc litera, & earum vocem imminuit, aut plus si multa est, aut minus si rara. Quapropter antiqui poetæ dixerunt olli pro eo quod est illi. Casus hic dominos, plenioris est toni, quam dominus, & domino quam dominis: & bibat ac bibet, quam bibit, vitia quam vitijs, licia quam licijs. Tenuitatem huiusce vocis demonstrat hoc exemplum: Sæpe enim venit ad aures, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. credo. sed tum id audirem, si tibi soli viueres, aut si tibi etiã soli natus esses.

Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum?

In his quæ plena modulatione sonare debent, huius elementi frequentia vitanda est. Nec opimius ὑψιλὸν, quod y Græcum dicimus. Nomen ipsum tenuitatem ostendit, & vt nunc pronunciatio est, sonat idē quod iota, vt hybla, hyperion, Phryges, syllaba. Coeunt

unt in diphthongon, i & u, vt harpyia. quæ eo dicitur impropria, quod vna modo litera auditur. Iungitur alijs vocibus, vimque consonantis habet, vt ianua, iecur, iocus, Iuno. Nihil horum ex ore mittitur exiliter, sed I, causa non est. Insidit & sibijpsi, vt quum dicimus conjcio, reijcio. Interim duarum consonantium vim obtinet, vt maior, peior, Maia, maiestas. Quocunque modo se habebit, acutum & minutum audietur. Ex quinque puris literis V, ordine postrema est. Labris exporrectis paulumque diductis enunciatur. Sonus eius exiguus est, & effluens. ostendit illud Vergilianum persæpe laudatum,

—Exiguus mus
Subterris posuitq; domos, atque horrea fecit.

quod laudabiliter imitatus est Horatius,

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Quid habent argutum & canorum, mus, sus, plus, thus, fumus, mulus, mutus, ludus, dumus, tuus, suus, bubulcus, subulcus, cucullus, cumulus, tumulus, lutulentus, summissus, exiguus? Plerique populi pro litera u, quarta voce, id est o, ante literas quæ primæ sunt in motu & in nato, abutuntur. dicunt enim sont, pro sunt, tondo, pro tundo, mondum pro mundo, onguentũ pro vnguento, sommißus pro summisso, rõpo pro rumpo. Melius Hispani sic enim dicũt vnguentũ, vt nos vnum Gallice, per eas treis literas quæ primæ sunt in vnguento. Quod si facies, tum manifestã differentiã cognosces inter o, & u, vocales, & pressius hanc quã illam proferes, nec errabis in sono-

rum iudicio. Poser vna, deinde supprime literam nouissimam, & retine vn scies hoc modo aliter vn, aliter on proferri oportere. Sunt qui non Gallico more dicunt cumulum sed coumculoum, vt Hispani, Itali, qui in syllaba ereui diphthongum facere videntur. quod ego nulla ratione probare possum. Manauit hoc vitium, credo, ab ys qui quum viderent μῦσαρ Latine dici musam, putarunt u, & υ, eodem modo proferendum. In hac re laudo Gallorum pronunciationem: quanquam ab ea desciscunt aliquot ciues eorum patriæ contemptores, vt peregrinum quiddam sapere videantur. A Gallo non fatυs sed fatuus, nõ foutourous, sed futurus dicitur. Sic quoque veteres Romanos dixisse, non ita literarum sonos confudisse puto. Quid erat opus μῦρ in musam vertere, si manebat idem in vtroque sonus? Cur Vergilius pro opilione vpilionem dixit in Bucolicis? Si quum tũdo & fugio dicendum est principio tenui, dicemus tondo & fougio: tum u, plenæ non exilis esse vocis falso putabitur. Aliquando falluntur aures alieno sono, vt quum R, aut duæ tres ve mutæ aut simiuocales vocem per se tenuem gracilemque roborant. Hæc enim firma sunt & sonora, rus, rubrum, ruscus, truncat, murmurat, multum, subter, buxum, structura, custodia. Extrema vocalis igitur suapte natura tenuis est. vt illud ὑψιλόν apud Græcos, cuius officium interdum gerit, vt ὗς sus est dictus. sed aliunde nonnunquam dilatatur illius exilitas, vt hic, —Arma, virumque cano.

Idem

Idem iudicium est quum vocalibus adiungitur, vt vanus, Venus, vinum, volo, vultus. in his enim aliunde firmatur, quoniam ex literis duabus vna componitur vox, quæ ad principem maiore ex parte referri debet. Interim adeo patitur attenuationem, vt omnino reticeri videatur, vt aqua, lingua, suauis. Nusquã sonantior est quam in fine verbi, vt cornu, manu, metu, tumultu, veru, tonitru. In hac sede multo plenior est, quam quæ finis est his verbis, sibi, tibi, virtli. Pauca de quinque literarum principibus diximus: de ijs quæ symphona Græci vocant, addamus & pauca.

Ex mutis surdumque spirantibus elementis, B, D, G, vehementius aurem feriunt, propterea quod sunt mediæ inter tenues & crassas: B, inter P, & ph: D, inter T, & th. G, inter C, & ch. figuras notasq; proprias quæ respondeant his φ, θ, χ, non habemus. F, nostrum a φ, græco non multum dissidet, illiq; sæpe succesit, vt φαμὴ fama, μορφὴ forma, Phryges Fruges ab Ennio dicti. B, fortior quã P: D, quã T: G, quã C. abdo quam apto, abdere quam attere, ager quam acer. De K, & Q, idem quod de C, iudicare debemꝰ. Nam pro tribus vna est apud Græcos κάππα nomine. quamobrem superuacuas duas nonnulli putarũt. Ex mutis igitur quinque sunt exiliores, tres expressiores, vna pene crassa. Cõparet aliquis has voces, ab, ac, ad, at, af, in affine, ag, in aggressu, ἀκ in ἀκυρὶω, ap, in Appio, aq, vt ac singulatim. non enim exemplũm reperies in quo q, syllabam componat cũ voce

præpoſita. in aqua duæ ſyllabæ ſunt, a, qua. poſterior eſt q, non prior. Deinde conferat ba, in baculo: ca, in caco: da per ſe: fa, in Fabio: ga, in gabinio: Ka, in Kalendis: pa, in patre: qua per ſe, ta, in tabula: cõparet inquam voces, non magno negotio cognoſcet literarum ſonum. Ex nouem tres recipiunt aſpirationem, & craßius proferuntur, vt Charites, Phalaris, Thalamus, quæ vulgus ac ſi non habeant aſpirationẽ, tenuiter exprimit, ideoque vim ſonandi ſentire non poteſt. Turba valent conſonantes, ſicuti cantores debili voce. Interſiſtunt enim & quaſi colluctantur aggregatæ, & ſi non dulciorem ſonitum, maiorem tamen cient. Experiri licet in his verbis, abbreuio, abluo, abduco, abrado, abſiſto, abſtrabo, Accius, accreſco, aduerſus, adduco, admoueo, affatur, apparet, attritus: in quibus frequenter peccant ij qui ado non addo, aluo non alluo, abas non abbas efferunt. Elementa ſemiuocalia, id eſt ἡμίφωνα, L, M, N, R, S, X, Z, vt ſunt mutis ſonantiora, ita paulo clarius in aurem cadunt. collocantur autem nunc in fine verborum, vt animal, amabam, titan, diſpar, facilitas, rapax. Nũc in principio, vt mane, nauis, ratus, ſatur, Xanthus, Zancle. Sæpe geminantur, vt fallo, flãma, ſanna, farratus. Sæpe cum ſocijs vnguntur, vt calx, lanx, puls, hyems, Tiburs. Ex illis R, quãuis aſperum, tamen validũ & acre. M, firmũ, vt quod labris occluſis exprimitur. L, molle. N ſiccũ & tinniẽs. S humidũ X, ſtridulũ. Z, ſuaue. Semiuocalia omnia præter M, male frequentãtur. Si referes hæc ad auriũ iudiciũ,

Mauult

Mauult loquaculus male loqui quam silere, sentiet quod respuat sensus. & hæc, Nostra nauis plena tandē manis enatauit. & hæc, Rara arbor raros fert fructus. & hæc, Xerxes Xanthum traijcit. Istud in alijs quoq; fœdum est & iniucundum, sed in vocalioribus grauius offendit. Hactenus de literis, quarum differentiam cognoscere necesse est, si de vocum omnium varietate sane iudicare, & ad aurium voluptatem accommodare dictionem velimus. omnes autē velle debemus, ne sua spe fraudatus auditor, nostræ fructū detrahat orationi. In synonymis natura præstat id, quod est sonantius. Nam quum verba sint notæ rerū quibus ad audientem nostras cogitationes perferimus, & pleniora iucundius vehementiusq; moueāt sensum, illa si non semper vsu, natura tamen iure dicuntur esse meliora. Cicero in oratore, Simplex probatur in proprijs vsitatisq; verbis, quod aut optime sonat, aut rem maxime explanat. Plenius est donat, quam dat, memora quam dic, obruo quam tego, habitare quam colere, informare quam instituere, voci ferantur quam clamant, inflammatus quam incensus, tempestas quam tempus, gubernator quā rector, formosus quam pulcher, regnator Olympi quam rex cœli, terra quam humus. Sunt innumerabilia verba generis huius, tum maxime deligenda, quū orationi quæritur amplitudo. Est exilibus & suus locus in re tenui, & gracili genere sermonis. Quid? Omnia quidem loco sunt vtilia ac laudabilia, sonantiora tamen natura sunt præstantiora ac iucundiora.

De verbis grandibus & paruis.

CAP. XX.

GRandia à sonantibus discrepant. illa enim sunt quantitatis, hæc vero qualitatis. illa auribus solis accidunt, hæc & auribus & oculis. illa sono literarum, hæc interuallo numeroq; constant. Horatius quum dicit,

Proiecit ampullas, & sesquipedalia verba,

quantitatem magnitudinemq; verborum grandium respicit. Est enim sesquipedale dimensionis & mensuræ, quæ si non proprie ac mathematice, tamen ex translatione sermonis in verba cadit. Quantitas alia continua, alia discreta atq; numerata. In verbis continua quantitas est interuallum spatiumq; temporis, ac mora qua breuis longave syllaba profertur: discreta vero numerus & multitudo syllabarum. Tempus autem quanquam aliquando numeratur, res est continua. Itaq; grandia sunt verba aut temporum longitudine, aut partium multitudine: ac vt in corporibus, sic & in verbis magnum paruumq; refertur ad aliquid. Nam quod magnum videtur paruo comparatum, idem paruum videbitur maximo collatum. Quapropter magnorum paruorumq; differentia sic accipi debet, vt intelligamus, ex duobus verbis illud esse maius, aut quod alterum temporum interuallo, non syllabarum numero superat, aut quod plures habet numero syllabas. Mater igitur verbum grandius est temporibus quam pater. priorem enim producit,

triumq;

triumq; temporum est. Quamobrem pater pronunciatur expedite, mater lente, non secus ac si maater scriberetur. quod quidem omnibus natura longis accidit. Eadem ratione maius est nare quam mare, fatum quod satum, pratum quam statum, noras quam foras, lora quam mora, vitis quam sitis, sedes quam pedes, murus quam nurus, natura quam satura, legerunt quam regerunt a gero, delenite quam desinite, rupturus quam futurus. In alijs comparandis eadem analogia seruanda est. Quod si diphthongi longiores sunt quam simpliciter longæ, sine vlla dubitatione debent haberi grandiores: quod etiam de producta vocali, quam sequuntur duæ pluresve consonæ, dicendum est. Tum enim longis longiores sunt atque producliores. Maius est igitur fraus quam fas, claudes quam clades. pœnam quam ponam, Anchisa quã Anchise, ars quam as, ast quam at, astra quam ara. Ex ijs quæ diximus, colligere facile est idem & sonorum & grande esse posse, vt tactatus Albanus, morosa fortuna. Nec semper est magnũ temporibus, quod argutum est ac voce plenũ. Clare sonant ab, ad, at, & paria: nec ea iure magna esse dixeris, vtpote quæ singula singulu temporibus constent. Contra, quædã sunt exilia, sed numero syllabarũ grandia, vt inimicitia, vitiligines. Est in verbis quibusdã proceritas, ac multa literarum compræhẽsio, quæ tametsi interdũ magnitudo, proprie tamen multitudo vocatur. Nam magnitudo quantitas est continua, multitudo separata. Multa sunt hac atq; procera, celebritas, formatur,

tur, archipiratæ, balneatores, confirmauerunt, colloquebantur, innumerabilis, irremeabilis, amplificationes, conduplicationes, deliberationibus, interrogationibus. Hæc verborum longitudo sæpius orationi tarditatem atq; languorem, aut vastitatem & inurbanum sonum, quam dignitatem autoritatemq; grauitatis affert. Grandia interuallo firmant orationē. Grandia proceritate aliquando firmant, aliquando grauia sunt, sæpe reliquis imparia et inæqualia. Quāobrem videndum quo loco vtare, quibus immiscea verbis, quibusq; personis attribuas. Si temporum spacio longa erunt, quodammodo torpescent, vt infirmabant, truncabantur, dictatores, confirmauerūt. Eusmodi verborum continuatio fugienda. Si breuia, rapientur & euanescent, vt relegere, potuerimus, voluerimus, cinericius, patefaciet, repetierimus, recubuerimus. Si partim longa, partim breuia, multo minore periculo admittentur. Sunt enim grandium & paruorum tres species, alia grandia spatio temporū tantum, alia numero syllabarum, alia vtroq;. Parua quoque breuitate, vt legitur, fragilis: aut paucitate, vt res, est: aut breuitate & paucitate, vir, sit, Deus, grauis. Parua fere extenuant orationem, vt hanc, Sed quid tu es tristis? Egone? Nescis quo in metu, & quanto in periculo sim. Quid istuc est? Scies. In me omnis spes est mihi. Satin sic est? Non. quid si sic? propemodum. quid si sic? sat est. hem, istuc serua. Hæc ex Phormione Terentiano. In verbis, vt in alijs rebus, seruandus est modus, ne multa continuentur

aut

aut grandiora, aut minutiora. Cæterum parua in sermone tenui, grandia in oratione grandi frequentius collocanda.

De verbis volubilibus, & tardis.

CAP. XII.

TArditas in verbis treis habet cauſſas. aut enim productione, aut proceritate, aut hianti compoſitione generatur. Productio eſt longi temporis, proceritas polyſyllabarum, compoſitio iunctura partium. Spondæum tardum vocamus, qui eſt ex longis duabus, vt moles, ara, tauri, duræ, fœlix. Item moloſſum, qui eſt ex tribus longis, vt primates, confirmant, maturant. Item diſpondæū, qui ſpondæis duobus conſtat, vt Regnatores, contabeſcunt, Pyrrhiū, trochæum proceleumaticum, citos ac celeres eſſe dicimus. Tardam quoq; dicimus orationem, quæ longis omnibus aut certe permultis firmarunt · vt illam craſſi, Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant? & illam Vergilij:

· Hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.
Triginta magnos volueudis menſibus orbes.
Imperio explebit·

Ex contrario volubiliter fluit oratio, quæ breuitate partium lenis eſt.

Conſtitit hic, arcumq; manu, celeresq; ſagittas

Corri-

Corripuit fidus quæ tela gerebat Achates.
Panditur interea domus omnipotentis olympi.
Currit oratio celeritate pedum, lente & sensim mouetur eorundem tarditate. vnde planum fit, esse in tempore syllabarum aut volubilitatem, aut tarditatem. Tarda quidem sunt verba procera ac polysyllaba, nisi quum tota aut pene tota corripiuntur: sed tum (quod ante dixi) rapi videtur & euanescere. Sed & in correptis quadā tarditas est, vt colubro fugiente longitudo corporis. Quod vno spiritu proferuntur, vnoq; conatu, celeriter admodum feruntur, cituſq; multo quam diuisa currunt. Expeditius pronunciaueris hoc verbi voluerimus, quā opera mea, propterea quod hic sunt duo conatus, & totidem accentus, sed in simplici atq; integro plus elaborabat anima, & spiritus in longum protractus, tametsi minus subsistit, plus tamen subsistisse audienti putatur: vt labor diuisus minor est, integer autē maior. Hinc fit, vt eiusmodi voces aptius in clausula ponantur, quam totidē pares syllabæ in pluribus. Minus enim subsultant, vt qui iunctis manibus firmant gradum. Aptior est hæc oratio, Qualis quisq; futurus sit, patefaciet initium. quam hæc ex totidem breuibus, Qui fert omnia patienter, leue gerit onus humeris. Hoc qui fit? Quieta minus est secunda. Tardiora sunt polysyllaba producta: & quantum accedit ad tempus syllabarum, tantum accrescit tarditati. His duplex inuehitur mora: vna a productione, altera a proceritate, quæ spiritum continuat infractum, de quo proponamus exempla:

Cor-

Cornua velatarum obuertimus antemnarum.

Immittebantur illi continuo Cybiratici canes, qui inuestigabant & perscrutabantur omnia. Quid? inquies: inter ea quæ separata sunt, aliquid est medij temporis, quod in simplicibus non est: vt quum dicimus, Seruari debent, vno pronunciato paululum interspiramus, antequam proferamus alterum. Illud igitur inuestigabant, quam, seruari deberent, paulo celerius est & volubilius. Sic quidem res est in temporum mora, sed quia in vno verbo accētus est vnus, in pluribus plures, mobiliora minuq; tranquilla videntur esse plura, vnica contra pigriora, vtpote quæ longe trahuntur sine modulandi varietate. Ad hæc grandia sunt, & mole sua laborant: quamobrem in versibus hæc, quum res graues ponderantur, aut languor exprimitur, lubenter vsurpant poetæ,

Chara deum soboles, magnum Iouis incrementum.

Constitit, atq; oculis Phrygia agmina circunspexit.

Versus est hic Horatianus,

Diuisit medium fortissima Tyndaridarum.

immuta paulum, vt sit,

Diuisit medium fortissima Tyndaris aurum.

sentisne vtrum istorum sit vastius ac immobilius? hanc certe reperies causam, cur tantam verborū proceritatem fugiant poetæ. Tertium genus est ex hiulca & aspera coagmentatione, non ea quæ in duobus est verbis, sed quæ inter syllabas vnius inuenitur, quū vocalium concursio est, aut certe consonantium aspe ritas & multitudo. Tum enim spiritus intersistit

in co-

in conatu, ac veluti quibusdam salebris intercluſus eluctando immoratur impetum, & ante nonnullum tempus abſumit, quam de ſyllaba in ſyllabam feratur. propterea frequēter accidit, vt vocales loco priores neceſſario producantur: vt in his, Machaon, *Aonius, Amphiaraus, Menelaus, Laomedon, Melibœus, diei: diphthongus, conſtantia, direxti, arctaunt, abſtruſus, inextricabilis. Confer aras & arctas, noras & noſtras, verum & veſtrum, attulit & abſtulit, motum & monſtrum, baccillum & paxillum, eluſit & excluſit. Confer inquam atq; perpende, vt iudices alterum altero quāto volubilius & expeditius, eo quod pronuncianti nullo ſunt impedimento multæ conſonantes. Ergo ſpacium & interuallum temporis, & ſyllabarum moles, & earum aſpera concurſio, retardat pronunciationem. Contra correptæ vocales, & verba temperatæ dimenſionis, & preſſa coagmentatio, volubile genus, & quodammodo rotundum faciunt. Aliud alijs locis eſt vtile, vt poſtea dicetur. Quæ ſunt vnius aut alterius ſyllabæ, ſi continuantur, ſubſiliunt, nec ſatis volubiliter more fluminis alueo prono decurrentis feruntur. In illis igitur potius eſt leuitatis inconſtantia, quam volubilitas æquabilis. Non ignoro tardum & volubile eorum eſſe quæ referuntur ad aliud. hoc modo & comparate dici, ſyllaba producta, quam correpta tardior eſt: verbum proceri corporis lentius eſt quam breue: vox cui hiant iunctura partium, pigrior eſt ea, quæ molliter & facile cohæret. Sed nihil vetat, quo minus hic*

vta-

mur apertiori genere dicendi, & rhetorum more de re desputemus.

De verbis lenibus, & asperis.

CAP. XXII.

EX verbis alia sunt lenia, & quasi suauia, alia dura & aspera. Hæc tristia sunt, illa vero iucunda. Ex illis suaue dicendi genus, ex his horridum ac seuerum conficitur. Vocales omnes suapte natura molles sunt & suaues. Non enim horride sonant, nisi quum iunguntur asperis consonantibus, aut facta cõcursione exasperantur. Id quoniam ad aurium iudicium refertur, interroga tuas aures, sint ne suauia quæ proponemus, massa. sæpes, ipsis, homo, sumus. Si in his vniuersis vocalis est omnis, nec vlla non dulcis, facile est credo iudicare, si quæ est asperæ vocis, non ne vocali, sed alunde concitari. Alter hoc scire potes experiundo quid vnaquæque sola puraque sonet in his verbis, amor, emit, idem, onus, vrens. Horum primæ syllabæ constant literis singulis nihil insuaue & iucundum sonantibus: quæ res ostendit quid de vocalium sono pronunciare debeamus. Nec in omni concursione vocales sunt asperæ & haud dulcæ, etiam si alijs & alijs partibus oris exprimuntur. Signum est, quod præterieram docti, quam præteriueram dicere maluerunt. Sæpe mollitur amiceque concurrunt, vt meus, mei, meo, mea. Durius & agrestius est meæ, quo Vergilius vtitur in versu Bucolico,

Mille meæ Siculis errant in mentibus agnæ.
*ſuus ſuo ſuæ ſua, prona ſunt. manui mei ui luctui, nihil offendunt aurem, vt ſupra demonſtrauimus. Item pius pia pio piæ, non ſunt abſona, at pij ſubruſticanum eſt, niſi fiat quaſi ſynæreſis. propterea dij & μονοσυλλάβως proferimus, & iſdem Ennius probauit. E, & I, ſibi male inſidunt, cæterum E, & I, & V, vocalibus antepoſitæ nō admodum aſpere diſſonāt. Dura ſunt aa, ae, ai, ao. Argumento ſunt πρέαα, πρέαε, πρέαῖ, πρέαΘ, quæ Græci propter abſurdum hiatum contrahere & aptare ſynæreſi ſolent, hoc modo πρέα & iota ſubſcripto πρέᾳ, πρέως. Iniucūda quoq; ſunt οα, οε, οῖ οοῖ οὐ. quāobrem Attici βοῶ, pro βοάω, χυσόω pro χυσέω, χρυσῶμι pro χρυσόομι, χρυσῶμαι pro χρυσόομαι, λιτὸς, λιτῶ, λιτῶ, pro caſibus λιτόΘ, λιτοῖ, λιτύα contrahūt, & δημοσθενέος & δημοσθενέας in δημοσθεῖς, & ὄφιι, in ὄφι ὄφιος & ὄφιας in ὄφις. Aaron igitur, Phaethon, aulai triſyllabū, machaō, Oaxes, Amphiaraus, Phoroe, Oileus, Laocoon, cous, Neara, & ſimilia rictum diducunt, & inurbanum quiddam ſubolent. Duri aliquid, at Græci contrahunt εῖ, & εο, & εα, quæ mollia dicu eſſe. Quid tum? Omnis concurſio vocalium efficit hiatum. ſed non eodem modo. Earum dura habeo pro mollibus. Senſerunt hanc aſperitatem veteres Latini, & in multis contractione ſunt vſi, cuiuſmodi ſunt hæc, huic, cui, dij, dijs, dein, proin, deeſt, ſemianimus, prehēdere, peculi. Ex quibus priora ſepiſ

monoſy
ac decim
hanc vb
more G
ficult as
tia quæ
cero, ill
dam, &
homini
poſitior
teſt. Va
& quæ
vieo, coe
bā, doce
mollita
ci, etſi G
minus fr
tium in
ſuauis, v
na, ded
iunium,
quinqua
vt minus
morta, m
zizania
petiuerū
rūt. Qua
trouerſi
& ſerta

monosyllaba, tetrasyllabū octauum, trisyllabū nonū, ac decimū. Quod autē nec concisa omnia decerent, hanc vbiq; seruare religionē possent, admisere quædā more Græcorū, maxime poetarum, quibus amica difficultas, & sonora magnitudo. Et hic certe negligentia quædā diligens nō erit ingrata. Habet, inquit Cicero, ille tanquā hiatus concursu vocaliū molle quid dam, & quod indicet non ingratā negligentiā de re hominis magis quā de verbis laborantis. Quod de cōpositione dictū quidem, sed & huc accommodari potest. Vaste sonare iam diximus diei, speciei, materiei, & quæ tot vocaliū diuiso concursu laborant, vt cieo, vieo, coeo hinc redeo factum, ne reeo diceretur. sio fiebā, doceo, docebā, videbā, videantur, & alia quædā iam mollita sunt vsu. Omnino in hac re Latini quā Græci, etsi Græcis dedit ore rotundo Musa loqui, multo minus frequētes & intēperati. Duplicatio consonātium in finitimis syllabis fere subaspera est, atque insuaue, vt barbara, bibebat, cucullus, Cacus, Dodona, dediderat, furfur, fefellit, Gargara, gurges, ieiunium, lallare, vlulat, Nanetes, Nimmitæ, papilla, quinquaginta, rara, turtur, intexta, Zerxes. M, & S, vt minus duras excipere licet, mamma, memor, memoria, mimus, Mamurius, sesamū, susurro, Sisyphus Lizania S, literæ sibilum odere Hræci, nec eam repetiuerunt in præteritis, & ἵζημι pro οἴζημι dixerūt. Quæ litera prima est in rapaci, omnes curas controuersiā asperitate & tristitia vincit, vt, Frugiferæ & ferta arua Asias tenet. De quo versiculo Cicero,

Proximus inquinatus insuauissima litera infinitus. In principio verbi & in fine sonat acerbius, in medio paulo dulcius, vt rapax, amor, vrit. Geminata vero canimum stridet, vt horreo, farra, Pyrrhus: quod molliunt aspirationes Græci πύῤῥος, θαῤῥέω. Iratis, & ex stomacho ringentibus, aut bellicum canentibus, mirum in modum congrua est. Et in suaui genere nil displicet modice, & temperate collocata, vt, Ex eius ore melle dulcior fluebat oratio. In versu ideo sæpe statuēda, quod modulationi carminis addit robur, vt

—Facilis descensus Auerni,
Sed reuocare gradum superasq; euadere ad oras,
Hoc opus, hic labor est.—

Iungitur cum multis in eadem syllaba, vt brachium, crastinus, dromo, fragor, graius, Praxiteles, tragula. Præmittitur eisdem in diuersa, arbor, arcus, ardor, perfectus, arguo, arpinas, artus. Præponitur & semiuocalibus, vt perlustro, arma, carnis, torret, arsurus, ars, Artobarzanes. In his omnibus asperior est quam cum solis vocalibus. Nam quantum consonantes augentur, tātum crescit asperitas: quod de cæteris quoque dictum puta, vt carbasus, stratum, Thrax, mors, sors, stirps, vltrix, dextrorsum, sinistrorsum. X quoque durum, & auribus ingratum esse demonstrant hæc audita verba, pax, fax, rex, lex, mox, faxit, luxit, fluxus, anxius, coxendices, fraxinus, appendix. Reliqua per se in principio & in medio non offendunt audientem, vt videns, cœlum, dies, fama, gubernat, lugiter, lima, minus, nolo, Paulus, quatuor, sanus, talus,

lus, vinum, zea. Suauißimæ ſunt L, M, P, S, Z, & V, conſonans. Indicant hæc voces, fuit, lano, mutuum, patiens, ſino, Zacynthus, validus. Iam quæ cum quibus aſpere audiantur, oſtendit ratio iungendi. Veteres enim dixere comburo, committo, compono, imbuo: non conburo, conmitto, conpono, inbuo: propterea quod N, ante literas quæ labris exprimuntur, abſona eſſet, M, contra perquam ſuauis: vt ambulo, ambio, compoſitus, complicatus, commercium, imber. Colligo pro conlego, colluceo pro conluceo, corrado pro conrado, cooperio pro conoperio dixerunt, quod alioquiſoni diſcordes eſſe viderentur. Dixerũt item aufer non abfer, accedo non adcedo, affer non adfer, alluo non adluo, annuo non adnuo, appono non adpono, acquiro non adquiro, aßigno non adſigno, aſſcribo non adſcribo, attulit, non adtulit, & prope infinita generis eiuſdem. Sunt tamẽ Panes Arcadici, & Midæ ſubauriti, qui tam varie literam vnam mutare dolunt, adfero dicunt, & adpono, & adſigno, & adſcribo: & temere duritiam affectant, propterea quod tale quiddam reperiunt apud veterrimos. Inlino viſum eſt agreſte, dictumque illino, & eodem modo illepidus, ignotus, ignauus, irriguus, irritus: amouit non abmouit, abegit non abſegit, abſtulit non abtulit, erigit non exrigit, abſceßit non abceßit, eluo non exluo, tranat non tranſnat, traducit non tranſducit, transfert nõ trafert, dirumpit non diſrumpit. Itẽ diſfero non dufero, diſiungo non dijungo, diſpono nõ dipono, diduco non diſduco, diripio non diſripio. Contẽ-

plator hanc mutationum varietatem, vt quæ quibus consentanea aut dissentanea sint, ex antiquorum iudicio vere pronunciare possu N, ante C, D, Q, S, T, non insuauiter auditur, vt ancilla concilium, tunde condo, inquiro, nunquis, mons insens, sunt amant. In fine tinnit, vt nomen, tiran, delphin, solon. Et Latini multa per o, definiunt quæ Græci per ω, vt Plato, leo, draco. Nec molliter sibi adjcitur, cānan, sanna. C, P, T, quia tenues sunt, & quodammodo sicca, interdum recipiunt aspirationem, vt pulcher, simulachrum, triumphus, trophæum, thus, Cethegus: quod qui non intelligunt, triumpum dicunt, & tropæum. C. ante L, Classicum sonat, vt clangor, claudo, clades. Nec magnam habet affinitatem cum siccis liueris, vt N, & R, ideoq; Gneū pro Cneo, amurgam pro amurca, & ad eam similitudinem Gaium pro Caium dicimus. Nam sicca non aliter aures quam dentes obstupefaciunt. Aures autem de lenibus & asperis iudicant, nec asperitatibus corradi, nec suauissima mollitie delenitæ quasi languere & dormire volūt. Hīs de sono verborum iudicium relinquamus.

De verbis integris, & corruptis.

CAP. XXIII.

Moderantur aures, & integris, & concisis. Integra dico quibus nihil est neque detractum, neque additum, neque mutatum. Nam perinde loquī possumus de verbis, atque de corporibus humanis, quæ

quæ si quid detrahas, vt vnum de quinque digitis: aut addas, vt gibbum dorso: aut mutes, vt pedem in trāsuorsum: integra manere non videntur. Integris semper vtendum, nisi aliud suadent aures, & vsus. Erit enim barbarismus, nisi sensus excuset, doctorum consuetudo. Barbarismum fieri quatuor modis vel grammatici docent, additione, detractione, immutatione. Duas posteriores formas mudandi nomine comprehendo, quoniam aut est mutatio loci, aut certe litera vel syllaba. In hoc genere liberius agunt poetæ. Addunt, vt, Induperator, alitunum. Detrahūt, vt, Cum genere extiuxem, Accestis scopulos, Repostum, direxti, peculi. Mutant, vt olli, vpilio. Transmutant, vt quum Tarsumenum dicunt pro Trasumeno. Tempus adiiciunt, vt,

Mortem contemnunt laudato vulnere Getæ.

Tempus auferunt, vt,

Totūq; instructo Marte videres Feruere Leucatē.

Admutunt synæresim, vt,

Orphēq; Calliopea, Lino formosus Apollo.

Seu lento fuerint aluearia vimine texta.

Iam contrariam recipiunt diæresin, vt quum dixit Horatius syluæ per tres syllabas. Oratoribus vsus istorum multo parcior est, propterea quod numeris solutioribus vtuntur, & ad communem loquendi morē proprius accedunt. Non vbiq; tamen integra & incorrupta probant. Dicūt enim nosse, iudicasse, audisset, ligurierat, & similia. Hosce, huiusce, suapte, & pluraliter deum, liberum, fabrum, procum, numum,

sestertium, talentum, quingentum, duumuirum, tri umuirum scripsere, dixere, nequeo, vincla, secla, soldum, caldum, sis pro si vis, & apagesis, pro apagesi vis, & id genus pauca. Hic præceptum non habeo, au toritate nitor. Cur enim potius liberum dicunt quã filios filiasq; signficant, quam quum libertate præditos? cur fabrum non librum? cur talentum non vestimentum? caldam non valdã? valde non calde? vincla non tabernacla? soldum non stoldum? sæcla non ficla pro siculis? Hæc ad vsum credo, non ad rationem præceptumq; referuntur. Ergo receptis vtere, noua & inusitata ne temere vsurpa: vbi licebit vtrunque, integrum & corruptum, refer ad aurium iudicium, & aptius tum numero tum sono delige. Hactenus de verborum simplicium varietate, Transeamus ad col locata. Sed est qui me reuocet, Heus tu, nihil agis de verbis elegantibus & inelegantibus, de venustis & inuenustis, de pulchris & fœdis, de iucundis & tristibus, de bonis & malis, de poeticis & oratorijs, de lectis & inelectis, de triuialibus & absurdis, de natiuis & factis, de indiuiduis & iunctis, de dilucidis & obscuris? Bene mones. Hæc pene præterieram. Elegantia, venusta, pulchra, iucunda, bona, lecta, nomine magis quam re differunt. Ea sunt quæ vel significatione, vel sono demulcent animum, vti grauia, sublimia, dulcia, sonantia, commode assumpta, & quæ maxime proprie dicuntur. In barbaris, aut inusitatis, aut rusticanis triuialia & absurda numerantur. Natiuum, factum, indiuiduum, iunctum, dilu-

dilucidum, obscurum, commune est omnium verborum. Nullum enim genus est, in quo non sint alia natapene cum rebus ipsis, alia postea facta: alia simplicia, alia composita: alia dilucida, alia obscura. Poetica eadem sunt quæ & oratoria, nisi quod factis, & translatis, & tropis liberius vtuntur poetæ. Assumunt & ea, quæ patronymica vocantur, oratoribus inimica, & vagis epithetis carmen explent, quæ (nisi quis libere vagatur) orator vt in epidictico genere non admittit.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

POsteaquam verborum, quibus omnis extruitur oratio, naturas atque differentias explicauimus, supereſt vt qua arte in oratione collocari debeant, & quæ quibus dicendi generibus sint aptiora, breuiter exponamus. In ædificatione autem plus est artis & exercitationis, quam in apparatu quasi materiæ, atque partium delectu: quemadmodum maioris est ingenij ac lõgioris vsus aptè construere domum, quam rudia saxa, & arborũ molem indigestam comportare in vnum: & minus operosum, particulas auri & quasi ra-

menta colligere, quam aurum lectum solidare, & expolire solidatum. Sed vt ante diximus, difficultati non erit impar gloria, si non apud istos linguæ Latinæ carnifices, qui tametsi neque res neque verba tenent, non de verbis tamen, sed de rebus laborare se gloriantur, saltem apud æquos bonosq; rerum æstimatores, qui malunt vtrunque studium & intelligendi & eloquendi, quàm vel alterum, vel neutrum. Sentire præclarè, laudabile est: eloqui compositè, pulchrum: vtrunque coniungere, longè pulcherrimum. Sed (vt ante diximus) ab hac gloriæ præstantia summouemur aut ingenij sterilitate, aut inerti desidia, aut inopia magistrorum, aut opinionum prauitate. Nemo nisi fœlici natura præditus, consentanea inter se componet, & rebus aptabit genera dicendi. Est enim venæ ditioris, verborum copiam ferre: & iudicij naturalis vnà cum arte iudicare, quæ quibus optimè cohæreant. Nec est, quod mirari debeamus, si pleriq; studiosi componendi, frustra laborarunt, quippe qui animi celeri motu, & naturæ muneribus essent destituti. Non defuit ingenium multis, sed quod natura contulerat, inertia atque torpore demerserunt. Viderunt stylum diligentem esse magni laboris, quem perferre nequit ignauia. His igitur odium literarum, illis falsa de se

fuit

fuit opinio. Nec vis illa natiua, atque literarum studium profuit, vt multis iam diximus initio libri superioris. Non erat qui agrum fertilem, & cultus appetẽtem excoleret, præceptionumque seminibus ornare sciret: aut certè si quis erat, artem animi colendi nesciebat. Hos ego nihil accuso, miseros, quibus non voluntas, sed fortuna defuit. Accusandi sunt nimium remissi, quique naturæ bona prauis opinionibus corruperunt. Ex quibus honoris & quæstus auidi, ad earum artium fastigia prouolant, quarum quæstuosa est negociatio: scribendi artem, & cæteras omneis elato supercilio fastidiunt: quasi verò cacumina sine radicibus stirpibusque stare possint. Quid opus est, inquiunt, elegantia verborum? ad quid ille sermo tam cultus? cur verba seligimus? cur in coagmentatione syllabarum, & in dimetiendis breuibus & longis consenescimus? Quid mendicamus in re tenui? Verba negligamus, & quadratam orationem: scientiam rerum magnarum comparemus. Demus operam Reipub. necessarios adiutemus, & amicos. Hæc & alia stultè & arroganter. Quoniam ex barbarie tua & impura collunione verborum, quandam pecuniam conficis, bonas artes paruo contentas insolens aspernaris. Non tenes neque scientiam morum, neque naturæ par-

ræ partes, & earum cauſſas. neque rationem diſſerendi, neque vllam philoſophiæ particulam, neque eloquentiam, neque prima rudimenta literarum, neque vllam omnino diſciplinam. Noſti fortè, nec probè noſti, treis aut quatuor legum titulos, aut quædam principia medicinæ, aut aliquot quæſtiones diuinæ ſcientiæ, & falſa ductus opinione, de cognitione rerum gloriaris. Omnia (quanquam pro nihilo tua ſunt omnia) refers ad vanæ gloriæ ventos, & ad fortunæ ludibria. Quumque diſcantur artes ad animi cultum, nullum iudicas eſſe fructum earum, niſi qui ambitioſè & auarè percipitur. Quid ſi coriarius cerdo te ditior eſt? quid ſi Reipublicæ vtilior? quid ſi populo conſpicuus magis? Fallis, decipis, eludis, circumuolitas, corradis vndique rem quantum potes, tantum in vſus tuos conuertis: totum diem inhias prædæ, & re ſæpe, animo ſemper, inops es, ac mendicus. Quod facis, mille viri in ſingulis ciuitatibus idem facere poſſunt, aut certè faciunt. Ambis primos honores in conuiuio, in theatro, in ſermone, in conſilio, in templo, in omni loco: ſed quoniam rudis es & ineptus, te docti execrantur, te prudentes in ſtultis numerant, te primores grauiter ferunt, niſi qui ſunt tui perſimiles. Te plebecula vellicat abſentem, præſenti

senti simulatos exhibet honores. Quid affers boni ciuitati? quid honoris imperio? quid non potius dedecoris? Nonne fœdissimum est videre ingentem multitudinem eorum, qui nomine literarum primi volunt haberi, quum literatorum modò vestitum, literas habeant nullas? Non omnium turpissimum, vitam dedicasse liberalibus studijs, postea ab illis desciuisse ad auaritiam, & inanes ordinum titulos? artes omnes improbasse? corpori quàm animo benè esse maluisse? Quin deponis habitum? Quin te profiteris inimicum artium optimarum? Quin desinis maledictis insectari literatos, ac eos qui te meliores sunt. & ciuibus suis nec tam indecores, nec tam perfugæ? Pares cum paribus facilè congregantur, miles cum milite, dux cum duce, senator cum senatore, iudex cum iudice: tu cum imparibus. id est, cum indoctissimis esse mauis, & omnibus doctis inferre nefarium bellum. Erro. Pares tibi sunt indoctissimi quique, ineptiarum amantissimi, disciplinæ cultioris osores accerrimi. Sed benè res habet. Rides eruditos, te rident eruditi. Contemnis illorum præclara studia, contemnunt ignorantiam & sermonem tuum barbarum ac putidum. Deprimis eos, habent te infra mortales omnes, & proditorem scientiarum atque desertorem esse iudi-

iudicant. Quos despicis, suscipiunt exteræ gentes: quos vituperas, sapientes laudibus in cœlum ferunt. Quos abolere contendis, nomine & gloria perpetuum viuent. Quos abiectos esse vis vt ignobiles atq; plebeios, in ore populi versantur. Tu lates in tenebris, semper inglorius futurus, nisi tua te scelera fecerint insignem. Desine desine tandem lacerare communem multarum gentium linguam, tibique nimium placere. Quanti sit oratio composita, antea demonstrauimus, vt calumnijs improborum amoliremur. Quòd esset pulcherrima, & homine libero dignissima, ac Reipub. perutilis, in summis ciuitatibus fuit in summo loco supra duo annorum millia: quumque semper inimicos haberet, & rabulas πραγματικοὺς, & contentiosos sophistas, & φιλοσόφους, & homines ingenij mortui, qui sapere se credunt, si quantum vulgus indoctum, tantum post studia longa sapiunt: quum istos, inquam, & alios haberet inimicos, nunquam cessit inuidiæ, nunquam conticuit in celebri conuentu, nunquam cessauit obire legationes, interpretari iura gentium, res gestas mandare memoriæ, res viuorum mortuorumque testificari, refutare improbos, confirmare probos, optimi cuiusque rationes & inuenta explicare, alios defendere, alios com-

commendare, alios solari, doctissimorum labores immortalitati dare, artes omneis ad posteriorum monumenta complecti. Dum artes ingenuæ florebunt, oratio flexanima, ac regina præstantissima, longè lateq; regnabit, ac inter virtutes maximas excellet. Breui sepelientur eius inimici. Illa semper magno cum honore circunferetur, passim legetur, vulgò instituet animos amatorum suorum, & suo splendore excæcabit oculos barbaræ dictionis. Si cui paupertatis videtur esse comes, is nihil sapit. Non metuit pauperiem, qui ex arte dicendi nomen amplissimum sibi comparauit. Cui bona fama est, mihi sanè diues est. Cui tantum fortunæ diuitiæ, pauper. Qui dicit eleganter & compositè, ratione & sermone fruitur vt summus vir. Qui inemendatè fœdeque balbutit, semper est infans, tantumque ab humanitate distat, quantum à puro sermone (qui proprius est hominis) recedit. Quæ quum ita sint, operam demus orationi, sine qua neque cogitationes mandare scriptis possumus.

Oratio

Oratio alia soluta, alia vincta.

Cap. I.



Omnis oratio vel est soluta, vel colligata. Solutam dicimus, quæ numerorum vinculis & compositione verborum caret. Qui fundit eam, non elaborat vt omnia verba inter se consonent, atque sine hiante iunctura copulentur: non obseruat quos ordine statuat pedes, & quomodo clausulam finemq; deponat. Curam adhibet, vt Latina sit, & emendata. Quantum vero modulatione delectet aures, quantum mulceat animos, aut quia nescit hanc artem, aut quia non semper adhibendam putat, non animaduertit. Hoc genere sermonis vtuntur omnes qui componendi leges, & eloquendi præcepta nesciunt, vt plerique musici, arithmetici, geometræ, astrologi, quique nihil aliud sunt quam grammatici, qui morales, qui physicas artes atque dialecticas aut scriptitant, aut interpretantur. Quibus adde multos magnarum artium professores, quibus est vna cura rem suam cognoscere, terminis (vt aiunt) suis vti, conceptus animi sermone inornato & inconduto comprehendere. Ornamenta dicendi, & flores orationis (vt dicitur) aspernantur: vt veritas habet, ignorant. Adhiberent, si possent, ij qui subinde ponunt vnum aut alterum, nescio quod ornamentum, si quod forte audiendo legendove cœperunt: vt pauper ille, qui quum vellet haberi lautus, argenteum vas, nec ipsum satis elegans,

appo-

apponebat ad omnes vsus, & erat pro lauto ridiculus. Quod nesciant ornate dicere, ego quidem istuc venia dignum censeo. Non omnia possumus omnes, inquit poeta. Et maximas artes versantibus, concedendum videtur, vt suo quodam genere loquendi potius vtantur, quam vt rerum cura deposita, verborū sectentur ornatum, neutrū tandem perficiant. Quod eloquentiam maledictis persequantur, inhumanum & flagitiosum & intolerandum esse iudico. Diuinā sapientiam tollunt, quæ nonnunquam in hominis ore lucescit. Non agam tam grauiter. Plato philosophorum omnium princeps, in omnibus suis libris vsus est eloquentiæ viribus: vsus est Aristoteles, quem vti deum venerantur isti contemptores eloquentiæ. Ab ea Theophrastes nomen inuenit. Nam quum Tyrtamus ante nominaretur, Aristoteles præceptor eius a diuinitate dictionis Theophrastum, autore Laertio, cognominauit. Ab eadem Chrysostomus nomen accepit, cuius est summa vis in explicando & exhortando. Lactantius theologus ab ornatu dictus est Cicero Christianus. Galenus copiose & composite tractauit artem medendi. Iulius Firmicus astrologiam, Columella rem rusticam. Iurisconsulti Pandectas nomine eloquentiæ laudant, quam vere, non dicam hoc loco. In illis sermo proprius est ac Latinus, nec omnino solutus. Magnam vim hominum disertorum in omni disciplina numerare possumus, quos habent magistros isti vituperatores orationis, quos vehementer admirantur, quos pares cœlestibus animis

existimant. Quæ ratio flexit eorum mentes, vt exturbare conentur quod summi quiq; viri non modo probarint, sed magna voluntate sint amplexi? vt vitio dent illud, quo optimi scriptores etiamnum maxime laudantur? vt barbarum quam Latinum, vt horridum quam cultum, vt dissipatum quam compositum, vt fœdum quam honesti ū genus orationis sequi malint? Ambitio & dominandi cupiditas alios ducit in errorē, alios inteſtinæ simultates, alios auaritia, alios inanes tituli doctrinæ, omnes veritatis ignorantia. Nulla est ars nullaq; disciplina tam spinosa, tam horrida & inculta, cui non possit adhiberi decor, cuique non aliquando sit additus nitor & cultus orationis. Hac tempestate reperias in singulis artibus eruditos, qui non modo pure & Latine, sed etiam ornate & composite dicant. At hæc rara auis est. Maior pars eorum quos ante numeraui, solute loquitur & dissipate, nisi siquando fortuito imprudētibus aliquid numerose cadit. Idem omnibus frequenter accidere videmus. Nec multis verbis agendum est de scriptoribus, qui barbarismis scatent atque solœcismis Non enim inter eruditos, sed inter βαρβάρους habentur. Qui incorrupte tantummodo & emendate loquuntur, & imagine quadam elocutionis oratoriæ fallunt imperitos, dicimus eos vti sermone dissipato Ne compositos esse iudicato, quod de loco in locum verba mutent (id faciunt & pueri infantes, & indoctissimi quiq; ue) sed quod neque apte verba connectere, neque pedes obseruare, neque modulari comprahensio-

sionem sciunt, incompositos esse dicito. Proponamus orationem dialectici cuiusdam, vt sibi videtur, admodum compositi, atque pure loquentis. Vox est, inquit, vt a nonnullis definitur philosophis, ex ictu aeris elicita qualitas auribus accidens. A recentioribus autem, & ijsquidem, qui superioribus aliquot annis circa hanc artem versati sunt, magis conuenienter accommodateque ad hunc locum hoc pacto definitur, Vox est sonus, qui ab ore animalis proficiscitur, certis quibusdam naturæ instrumentis formatus. Dicet aliquis e rudibus, Quid est hic vitij? Quid? In dactylos duos, non aliter atque in Asclepiadeis carminibus, prima cadit oratio. Duæ posteriores spondeis longisq; syllabis in fine torpescunt. Rhythmicis vtrunque vitiosum, verba verbis non cohærent, vt hæc, a nonnullis definitur philosophis. & hæc, circa hanc artem versati. & hæc, accommodateque ad hunc locum. & hæc, quibusdam naturæ instrumentis formatus. Ad hæc nullus est motus volubilis, nullusq; cursus orationis ex ea pedum collocatione quam desiderant ambitus, atque numerosæ conclusiones. De cæteris eodem modo iudicandum. Immutemus paulum, si placet, & minus affectate loquamur, vt intelligant imperiti, hic non esse quærendam verborum traiectionem, nisi quo suauius atque modulatius audiantur. Vox (vti definitur a quibusdam philosophis) qualitas est aeris ictu nata, quam percipiant aures. A recentioribus autem, qui paucis his annis in hac arte versati sunt, explicatur

alia definitione, quæ videtur esse loco præsenti magis accommodata. Vox est sonus, qui naturæ formatus instrumentis, ex animalis ore procedit. Quid agis bone vir? vin' tu philosophorum sermonem magnis rebus occupatum, compositionibus ac numeris alligare? Minime vero. Ostendo quæ sit oratio soluta, quique minimo negocio vinciatur, vt sit & capiu facilior, & iucundior. Verba misces, atque naturæ vertis ordinem, vt agas oratorem. Quid ita quæso. si philosophi repudiant ornatum? Viere sermone cotidiano pro libidine tua: quanquam subito dicere pure & ornate, pulcherrimum est. Libros si non optime, saltem mediocriter exorna. non modo vt ne repudientur ab optimo quoque, sed etiam ne des infantissimis hanc inepte scribendi licentiam. Si in philosophia scribenda Ciceronem non dico orantem, sed philosophantem imitari non potes, imitare Cornelium Celsum, aut Senecam, aut Plinium, aut Lactantium, aut Hermolaum, aut alium qui sit vsus oratione emendata, & aliquo quasi vinculo deuincta. Quod si ne id quidem potes, satius esse puto quiescere, quã ad ignominiam & æternum dedecus tanto opere laborare. Ego certe qui nihil possum, conquieuissem, nisi tam multos ineptissime scripturire vidissem. Illorum sit infamia, qui fecerunt, vt cum multa aliquid auderem. Sed redeamus ad rem. Soluti sunt omnes, qui componendi vias ignorant. Quod si feruntur aliquãdo præclare, casu sit illud & ingenij viribus. Quid tum acciderit, nesciunt, & ipsi de se iudicare nõ possunt.

sunt. Ab vna aut altera numerosa comprahensione si de toto genere sententiam feres, errabis. vt ij qui a parte totum colligere conantur. Soluti sunt & ij, qui negligunt vltro compositionem, quam si velint seruare, commode posint. Horum duo sunt genera. Alij quod audiant Isocratem in senectute fuisse minus elegantem, & eandem in se causam recidere videant, hoc sibi propter ætatem concedi volunt. Quod illis quidem facile concedo, si modo non omnem compagem resoluant. Alia sunt ornamenta iuuenilia, alia senilia. Aliter orationem pro Roscio Cicero iuuenis, aliter Philippicas idem senex composuit. Vbertas & elegantia iuuenem, seuera breuitas & grauis ornatus senem decet. Nec multo secus est in corporis ac in orationis ornamento. vtriusque decorum versa mutat atas. Alij negligenter effundunt orationem, aut quia tractant eam materiam, quæ nullo sit ornatu vestienda, cuiusmodi sunt epistolæ familiares leuioris argumenti, & inenarrationes interpretantium, & parua momenta quæstionum atque causarum. aut quia res ipsa per se grauis, ad scientiam non ad aurium voluptatem comparata, sermone inculto versatur a doctis, vt theologia, philosophia, medicina, iuris & legum scientia. Hos, vti superiores, haud probabo, si quum possint expedite partem componere vel maximam, omnem tamen elocutionem dissoluerint. Quid est, quod quum melius possis sine vllo tuo vel auditoris incommodo, malis tamen facere peius? Si te non decet eleganter ornata compo-

sitio, potes vti mediocri. Si rebus operam das, & elocutio te moratur liberius incomptiusq; dicendi genus adhibere potes, quam si quid velles exornare dicendo. Floruit temporibus nostris vir in Attica tenuitate gracilique filo sermonis alter pene Lysias: qui quum eloquentia subtili iuuenis excelluisset, & barbariem incultamq; linguam libris ad hoc compositis insectatus esset, tandem senior effectus, & barbares voces admittere, & incomptam locutionem effundere bonum duxit, quod sibi persuasisset, vt scribit in epistola quadam, officere Christianæ religioni purum aptumq; sermonem. An dissimulet callidus, an quod sentit dicat, nescio. Quod si antea fuisset arduus & sublimis, deinde stylum demisisset ad enucleatum genus, & pene quotidianum, certe factum probassent eloquentes. Sed quum character eius admodum tenuis esset, nihil erat quod detraheret illi gracilitati, nisi vellet nexuos & ossa denudare. Id neque Plato senex, neque Demosthenes, neq; Isocrates, neq; Lysias, neq; Crassus, neque Cicero, neque Quintilianus, neque Christianus aliquis, cui laudabilis eloquentia fuisset, id fecit vnquam, vt in senectute vitium vltro committeret, & de industria funditus abijceret orationem, quam magno studio tam composuisset in iuuentute. Est ex illis, qui curam diligenter ornandi remisit: sed qui penitus abiecerit, & vltro barbare sit locutus, haud vllum reperies. Quin reijcis de templis pulcherrimos hymnos, & aptissime compositos? Quin tollis multas elegan-

tissi-

tissimas preces, si Christianæ pietati nocet elegans oratio? Quin fateris te non ante Christianum fuisse, quam cœpisti barbare & inculte loqui? Non ita visum est sanctissimis viris, qui quum scirent a summo Deo omnem manare doctrinam, quod habuerunt, hoc quisque pro se sine vlla impietate obtulerunt, alius heroicum poema, alius hendecasyllaba, alius iambica, alius trochaica, alius rhythmos, alius orationem numeris aptam, qualis in sacrandis funalibus cum pia animorum delectatione canitur. Hæc omnia magna cum religione sapientes viri subinde modulantur in omnibus templis: quod non facerent, si (vt ais) officerent pietati Christianæ. Sed de his plus satis. A re digredior inuitus ad refellendos orationis inimicos. Summa propositi fuit, alios esse qui inscitia dissoluant orationem, alios qui non inscitia, sed praua opinione ducti negligant, alios esse qui consilio relaxent, vel ætate vel materia suadente, quorũ dictionem non omnino dissipatam atq; vagam, sed aliquanto liberiorem esse intelligimus. Solutum quiddam sit (inquit Cicero) nec vagum tamen: vt ingredi libere, non vt licenter videatur errare. Ad hæc Quintilianus, Est, inquit, ante omnia oratio alia vincta atq; contexta, soluta alia, qualis in sermone & epistolis, nisi quũm aliquid supra suã naturam tractant, vt de philosophia, de rep. similibusq;. Quod non eo dico, quia non illud quoque solutum habeat suos quosdam & forsitan difficiliores pedes, (neque enim aut hiare semper vocalibus, aut desti-

tui temporibus volunt sermo & epistola) sed non fluunt, nec cohærent, nec verba deverbia trahunt, vt laxiora potius in his vincula, quam nulla sint. Nonnunquam in causu quoque minoribus decet eadem simplicitas, quæ non illis, sed alijs vtitur numeris, dissimulatque eos, & tantum comminuit occultius. Habes quid ille vir de philosophiæ, de sermonis & epistolæ, minorumq; causarum figura sentiat, quid præterea solutum dicat, præter id, quod omni arti componentis est destitutum. Eodem prope modo solutum dicitur, quicquid poetico numero vacat, etiamsi arctissime ligatum est. Nam qui certos in versu pedes, in oratione liberum cursum, nec sui vbique similem esse viderunt, solutum dixerunt, id quod non erat carmen, propterea quod quanuis esset iuncturis & numeris adstrictum, plures tamen ac liberiores haberet pedes.

De oratione vincta, & ordine verborum.

CAP. II.

NON est artis huius oratio dissoluta. Quæ tamen illa diceretur, ostendimus, vt ex ordine ad vinctam compositamq; veniremus. Colligatur oratio (si Ciceroni credimus) coagmentatione, concinnitate, numero. Coagmentatio est eorũ structura verborum, quæ molliter in iunctura cohærent: vt horum, Quæ res in ciuitate duæ plurimũ possunt,

hæ con-

hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia. Ista sic innexa sunt, vt inter extremas antecedentium verborum syllabas, & sequentium primas, nulla quasi rima pateat. Dicam apertius. Suaues molles q3 sunt hæ voces, nec os aspere & oris instrumenta diducunt, Res in, in ci, te du, a plu, mum pos, & cæteræ deinceps, præter hanc, gratia &, vocalium concursu dehiscëtem. Hæc & coagmentatio a rerum coniunctione, vt in muro lapidũ, uocatur, & iunctura, & structura, & compositio, & constructio. Concinnitas est oratio cadens apte, beneficio figurarũ, quæ paria paribus referunt, quæ antitheta componunt, quæ similiter cadunt, aut quæ eodem modo definiunt extrema. Hæc enim quatuor schemata per se perficiunt orbem, atque delectant aurium sensum. Exemplum est in Miloniana: Est enim Iudices hæc non scripta, sed nata lex, quam nõ didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, nõ instituti, sed imbuti sumus. Hæc enim talia sunt, inquit autor, vt quia referuntur ad ea ad quæ debent referri, intelligamus non quæsitum esse numerum, sed secutum. Numerus est orationis modus ex apta pedũ collocatione. Paucis explicaui quid esset coagmentatio, concinnitas, & numerus, vt partium breui descriptione planum fieret quid esset oratio composita & alligata. Plura de singulis suo loco dicã. Nunc quærendum mihi videtur, cur ordinë Cicero præterijt, quem statuit Quintilianus in compo-

nendi partibus? Sic est huius partitio. In omni porro compositione tria sunt necessaria, ordo, iunctura, numerus. Concinnitatem (vt arbitror) numero comprehendit. Dere dicam quod sentio. Dispositio rerum est, compositio verborum. Quintilianus haec confundit. Nam quum furi sacrilegus, petulanti latro lateribus totum corpus, fœmina viro, tenebræ luci, bellum paci, mors vitæ, occidens orienti, malum bono, vitium virtuti, ignorantia scientiæ postponitur in oratione, hoc est quum malus accedit minori, & quum dignius præfertur indigniori, non ratio verborum, sed vis naturaq; rerum inspicitur. Propterea seruata ratione componendi, mutantur interdum: vt si dicas, Non modo non erat sacrilegus, sed ne fur quidem. Nox sustulit diem. Noctes diesq; apud Ciceronem reperies. Amplificantis est aut minuentis, aut rerum personarumque dignitatem obseruantis, haec videre, non eius qui voces & illarum concordiam discordiãue quærit, vt amica iungat, inimica seponat. Quid vetat quo minus dicam, Vxori vir imperat? sacrilegum fur arguit? Luna reuoluitur ab occidente ad orientem? Principio fœmina viriq; peccarunt? Cauendũ est, inquit, ne decrescat oratio & fortiori subiungatur aliquid infirmius. Imo vero oratio sæpe decrescit, & a fortiore deuenitur ad infirmi⁹. Testatur ipse cap de amplificatione, hoc modo, Totidẽ sunt ascendentibus quot descendentibus gradus. Non is igitur certus est ordo verborum, quem mutat imminutio, quem negociorum tempora, quem loquendi varietas.

tas. Iam si rerum collocatio ordine constituit partes argumentationis, illius est & partes amplificationis, quæ firma est argumentatio, collocare. Est & eiusdem, momenta rerum, dignitatesque personarum, quo maxime deceant loco ponere. Præterea compositionem (vt idem fatetur octaui libri principio) nullus nisi arte assequi potest. Hanc autem rerum collocationem, qua dies noctí, bonum malo, molestia carnis exponitur, norunt imperitæ mulieres ad admonita vel tempore, vel rerum dignitate, vel stomacho, qui dictis grauiora quærit. Quod si res est ignotior vulgo, eam liberalis educatio patefacit. si ne hac quidem, certe monstrat scientia intelligendi: hoc est philosophia, & artificium disponendi: cura compositionis artem. Dicet aliquis. At ista sunt in verbo. Quid tum? Compositio verba digerit in ordinem, fateor: sed eius est, non res, & intellectus eorum, at voces sonosq; spectare. Nam & ille verborum significationes distinxit in octauo libro, præcepta componendi tradidit in nono. Videsne vt poetæ frequenter vno verbo perficiant exordium? vt, O pater. nemo tamen refert ad elocutionem. Sæpe argumēta verbo designantur vno, vt, Fallet improbus. argumentū est, improbus. Quis istud ad cōpositionē pertinere dicit? At tute ipse de compositione dicturus, verborū significationes & differentias expendis, quoniā pro dignitate sua capiunt in oratione locum. Ego certe materiam orationis inspicio, hoc est, naturas rationesque verborū, sed non eis assigno in hoc ædificio certū locū.

Aliud

Aliud est explorare materiam syluæ, aliud singulas arbores in ædificio collocare. Aliud est ostendere quæ quæque genera tectorum materia fiant, aliud ordinem præscribere, & quid ante eat, & quid subsequatur. At interdum deligimus & arbores & lapides certos, quibus vtamur destinato loco. Sic est, sed illud est consilij nostri, non vllius præceptionis. Hic autem nullam relinquit mihi mutandi loci potestatem, etiam si verbis (vt ante dixi) nulla certa sedes est in oratione, propterea quod oratio mollis, vt cera in mille species formari potest. Pergit, Quædam, inquit, ordine permutato siunt superuacua, vt, fratres gemini. Nam si præcesserint gemini, fratres addere non est necesse. Est hic πλεονασμὸς, si superuacuis verbis oneratur oratio, non est vitium compositionis. Expositi sunt in Albulæ ripa gemini fratres, aptius & robustius dicitur, quam, Expositi sunt in Albulæ ripa fratres gemini: quoniam pes molossus stabilior est in fine, quam vel iambus vel anapæstus, & incitatius iter a vocali ad consonantem, hoc modo, gemini fratres, quam a consonante in consonantem, hoc modo, fratres gemini. Quæ ratio valet in alijs sedibus orationis. Quamobrem si dices fratres geminos, compositio cedet interpretationi, quæ natura subsequitur. Cur ergo refert ad compositionē id quod sæpe perturbat eam? Quoniam compositioni multa cedunt, Liuius dixit geminos fratres initio libri primi, nec est veritus admittere quod hic iniuria damnat. Forte & Numitori, quum in custodia Remū haberet,

ret, audisseq; geminos esse fratres, comparando eorum ætatem, & ipsam minime seruilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum. Idem, Forte in duobus tum exercitibus erant tergemini fratres, nec ætate nec viribus dispares. Cicero in oratione pro Archia poeta hoc scriptum reliquit, Saxa atque solitudines voci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt. De quo sic Quintilianus in nono, Magis id insurgebat si verteretur. Nam etsi plus est saxa quam bestias commoueri, inest tamen compositioni decor. Hæc ille. Si propter compositionis decorem Cicero postposuit infirmius, quomodo compositio exigit vt anteponatur? An eadem ratio idem & anteponi & posthaberi iubet? Laudat idem Fabius Ciceronis hanc orationem in Antonium: Vt tibi necesse esset in cõspectu populi Romani vomere postridie. quia aduerbium postridie in clausula positũ, assignatur auditori & infigitur. Quod quid faciat ad rem præsentem, non video. Creticus in fine pes est laudabilis, vt hic postridie. Nullus est in hoc toto cõtextu præstantior. Quid igitur aliud collocasset orator? An ita dixisset, Vt tibi necesse esset postridie in conspectu populi Romani? Nequaquam. Sed vt dixi, nullum erat in hac oratione verbum quod in ea sede positum tam pulchre sederet. Illud est igitur numeri, non eius ordinis de quo disputatio constituta est. Quare ne mirere si Marcus Tullius in componendi partibus non habuit ordinem istum, qui neque perpetuus est, neque tam verba quam res instruit.

Hæc

Hæc a me scripta sunt, non vt arguerem Quintilianum, virum perdoctum, & mihi perutilem, sed vt ostenderem causam nullam fuisse cur hic aut temporis, aut dignitatis, aut incrementi, aut interpretationis ordinem persequerer, quem esse rerum, non verborum, Cicero in Partitionibus, verbis agens de exornandi collocatione, significat. Sed iam de componendi partibus agamus. Quod si quis ordo verborum est, illum constituit aut coagmentatio, aut concinnitas, aut numerus, aut hæc vniuersa. Propter hæc enim voces de loco naturali traijciuntur in alium, quo sedeant aptissime. Itaque si totius est compositionis ordo, aut si omnis hæc compositio nihil aliud est quam ordo quidam ratione destributus, fieri non potest vt ordo sit pars compositionis.

De vocalium concursione in coagmentatione.

CAP. III.

IN omni coagmentatione verborum necesse est aut vocales concurrere, vt Rem anxie adipisci, atque adepta egere, auari animi est. Aut consonantes, vt Consulū dignitas tumultum ciuitatis repressit. Aut vocalem & consonantem, vt, Ex eius ore melle dulcior effluebat oratio. Sæpius hæc in oratione miscentur: vt, Venio nunc ad istius, quem admodum ipse appellat, studium: vt amici eius, morbum & insaniam: vt Siculi, latrocinium: ego quo nomine appellem nescio.

cio. Rem vobis proponam, vos eam suo nominis pondere pendito te. Pauca de singulis horum, & principio de vocalium concursione dicemus. Vocalium cõcursum magna ex parte fugiendum censuit Isocrates ille suauitatis numerique molliores inuentor, cuius orationes melle dulciores ostendunt quanto opere vitarit illum quem dicimus hiatum literarum. Hunc optimum dicendi magistrum Theopompus imitatus, eas literas adeo fugit, vt eam ob rem inciderit in hominum reprehensionem. Fuerunt in eadem sententia poetæ maxime Latini, qui ne hiare cogerentur, vocem synalœphamcollisionemq; reperierunt, vt.

–Mult'ill'& terris iactatus & alto.

Albaniq; patres, atqu'altæ mœnia Romæ.

Hæc autem collisio facit, vt vna litera pro duabus audiatur, vt ill'&, atqu'altæ, Erg'agite. Quiscribimus aut proferimus alter, meo iudicio peccamus. Segregamus enim id quod, vt hiatum fugerent, miscuerunt optimi poetæ. Nec animaduertimus oratores Græcos aliquando miscere voces, & in vnum confundere, ne quid ab agresti sono lædatur auris, vt hic Demosthenem, τοῦ δελτὶς δὲ καὶ τὸ δικαιότατο πάνθ' ἕνεκα ἐξητασμένη. πάνθ' ἕνεκα dixit quasi vnum verbum, non πάντα ἕνεκα separate: vt Aristoteles, διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τ' ἀγαθὸν πάντα ἐφίεται. Infinita sunt talia apud eundë, apud Isocratë, apud optimũ intelligendi dicendiq; magistrũ Platonẽ, apud alios omnes summos viros: quibus planũ fit, vocaliũ concursum vitari vtius

aut

aut alterius elisione, atque duo verba vt vnum tum scribi, tum pronunciari. Sed indoctum quoddam genus hominum non modo libros & orthographiã, sed etiam pronunciationem omnem corrupit, adeo, vt extra versum nesciamus quas illi veteres in oratione eliserint vocales, quas integras protulerint, propterea quod abstulerunt ἀπόστροφον signum vocalis auersæ. Sic enim Terentium scripsisse, & ipsum & Comœdos ita pronunciasse puto.

Vos istæc intr' aufert' abite.

Quod absurdum forte quibusdam ob desuetudinem videbitur, sed quærentibus veritatem neque ratio deerit, neque autoritas. Hiant interdum poetæ, Latini raro, Græci frequenter, vt Homerus. Ex quo etiam licet intelligere, veteres Latinos suauitatis studiosos fuisse, quanquam sentiebant quanto Latina Græcis essent insuauiora. De quo Cicero in Oratore, Quamuis, inquit, suaues graueſque sententiæ, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendent aures, quarum est iudicium superbissimum. Quod quidem Latina lingua sic obseruat, nemo vt tam rusticus sit, qui nouocaleis nolit coniungere. Et paulo post: In oratione Platonis est crebra ista vocum concursio, quam magna ex parte vt vitiosam fugit Demosthenes. Sed, vt diximus, hiabant interdum poetæ, Ennius semel autore Cicerone, sæpe Terentius, sæpe Vergilius, vt hic,

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Am-

Amphion Dircæus in Actleo aracynthо.
Astant Iuniperi, & castaneæ hirsutæ.
Nereidum matri, & Neptuno ægeo.

Hoc idem, inquit Cicero, sæpius nostri non tulissent, quod Græci laudare etiam solent. Cur ita non tulissent? quia versus est exquisiti soni, & vrbanæ suauitatis, cui sit inimica vastitas illa duarum quæ luctantur inter se vocalium: quæ quum accidit, hiat & interstitit, & quasi laborat oratio. Fugiamus igitur hoc vitium, si dictionem compositè, leniter, & tranquille fluere volemus. Vocales alias sonantiores esse, alias exiliores, exemplis atque rationibus ante patefecimus. Obscurius est in his vitium, apertius in illis. Prima cum quarta propter soni magnitudinem fœde hiat ac inurbane, vt, Videntur esse refutanda, quæ in Senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpe iactata sunt, & in concione etiam paulo ante ab accusatoribus. Atqui si res, si vir, si tempus vllum dignum fuit, certe hæc in illa caussa summa omnia fuerunt, præsertim quum tot essent circa hastam illam, qui alia omnia auderent. Vastior est longarum sonitus, quoniam voce productiori sustinentur, vt, Cum vxore veheretur in rheda penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorumq; comitatu, Milonem occisum esse etiam ex ipso Clodio audirent. Hæc ex Cicerone sunt omnia. Plurima apud eundem huiusce rei sunt exempla. Dicet hic aliquis: Hoc si vitium esset, eloquentiæ Latinæ parens tam sæpe non admitteret. Primum, voca-

calesne istas colliserit, incertum facit vsus praesens: deinde distinguenda sunt genera dicendi, & habenda ratio partium quae tractantur ab oratore. Narrationes eius rei, de qua controuersia est apud Iudices, & subtiles argumentationes, & causse tenues ac paruæ, & epistolæ summissioris argumēti, & desinitiones, partitiones, distinctiones, facetiæ, colloquia personarum, relaxant vincula compositionis, & more sermonis paulo securius ac liberius euagantur. In his toleranda sunt alioqui vitia, quæ cotidiana lingua tam frequenter vsurpat, vt in oratione tenui fallant audientem. Scit orator quid deceat: & vbi rebus magis est afferenda claritas, quam magnificus ornatus, tum cotidiana vestè contentus, non circundat illis ornamenta pompæ & apparatus feriarum solennium. At in exornatione laudis, in locis communibus, in narratione quæ spaciatur extra causam, in genere suaui, in omnimo splendido cultu, perraro committendū est, vt hæc parua quidem, sed tamē aliqua deformitas appareat. hoc vitium deprecatur in oratore. Sed Græci viderint (inquit de vocalibus agens) nobis ne cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis, indicant oēs poetæ. Si non vbiq; conceditur, vtamur interdū vt necessario. Si vitiū est, fugiamus quoad licet. Quū vocalis eadē finis est verbi prioris, & principiū sequētis, quoniā pronūciatur eodē oris habitu, nec plus vna longa auribus percipitur, nullā parit omnino fœditatē. Sexcenta Ciceronis exēpla reperies, ego pau-

cis

eis ero contētus. Neq; enim posset aut Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule senatus non nefarius haberi, &c. Non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Quoties est illa causa a nobis acta in senatu? Vt ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. Propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia. Iudicium culpa atque dedecore etiam Censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur. Subijctamus exempla de cæteris vocalibus. Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum fateatur. Tu hodie egeres, nos liberi essemus. Dolebam P. C. Rempubl. vestris quondam meisque consilijs conseruatam, breui tempore esse perituram. Magnifice enim Seruius Sulpitius maiorum continentiam diligebat. Fateor enim me, quum ea quæ acciderunt, prouidere rem futura, tanta in mœstitia fuisse, quanta cæteri optimi ciues, si idem prouidissent, fuissent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? O dij immortales, quam multi qui quum a te nemini ignoscī vellent, impedirent clementiam tuā. Vim exhalandi, non exacuendi ingenij causa declamitas. Hæc tu quum per me acta meminisses, nisi illis quos videmus gladijs confideres, maledictis me prouocare ausus esses? Quū te vltro mihi idem illud deferente nunquam ium dehortatus. Obsecrabo obtestaboq; vos Iudices. Lex esse cum telo hominis occidendi causa vetat. Magna laus, meoq; iudicio omnium maxima. Tu vnus adole-

lescens vniuersum ordinem de salute Reipub. prohi-
buisti. Erat ei viuendum latronum ritu, vt tantum
haberet, quantum rapere potuisset. Hoc concurren-
di genus frequenter vsurpari solere annotauit Aulus
Gellius, id quod & aures & exempla doctissimorum
probant. Alia Quintiliani sententia videtur, quam
complexus est his verbis, Pessime longa, quæ easdem
inter se literas committunt, sonabunt. Super easdem
literas intelligit duas vocales eiusdem nominis, a illo
dissentio. si vult hunc intellectum capi, Pessime lon-
gæ vocales sonabunt, quæ committunt easdem inter
se literas, id est, vocales illas, de quibus agitur, iun-
gunt, obscurus est sermo, & odiose prolixus. Breui-
ter atque dilucide, nec minus ornate dici potuit: Pes-
sime longæ sonabunt. Nam proxime dixerat hæc,
Tum vocalium concursus, qui quum accidit, hiat &
intersistit, & quasi laborat oratio. Ex quibus supple-
re quisque posset, quæ locutus est ambigue. Sic enim
habet res. Vocalium concursus imperitis est notabi-
lis. E vocalibus pessime longæ sonabunt. A, & E.
quiddam rusticanum sonant, propterea colliduntur
a Græcis: id quod priore iam libro diximus. has igi-
tur non ita sæpe Cicero coniunxit. Et socijs gratissi-
mae esset eius integritas & fides. Ipse in eadem Afri-
ca esse voluit, in qua erat rex potentissimus inimi-
cus huic causæ. De salute populi Romani extimesce-
bat, in qua etiam suam inclusam esse videbat. E, &
A, vt minus dissona, ita sæpius finitima sunt: vt, Vo-
luntate ad ea arma profectus sum. Eorum ipsorum

ad cru-

ad crudelitatem te acuet oratio. Nam si vidissem, quouis profecto quam isto modo a te agi maluissem. Qui opem a me atque auxilium petissent. A, & I, hiulcam & agrestem efficiunt vocem, vt in simplicibus, aulai, materiai, syluai, frondosai, quæ quum veteros poetæ frequenter vsurpassent, posteriores vt nimium vasta repudiarunt. Committit eas Cicero nonnunquam, vt pro Ligario, Diligentia inimici inuestigatum est quod latebat. Qua in legatione & socijs & ciuibus se probauit. In prouincia pacatissima ita se gessit, vt ei pacem esse expediret. I, & A, sicuti suauius audiuntur, ita multo sæpius conferuntur, vt, Quod nos domi petimus prostrati ad pedes. Non commemorarem, nisi a te cognouissem. An sperandi Ligario causſa non sit, quum mihi apud te locus sit etiam pro altero deperçandi? O, & E, minus in occursu hiant, sed tamen insuauia sunt, & ingrata: vt, Hic æquo animo potuit. Laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Quid vociferabare decem millia talentum Gabinio esse promissa? E, & O, concurrunt vrbanius, vt, Quare omnium rerum vna reprehensio est, quod regnum intrarit. Itaque obijcias licet quam voles sæpe, palliatum fuisse: Aderat vis, quæ summas frangit infirmatq; opes. O, & I, si diphthongum faciunt, nullam in pronunciando faciunt deformitatem, vt, οἰκ Θ. at in iunctura, quum separantur, absona sunt, & maxime si vocalis O. producitur. Hinc fit O longo, quod ω μεγα, vocant, ce-

dit iota atque subscribatur, vt in quarta declinatione recto casu numeri secundi μυρίλεφ, pro eo quod est μυριλαίοι & in verbis βοᾷς pro βοάδς dicitur. Minus est vitij in eadem litera breui. Fluit enim, nec in ore cauo tanduꝫ immurmurat. Vtrunq; reperies apud M. Tullium, vt pro Rabirio Posthumo, Rapientur homines in hæc iudicia ex omni non modo iniudicia, sed sermone maleuolorum, nisi caueris. Nec vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putauit. I, & O, contra nihil dissonant, vt, Qui tandem conuenit, aut tam graui onere tributorũ adtam tam pecuniam cogendã, mille talentum acceßionem esse factam? aut in tanta mercede hominis (vt vtriusq; uarißimi, mille talentũ deceßionem esse conceßam. Neq; ego cui omnium ciuiũ libertas charißima fuisset, meam proiecißem. A, & V, iunxerunt Latini, vt fraus laus, audio, suppaudo. non in vno verbo separauere, nisi quum peregrina asciuerunt in Latium, cuiusmodi sunt hæc, Archelaus, Amphiaraus, Oenomaus. Senserunt opinor, hinc effici vocem vaste patentis & inuisam. Quod si est, & in compositione vitium committũt, vt, sylua vritur, humida vligo, musa vna, scelerata vsura, & id genus alia, quæ quisq; vir aurum eruditæ sentit esse patula atq; subagrestia. Contumaxit Tullius, Si vniuersa (vt dixi) prouincia loqui posset, hac voce vteretur. At si commutaueris, & V. I. dixeris, congredientur amice & vrbane. Cicero in Verrem, Ipse in oppidum accedere noluit, quod erat difficilis ascensu atq; arduo. Idem fere iudicium

est

est de vocalibus, quæ primæ sunt in onere & vsu. Hiant adiunctæ, quemadmodũ & in simplicibus, cous, sardous, eous. Adiungit tamen Cicero, Quousq; abutere Catilina patientia nostra? Similia sunt hæc, In loco vberi, in labello vdo, colligo vuas, amputo vlmos, a tergo vrgetur: ex quibus nulla sonm concordia delectat aures. Postrema cum quarta non grauius offendit in collocatione, quam in his singulis, tuo, suo, diluo, ruo, statuo. Cætera voces non admodum torquent os, atq; pronunciantis instrumenta: quamobrem sæpius multo committuntur in ordine verborũ. Dico secundam cum tertia & quinta, tertiam cum quarta, contra tertiam & quintam cum secunda, quintam cum tertia. Refer ad aurium iudicium, quæ proponemus Ciceronis exempla, cognosces. Quamobrem si mihi vnus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor. Queruntur accusatores se idoneos non habere. Id mihi erat aduersarium maxime. In hac causa Iudices tametsi vtrunque esse arbitror perspicuum, tamen de vtroq; dicam. Hoc si tu inimicus eius factum negabis, eodem tempore in eadem prouincia tu ipse fecisti. Neminem mihi esse præponendũ actorem putabit. Sentis audiendo, quam molliter conflũt hæ soni tenuis & remissi literæ. Fugienda vocalium etiam tenuium multitudo propter quam speciei, progeniei, mollitiei, & eiusmodi casus odiosæ vastitatis vix apud bonos autores reperiuntur. Breues interim placent, vt apud Ouidium,

Huc coeamus, ait -

Terentius hanc molestiam vitat elisione & contractione,

Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere?
Nam quæ inscitia est,
Aduorsum stimulum calces?
Postridie ad anum recta pergit.
Illos ducere eadem hæc lex iubet.
O Phædria, incredibile est, quanto herum ante-is sapientia.
Abi Phadria, eum require, atque adduce huc.

Verb' ei, duabus syllabis: Insciti'est, quatuor: Postridi'ad, totidem: ducer'eadem, quinque: anteo, tribus: Phædr'um, duabus exprimitur. Et quum vocalis natura longa fluit atq; corripitur in concursu, vt minus audiatur. Vergilius,

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.
Stipitibus duris agitur, fudibusve præustis.

Imitatus est Homerum, qui persæpe recipit hanc figuram, vt Odysseæ versiculo primo:

ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον.

Hinc planum fit, quod supra diximus, esse minorem in correptis offensionem, quoniam celerius & expeditius exiguntur: maiorem in longis & aspiratis, & accentu concitatis, vt in loco arduo, in hasta ornata, in tribunali edito, in adunco hamo, in viridi herba. Exposita nostra de principum literarum concursione sententia, ne quis existimet esse vitium grande committere duas generis huius literas, Ciceronis &

Quin-

Quintiliani iudicium totidem verbis huc transferemus. Habet, inquit Tullius, ille tanquam hiatus e cõcursu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis. Audiamus alterum, Non tamẽ id, vt crimen ingens expauescendum est: ac nescio an negligentia in hoc, an solicitudo sit peior. Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi, & a potioribus auertat. Quare vt negligentiæ est hoc pati, ita humilitatis vbique perhorrescere: nimiosque nõ immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipueque Theopompum. At Demosthenes & Cicero modice respexerunt in hanc partem. Nam & coeuntes literæ (quæ συναλοιφὴ dicitur) etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine claudantur: & nonnunquam hiulcae etiam decent, faciuntque ampliora quædam. Hactenus Fabius. Sit hæc libertas alijs ætatibus, alijs exercitationibus: ego puerum optimis assuescere bonum duco, Maxime quum stylo dat operam in ocio literarum.

De coagmentatione consonantium literarum.

CAP. IIII.

Postea quam de literarum principibus, quæ in cõcursione voces efficiant aut suaues, aut hiulcas, satis multa diximus, ex ordine de structura conso-

nantium quæ aut mollitur, aut aspere inter se cedant, breuiter exponendum videtur. Ex his optime cohærent, quæ labris coeuntibus efferuntur, vt M & B, M & P, & eadem littera repetita quum finis est extremi verbi, & principium sequentis: quibus adde M, & V, consonantem, & eam quæ prima est insurrente propterea quod altera pene labra admouet, altera labrum dente premit. Exempla sunt apud Vergilium:

Errantes hederas passim cum baccare tellus
Fundet—

—Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis—

Omnes vt tecũ meritis pro talibus annos
Exigat.

Numborum in patriam loca fœta furentibus austris.

Æoliam venit—

Italiam fato profugus Lauinaq́, venit
Littora—

Permulta reperies eiusmodi apud oratorum principem, quod genus sunt hæc: Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspitionem belli. Omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, vt alijs eam præreptam velim. Victoriam fortuna tuam esse totam & propriam fatetur. Quum verborum capit initium ab ijs consonantibus quæ sine adiumento labrorum post dentiũ septum pronunciantur, cuiusmodi sunt, C, D, G, L, N, Q, R, S, T,

R,S,T,X,Z. Non acerbe quidem, sed aliquanto asperius iungitur cum priore verbo, quod M, postremo concluditur. Hoc quale sit, cognosce ex his orationibus in quibus literæ post M, ex ordine ponuntur. Nunquam enim ad consilium casus admittitur. Amplificauit eius pristinam dignitatem. Fortuna in istius se societatem gloriæ non offert. Bellicæ tuæ laudes celebrantur omnium gentium literis atque linguis. Vereor vt hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Quo quidem in bello semper de pace agendum audiendumque esse putaui. Neque enim ego illa, nec vlla vnquã secutus sum arma ciuilia. Nunc venio ad grauissimam querelam, & atrociss. mam suspitionem tuam. Quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam?

Quinque tenent cœlum zonæ.

In hac omni structura quod M, elementum suauissimum, parum quidem offendit asperitas, nonnulla tamen est: quod indicasse videntur illi conditores linguæ Latinæ, qui in simplicibus verbis vt hanc fugerunt literam, ita quoque N, magis familiarem collocauerunt, vt ancilla, induit, angit, Manlius, canna vnquam, ensis, antrũ, anxius. Hinc suffragãte auriũ iudicio cognoscitur N, ab ijs omnibus cõsonantibus in structura minus dissentire. N, ante L, quidẽ & R, vox insuauior est: quamobrẽ illino nõ inlino, irruo non inruo dicitur. Quum repetitur, vt in canna, siccitate quadã radit aures: sed ne sic quidem est magnopere

pere fugiẽda. Quod vt intelligatur, ex Cicerone præferemus exempla, & ordinem literarum persequemur. An non cadunt hæc in Antonium? Quid enim in eum non cadit? Reliquum est igitur crimen de veneno. Et id quidem nemini Græcorum video adhuc contigisse, vt idem vtroque in genere laboraret. Illa vero non loquuntur solum, verum etiam personant. In negotio quod actum dicitur, nullum vestigium. Quia non posset negare ab illis pecuniam datam, nõ quæsiuit procul aliunde. Non causſa, non locus, nõ facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficij spes, non ratio vlla, non vestigium maximi facinoris reperietur. Quãuis bonas leges vitiose perrimque tulerit, tamen hæ leges non sunt habendæ. Iam in tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur X, & Z, quum proxime sequuntur N, sic habent. X, durior est, Z, mollior. N, ante B, M, P, paulo durior est: propterea dicitur imbuit, non inbuit, impurus non inpurus, immensus non inmensus. Sed & his aliquando præponitur. Nostri sensus vt in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Spem attulit non modo salutis conseruandæ, verum etiam dignitatis pristinæ recuperandæ. An potest cognatio vlla propior esse, quam patriæ? In summa dicam, M, quinque consonantibus optime præponitur, reliquis haud pessime: N, vero contra quinque eadem non amat, reliquas omnes non grauiter odit. Quo feruntur hæc, inquies? vt de tua compositione iudicare possis, & vt amica persæpe iungas, inimica

rare

raro. Vtraque (dico M, & N,) sed aptius secundæ quam primæ connectitur I, consonanti.

—Sæuæ memorem Iunonis obiram.

—Et quisquam numen Iunonis adoret

Præterea?—

Statuuntur interdum principio verborum, vt, in mari, & in Neptuno. Quamobrem videndum est quibus aptius adhæreſcant. Vt insideant sibi, iam diximus: vt cæterùs occurrant, vocibus, testimonijs agemus. Nonnihil dissentiunt ab his elementis, C. D. T.

Lac mihi non æstate nouum, nec frigore defit.

Nunc naues contra prædones pene inanes Cleomenes ducit. Dicitat se tantum rapuisse, vt id multis satis esse posſit. Dicitat nihil esse tam sanctum, quod non violari pecuia posſit. Videt multos equites Romanos. Pecunias non petunt, relinquunt, & negligunt. Post B, L, R, & S, paulo melius collocantur.

—Troiæ sub mœnibus altis.

Plaudentem nigra figit sub nube columbam.

Magno in dolore sum, P. C. vel mœrore potius. Nanque canebat Silenus, vt ipse tener mundi concreuerit orbis.

—Et pura per noctem in luce refulsit

Alma parens.—

Apud exteras nationes omnium sermone percrebuit. Neque tantum me expectatio accusationis meæ commouet, quantum istius insidiæ nefariæ. Consule tuas aures, nihil horum teneram sentient, nisi forte quod

L, &

L, & S, emolliunt. Quamobrem artificis est, vbi vult suauis esse, nihil eiusmodi frequens instruere. Hi enim structuris vti nō vetamur, sed adhibere modum iubemur. B, in paucis verbis extrema pars est, vt in his, ab, ob, sub. Nec est vlli sequentium in oratione plane familiaris, nisi vni quæ prima sedet in Ioue, & in Iunone.

Ab Ioue principium Musæ.—

Liuius omnibus tum mutis tum vocalibus anteponit. Nam vltro durius quiddam, vt grandius atque robustius affectat, & Vergilius interdum,

—Tyrrhena absede profectum.

Et teneram ab radice ferens Syluane cupressum.

Aliter populo Romano doctisque scriptoribus visum est, qui detraxerunt hanc literam, & a, non ab, ante consonantes reliquerunt: vt, Suos necessarios a faucibus macelli corrogat. Postulat a Burrieno prætore Nævius, vt ex edicto bona possidere liceat. A quibus quum est certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, vt idibus Septemb. P. Quintinum sisti Sex Alphenus promitteret. A Cn. Dolabella denique postulat, vt sibi Quinti us iudicatum solui satisdet. A me, qui neque exoptare, neque pronunciare multa possum, breuitas postulatur. Ostendam primum causam non fuisse cur a Prætore postularet vt bona Publij Quintij possideres. Cur maluerunt veteres abscedit, aufert, amouit, abstulit, quam abcedit, abfert, abmouit, abtulit, nisi quod B, ante consonantes

durum

durum videbatur? at non vbique potuerunt eam pro voluntate mollire, vt in his, abdit, abducit, abnuit, abrupit, quæ verba principio dura, nunc emollita sunt vsu. A præpositio consonantibus, ab autem vocalibus & I, consonanti bene præponitur. Abs pene reiectum est ad antiquata verba & inusitata. Cicero in Oratore, Vna præpositio est abs, eaque nunc tantum in accepti tabulis manet, nec his quidem omnium: in reliquo sermone mutata est. Idem tamen in Diuinatione dixit abs te. Sunt qui dictum probent, abs quolibet: at Cicero a quibus, non abs quibus, dicit pro Quintio. Vt autem B, subiecta consonantibus obluctatur, sic & eisdem appositæ nonnihil resistit, nisi quum succedit ei quæ princeps est in more atque morosa. Morum bonitas, suauis est oratio. Lac bibitur, venitur ad Bibulū, exul Brutus, Numen Bacchi, vir bonus, Tyrannus Busyris, Redintegrauit bellum, Thrax bellicosus, Subaspera est hæc & leuiter abrupta compositio, qua tamen vsus est Cicero. Nec in misera vita quicquam est prædicabile aut gloriandum, nec in ea quæ nec misera sit, nec beata. Præsidij ad beate viuendum, in virtute satis est. Nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior? Semper sapiens beatus est. Hæc etiam in equuleum conijciuntur, quo vita non aspirat beata. Vergilius,

—Quid bella Tyro surgentia dicam?

Sunt aures delicatæ nimis, quæ lubenter audiunt set prosed, optimæ pro optimes, & eiusmodi quædam.

Litera

Litera secunda in ordine consonantium raro verbũ Latinum claudit, multo rarius Græcum. Græci dicũt ἐν, ante consonantem loco præpositionis ἐξ, nos ac, lac, halec, hic, hæc, hoc, istic, illic, istuc, illuc, sic, nec, & eiusmodi pauca, quæ facile cohærent in his literis quæ primæ sunt in Cicer. & in Quintil. Sumantur in argumentum verba singula, succendat, accedit, accitur. acquirit, acquiescit, & id genus multa, in quibus est quædam literarum familiaritas, quam in compositis inuenire licet: vt, Video adhuc constare omnia Iudices. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator & receptator locus. Omnes hanc quæstionem te prætore manifestis maleficijs, quotidianoque sanguine demissius sperant futuram. Eadem litera C, præposita cæteris consonantibus, vt tenuis est atque muta, sic etiam subobscura est: vnde fit vt in compositione obscurius quoddam vitium committat. Stridet aliquantulum, quod anseres indicant, & ranæ loquaces: nec in vocibus est primæ suauitatis. Clodij furores hoc ferro & hac dextra a ceruicibus repuli.

Haud secus ac iussi faciunt.

Hanc gloriam sustulit. De cuius laude nec hic locus est vt multa dicantur. Chrysogonus a vobis hoc postulat. Dura mihi medius fidius fortuna Po. Romani & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Remp. insultare videret, & pateretur. Lac præceperit æstus. Video hũc nullius rei mutasse consilium. Quæ

tot

tot ac tales viros impediat. Dum hic viueret, locum relinquere noluit. In his est aliquid occulti discriminis. Nam mollius excipitur a quibusdam, vt ab S, & T. sed in re tam parua nolumus immorari. Apponitur hæc litera, sequiturque multo frequentius, propterea quod plura verba ducunt ab ea principium, in eandem finiuntur pauciora. In hoc ordine coire propius & annecti mihi videtur, id quod auribus & exemplorum frequentia existimari potest.

—Nec cura peculi.
Necdum illis labra admoui, sed condita seruo.
Et sol crescentes decedens duplicat vmbras.
—Rapidum Cretæ veniemus Oaxem.
Ah Corydon Corydon—
—Pan curat oues.—
Verum hæc tantū alias inter caput extulit vrbes.
—Frigus captabis opacum.
—Herbas contundit olentes.
Nec te pœniteat calamo triuisse labellum.

Nihil est hic quod aures grauiter offendat, nihil etiam quod magnopere delectet. Itaque C, propior est virtuti quam vitio, maxime quum literis occurrit L, N, R, S, & T, quæ in eodem prope habitu oris efferuntur. Idem est iudicium de Q, litera cognata. Nã C, K, Q, pro K, Græco Latini fecerunt. Ex quibus alterum non est huiusce contemplationis. Q, non claudit, sed inchoat vocem.

—Non ausim quicquam deponere tecum.
Audiat hæc tantum vel qui veni—

- Amauit nos quoque Daphnis.

Consonantium literarum tertia mollitur in C, vt accedit, acquirit. in F, vt affinis. in G, vt aggreditur. in L, vt alluit. in M, vt amniratum, non admiratum plerique dixere. in N, vt annectit. in P, vt apparet. in R, vt arripit. in S, vt assuit. in V, vt atterit, Hæc, credo, mutatio non esset, si perquam familiariter elementis illis adhæsisset. Eadem repetita nihil offendit. Quid dicam? haud dubie. ad delubra. Sed & alijs iungitur non sine offensione:

Huic aliud mercedis erit -

An deus immensi venias maris.

- Quid, qui

Luxuriem segetum tenera depascit in herba?

- Victum Dodona negaret.

- Duplici aptantur dentalia dorso.

Tempore non alio dicunt regionibus illis.

Quæsitas ad sacra boues Iunonis -

Illa seges demum votis respondet auari

Agricolæ -

In quascunque voces artes, haud tarda sequetur.

Tondent dumeta iuuenci.

Vt aliquis metus adiunctus sit ad gratiam, Ciceronis est in diuinatione. Si literæ quæ proferuntur eodem pene oris habitu, minus exasperant vocem, certe D, cum L, N, S, T, quæ pronunciantur ad dentes, haud multum differret. Sed hic non solum ratio, verum etiam consulitur auris: quæ si fuerit exercitata, de sono optime iudicabit. Ne quid tamen sensus erret, ob-

obſeruanda ſunt quæ eloquentiſſimi quique viri frequenter vſurparunt. F, in verbo Romano litera poſtrema non eſt, quamobrem in iunctura commiſſione ſemper apponitur: præcedit M, ſuauiſſime, id quod iam ſupra diximus.

Neſcia mens hominum fati fortiſque futuræ. S, amice: vt,

- Noctem flammis funalia vincunt.

Quinquaginta intus famulæ -

T, non multo aſperius.

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Dant famuli manibus lymphas. Cætera minus familiariter.

- Sed famam extendere factis,

Hoc virtutis opus. -

Sic fatur lachrymans -

Hi ſummo in fluctu pendent. -

G, nulli verbo Latino finis eſt. Paulo craſſius ac robuſtius auditur quam C, cui propinquum eſt affinitate ſoni, quapropter minus venuſtatis habuit in fine. Principium multis eſt, vt his, gaudium, gero, gibbus, golio guſtus, gratia gleba, glires, gloria, deglubo. Quid alijs iuncta ſonet, in his ſimilibusq; perpende. Miles fuit ſub Gabinio. Hoc grauiter tulit. Metus adiunctus ad gratiam. Conſul gaudio plenus. Pupillum ram gerit tutor. Crimen grande cõmiſit. Queritur grauiter Cæſar. Obſcurus genere Octauius ſibi magnã peperit gloriã. Si me roges an ſit hac in cõmiſſura vitium, dicã paulo apertius eſſe, quã in ea quæ C. iungit,

git, a qua solum fortiore sono differt: sed ne hoc quidem magnopere fugiendum nisi sic loqui turpe sit: Huius gloriæ C. Cæsar quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Fortuna in istius se societatem gloriæ non offert. Omni copiarum genere abundantes. Quo studio incendimur non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis. Nunc venio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam. Inuitus audiui satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse: adeo etiam, si placet, gloriæ. Quum vox initium ducit ab ea litera quæ in Iulio prima est, non asperat sonum prioris, nisi quis vehementius effertur: & inter I, & G, nullum discrimen sit in pronunciando.

Iunonem interea compellat Iuppiter vltro.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est.
—Et mi genus ab Ioue summo,
—Rex Iuppiter omnibus idem.
—Vbi hic Iuno? demissaue nubibus Iris?
Talibus orabat Iuno—
—Nunc sera querelis
Haud iustis assurgis.—
—Iam quærit syderа opacа
Nоctis iter, iam quæ passus terraq; mariq;.
—Mediis illis opponere turmas
Ne castris iungant, certa est sententia Turno.
Horridus in iaculis.—

L, in compositione interdum præcedit, interdum subsequitur, litera per se mollis & tenera, non tamen

men omnibus eodem modo facilis & obuia. Hoc quale sit, intelliges ex his, allusit, illexit, pellexit, collustrauit, elegit. Si dixeris adlusit, inlexit, perlexit conlustrauit, exlegit, absonum quiddam senties, quale non est in his, albus, alnus, aluus, sulfur, algor, alpes, celsus, altus. Vtamur exemplis: Nihilne te nocturnum præsidium palatij? nihil vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil consensus bonorum omnium? &c.

Nil super imperio moueor—
—Nihil mea carmina curas.
Sol tibi signa dabit.—
Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.
Nil validæ iuuere manus—

Hæc volubilia. At Consul Romanus, & vigil Xerxes, aspera sunt. Succedit eadem litera.

—Num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit?—
—Læneum libat honorem.
—Ipse deum manifesto in lumine vidi.
—Ac totum sub leges mitteret orbem.
Falcicus & messæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.
—Nec littora longe
Fidareor fraterna Erycis.—
Eminet, ac læua tacitis subremigat vndis.
Postera Phebea lustrabat lampade terras.
—Mactant lectas de more bidentes.
—Haret lateri letalis arundo.

Ille dies primus læti, primusq; malorum.
Causa fuit.
Scilicet is superis labor est.
Te propter Libycæ gentes, Nomadumq; tyranni
Odere, infensi Tyrij.

Omnino melius antecedit, posti posita minus aliquanto cohæret. Sed ne sic quidem habenda est interim quæ persæpe fugiuntur. Quum præmittitur M. suauissima vocis est, quum præferuntur cæteræ, non grauiter offendit.

Nec pluteum cædit.
Ad populum phaleras. Rapitur ad tribunal prætoris.
Ius suum obtinere non potuit.
Labatur pectore vultus.
Nos patriam fugimus.
Sat prata biberunt.

R, insuauis est & inuicunda litera. caninam vocat Persius. Nunquam frequentabit eam qui suauitati consultum volet. At qui rem duram & asperam tractabit oratione, hanc sæpe collocabit, non in medijs vocibus modo, sed in coagmentatione. hinc robur, hinc affectus grauis, hinc ira, hinc grauitas & indignatio, hinc bellicus furor. Sed hic sonum literarum, non vsum, de quo postea futurus est sermo, quærimus nec omnem sonum, sed quem maxime spectet orator. Minus est horrida ante mutas, & ante I, & V, consonantes. Hic acerba tamen & immutis: vt,

Vir bonus & prudens totũ se explorat ad vnguẽ.

Ter

- Ter cælo clarus ab alto
Intonuit. -
Contemptor diuum Mezentius -
- Insignem palma per gramina currum,
Victores q3 ostentat equos. -
- Sumpsisse merentis
Laudabor pœnas -
- Fruitur q3 deorum
Colloquio -
- Ingratu offerte irrise periclis.
His accensa super, iactatos æquore toto
Troas reliquias Danaum, atque immitis Achillis
Arcebat longe Latio -
Tendit iter velis. -
Nec multo grauius ante M, N, & S, exhorrescit.
- Pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
- Mesapus equum domitor, Neptunia proles.
Curuatis fertur spacijs -
Ante L, asperior est,
Proxima Circeæ raduntur littora terræ.
Dure sibi occurrit,
- Maior rerum mihi nascitur ordo.
Appositæ sicut apertius auditur (tunc enim est in arsi, non in thesi) ita quoque videtur immanior.
Ab radice. -
Hæc responsa patris Fauni -
Ergo iter ad regem indicit -
Arma velit, poscat q3 simul, rapiat q3 iuuentus.

—Externumq́ in regnum quæritur hæres.
In dubijs responsa petunt—
Centum lanigeras mactabat rite bidentes.

S, a fine verbi quale est optimus, detrahebant veteres, nisi vocalis insequebatur. Testis est in Oratore Cicero. Quinetiam, inquit, quod iam subrusticanum videtur, olim autem politius, eorum verborum quorum eadem erant postremæ duæ literæ, quæ sunt in optimus, postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetæ nouiti enim loquebantur, Qui est omnibu' princeps, & vita illa dignu', locoq́, non dignus. Non comprobat hanc loquendi consuetudinem, quæ subrusticana iam videbatur, sed ostendit veteres illos suauitatis artifices fuisse, & interdū huius offensionem literæ vitasse. Non offendit quum T. subsequitur, cui proxime cohæret: vt, In manibus tabulas habebamus. Cæteris quoque vocibus committitur, vt, Cedo cui Siculo, quum is reus fieret, ciuis Romanus cognitor factus vnquam sit? Non immorabor in exemplis, quæ sunt prope infinita. S, nihil habet durum in coagmentatione. Quod si videor aliter iudicare quum mentionem de ceteris consonantibus facio, ne quis insteret molestus. Hoc dico, in se nihil habet asperum in coagmētatione. Si quid asperitatis est, in hac litera non est. Ne tamen in eadem parte crebra sit, ac nimiū multa. Sibilat enim, ac quasi flatus euanescit. T, quam D, tenuis magis est, propterea per se ipsa minus offendit. Exempla sub-

subijcerem, si non esset in manibus illorum copia. V, consonans non dissilit in iunctura, nisi asperior illi committitur, vt,

- Volitans sub verbere turbo.
- Diuosq; in vota vocauit.

Rutulosq; exercent vomere colles.

Per varios sternit casus.-

Hac vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.

Accepit venientem-

X, asperæ concursionis est, vt, Plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. Vt pia & æterna pax sit. Audax præcipue fuisse videtur in conuocandis hominibus & armandis. Hoc aiunt constitutum esse cum seruis, vt ad balneas Xenias venirent.

At rex sollicitus monstris oracula Fauni

Fatidici genitoris adit-

- Ex alto vox reddita luco est.

Quinetiam veterum effigies ex ordine auorum.

Antiqua ex cedro-

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Ob hanc asperitatem præpositio ex, in e, mollitur, vt,

Ipsa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem.

Z, suauissima mihi videtur.

- Nec zephyros audis spirare secundos.
- Vela secundi

Intendunt zephyri-

Et zephyro putris se gleba resoluit.

In componendo fugienda litera eiusdem crebra repetitio. Hoc fit interdum, quum plura verba continua ab eadem litera ducunt initium, vt,

Cauum conuersa cuspide montem
Impulit -
Terras turbine perflant.
- Sedeant spectentq; Latini.
- Laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem -
- Inq; sinus scindit sese vnda reductos.
- Illic fas regna resurgere Troiæ.
- Veniet lustris labentibus ætas.

Vidistis hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis. Ciceronis est hoc pro Cœlio, in quo mora quædam & interspiratio vitiosam minus efficit compositionem. verba sunt eiusdem: Eo maleficio tamen erant implicati, vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. Itaque hæc causa ad testes tota traducta est. Si manebat tanta illa consuetudo Cœlij cum Clodia, quid suspicionis esset, &c. In qua lustra, libidines, luxuries, omnia domiq; inaudita vitia atq; flagitia versentur. Sacrosanctam nihil potest esse, nisi quod per populum plebemve sanctum est. Virtus digna summo imperatore. spes pro periculis præmiorum. Cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri. Hæc apud summos oratores, qui minimis rebus occupati videri nolunt, haberi vitia non debent. Nec sunt omni-

no cuiquam, sed magna ex parte fugienda. Nam docti viri fugiunt, vt Vergilius,

- Spumas salis æra ruebant.
Aequora tuta silent -

Noluit hoc modo, Spumas maris, Aequora tuta tacent Non placet aspiratio repetita. Quid enim abest huic homini? Quædam literæ minore cum offensione repetuntur, vt F, M, V, consonans.

- Loca fœta furentibus austris.
Velum aduersa ferit, fluctuq; ad sydera tollit.

Contra populi Ro. religionem & fidem feciſſe dicitur. Vtrum enim scientem vultis contra fœdera feciſſe, an inscientem?

Hoc metuens, molemq; & montes insuper altos
Imposuit -
- Vasto cum murmure montis.
Ingentiq; manu malum de naue Seresti
Erigit -
Incutit vim ventis -

Deformes & literæ quæ non eædem, sed prope sunt eædem.

Eliquat, & tenero supplantat verba palato.

Vna & eadem litera sæpius inserta simile vitiũ committit, vt, Ego quantum ei debeam, alio loco ostendam. Lux deniq; alia est solis, & lychnorum. Ad mulierum libidines & delicias deposcitur.

- Manent immota tuorum
- Fata tibi. -
Quæ tam læta tulerunt

Re-

Sæcula-

Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auricu-
las? Quum verbum capit initium ab ijs literis,
quæ prioris erant vltimæ, aut vltimis finitimæ, con-
ficitur ingrata vox, & auribus iniucunda, cuius ge-
neris hæc sunt: Nonnulli literati, ac studijs doctri-
nisq; dediti, quasi quiddam incredibile dicere puta-
bantur.

- Dasternere corpus
Loricamq; manu valida lacerare reuulsam.
- Italiam læti Latiumq; petamus.
Sibila lambebant linguis.-
Humani nihil a me alienum puto.
Quippe ferant rapidi secum, verrantq; per auras.

Eadem pene deformitas est in ijs syllabis, quæ pene
sunt similes, cuiusmodi sunt:

- His vnda debiscens,
Terram inter fluctus aperit.-
Nulla mora in Turno, nihil est, quod dicta retra-
ctent
Ignaui Aeneadæ.-
Vos imploro maria, portus, insulæ, littora.

Est enim huius sæculi labes quædam & macula,
virtuti inuidere. Ad populum latum, vt is Publicius,
si domum reuertisset, & inde Romam redisset, ne mi-
nus ciuis esset. Terrerrimam mortem obiret. Fugies
hæc voce mutata, vt,

Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras.

Vergilius melius fœdare quam lacerare dixit. In hoc
gene-

genere maximo vitandum κακόφατον illud, cuius est obscœnus intellectus. Est apud Vergilium,

- Iuuat ire, & Dorica castra,
Desertosq; videre locos. -
Treis adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago. -
Corpora fundit humi, & numerum cum nauibus æquat.

Syllabas Ca & ca, Cum & na, iungito, efficies alterum verbum sordidum, alterum obscœnum. illud enim ad alui proluuiem, hoc ad pudenda referetur. Quamobrem veteres dixere nobiscum. si enim præpositionem antepositissent, literæ concurrissent obscœnius. Peccant igitur hæ commissiones, In arcu lethifero, ne iecur alit, Gallicum nomen, mare Lybicum nusquam quietum. Fugiendum cum necesse est. Huiusmodi vitia Cicero vitat interpositione verbi, vt in his, Cum isto Nævio familiariter viuit. Vt cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis iure incommodi cadere possit. Cum hoc nouæ litis genus intenderet. Cum absentis nomen reciperetur. Cum te nos non opinione dubia, sed tuis vestigijs persequamur. Cum is non solum Capuam venisset. Sed & idem magnus orator non semper hoc fugit. Indicat hæc oratio ex decimaquarta Philippica: Itaque cum supplicationes iustissimas ex his literis, quæ recitatæ sunt, decernere debeamus, Seruiliusq; decreuerit, augebo omnino numerum dierum, præsertim cum non vni sed tribus ducibus sint decernendæ. Idē

ad-

admisit tertio de Oratore: Iis qui hæc quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur vno, quod omnis rerum optimarũ cognitio, atq; in ijs exercitatio, philosophia nominaretur, hoc commune nomen eripuit. His addendum videtur, quod Quintilianus annotauit: Videndũ inquit, ne syllabæ verbi prioris vltimæ, sint primæ sequentis. Idne quis præcipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit, Res mihi inuisæ visæ sunt Brute. & in carmine,

O fortunatam natam me consule Romam.

Hactenus Fabius. Legem equidem probo, sed nõ possum mihi persuadere vitium tam apertum excidisse Ciceroni. Auris eius maxime erudita viriq; iudiciũ, sensus item acutissimus, & exercitatio diuturna, nec non scripta abeo fœlicissime, efficiunt vt hæc vitro lapsa esse, non temere fudisse credam. Aliud est eum ex industria sic loqui, aliud imprudentem effundere. Excidunt ea, quæ labuntur imprudenti. Nec assentior illis, qui quum hunc audire versiculũ, extemplo iuuenis Musis eum fecisse versus existimant. Ignerãt quam multos fœliciter expresserit, ex quibus coniecturam capere licet, non illi venam, sed tempus & voluntatem defuisse. Inuisæ & visæ fortunatam & natam, in eisdem prope literis habent anthiteton, atq; dissimilitudinem quandam non ingratam examinantibus ponderaverborum, in qua lusit acutus vir, vt in gracili filo orationis. Idem Quintilianus ad iunctu-ram monosyllaba refert quasi ad coagmentationẽ, qua

quæ tam parua quam magna iungit, non ad verborum delectum pertineant. Eodem refert longa breuiaq; verba, quæ esse numeri, non iuncturæ, sciunt omnes Rythmici. Adiungit similiter cadentia, similiter desinentia, & eodem modo declinata, quæ schemata sunt interdum, & verborum figuræ. In his luminibus orationis aliquando est numerus sponte fluens, & quædā venustas. Quamobrem si crebriores erunt, non qualitate, sed quantitate peccabunt: neq; erit illud commissuræ vitium, sed quantitatis. Hoc potius annotandum, iuncturas asperas esse, quibus innectuntur multæ consonantes, cuiusmodi sunt istæ, dolens regina, post meridiem, hyems frigida, pons fractus, ingens stridor, vrbs præclara. In his efferēdus spiritus elaborat, obluctantur enim ac resistunt, nec expediri se sinunt implicatæ. Ea de caussa veteres dixere po meridiem, & pomeridianas quadrigas. Si quod vitium admittet compositio, minus erit in his quæ interspiratione diducuntur, quam quæ vno eodemq; conatu proferuntur. Nam mora & interuallum impedimento est, quo minus res alioqui vitiosa audiatur.

De coagmentatione vocalium & consonantium.

Cap. V.

In compositione iuncturarum sæpe vocalis adiungitur consonanti, aut contra vocali consonans. Tumq; fere verba de verbis apte cadunt, & in æquabili

bili commissura non admittunt hiatum. Vt enim lapides quadrati facillime connectuntur, sic & eiusmodi literæ proxime cohærent. Vtq; leue corpus & politum sine offensione transmittit vngues, sic & illa coagmentatio pronunciantis impetum sinit excurrere celeriter, & ad exitum ferri: vt,

- Tuus o regina quid optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.
Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi. -

Pauca mihi videntur esse de prouinciæ dignitate, vetustate, vtilitate dicenda. Populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce prouinciæ. Excipitur M. a consonantibus, quæ præposita vocali non aliter absumitur in carmine, atque vocalis obuia vocali. Id fit a poetis propter hiatum & offensionem, quam parit hæc litera, vt hic,

Monstrum horrendum informe -

Sic pronuncietur, Monstr' horrend' informe. Sed & sic quoque multum laborat oratio. In oratione non eximitur, sed obscuratur, autore Quintiliano. M, litera, inquit, quoties vltima est, vocalem verbi sequentis ita contingit, vt in eam transire possit: etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, vt,

Multum ille -

&, Quantum erat. adeo vt pene cuiusdam nouæ literæ sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, & tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsæ coeant. Vt nunc est pronunciatio, &

scri-

& scribitur, & exprimitur, quemadmodum vocales omnes, quas elisisse veteres antea diximus: & abusus ille frequens effecit, vt vitium minus audiamus. Nec quid hic agas, certum est. Sic enim pronunciare, durum videtur, & durius ab omnium more desciscere. Veteres elidebant M, in oratione. Nam teste Quintiliano Cato scripsit, die' hanc, & M, in E, molliuit. vnde confirmari potest illud dictum nostrum de collisione vocum, sic Latinos vt Græcos vsos esse apostropho. An Cicero pronunciarit M, alijs pronunciandum relinquo: certe frequenter anteponit eam vocali, & in eadem sententia, vt in hac: Reperiemus, si istum ad aliud iudicium perducere potuerimus, quibus probemus istum in quæstura pecuniam publicam Cn. Carboni Cons. datam auertisse, quibus suadeamus istum alieno nomine a quæstoribus vrbanis, quod priore actione didicisti, pecuniam abstulisse. Vaste sonat ante A, literam apertiorem, maxime quum vocum repetitio est, vt, Gn. Pompeij memoriam amisimus. Quod si dixeris, Gn, Pompeij memori' amisimus, nihil offendet, & hoc modo Ciceronem egisse credibile est. A, profertur ab arteria, O, ab ore cauo: itaque ab extremis labris, quibus M, enunciatur, plurimum distant. Ex eo fit, vt cum duabus I, & V, parum distantibus minus pugnet in occursu, cum reliquis immanius.

Quæ figuræ coagmentationi subseruiant.

CAP. VI.

EFiguris, quarum multus est numerus, quædam non alio videntur admitti, nisi vt aptius in oratione verba componantur. Quod genus, quoniam verbum collocat eo, quo maxime decet loco, etiamsi temporum non numeratur quantitas, ad commissuram partium referendum esse puto. Talis est anastrophe, quæ nulla necessitate commutat ordinē. Ea frequentius vtuntur poetæ, vt Vergilius,

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra. -

Fac sic, Carthago, contra Italiam: stabit ratio versus, sed compositionis ille decor exciderit.

Progeniem sed enim Troiano a sanguine ducis
Audierat. -
- Maria omnia circum.
- Magno cum murmure montis.
Vnius ob noxam. -
Quos intermedius venit furor. -
Transtra per & remos. -

In oratione dicitur, Quocum, quicum, magna ex parte. Cicero pro Deiotaro, Quocum erat non hospitio solum, verumetiam familiaritate coniunctus. Fit hoc etiam, ne duo verba in eandem literam cadentia iungantur, vt,

- Magno in populo. -
Multi illam magno e Latio totaq; petebant

Ae-

Ausonia.

Eo nonnunquam spectat Apocope, vt,

- Immitis Achilli.
- Duri miles Vlyssi.

Immuta sic, Immitis Achillis, Duri miles Vlyssis, peccabit ὁμοιόπτωτον, id est, multorum casus idem. Bene igitur dixit Vergilius,

- Tumidumq; sub axe tonanti
- Sternitur aquor aquis.

Peius erat, axe tonante. Ad huius vitij fugam nonnunquam vtimur diphthongo græca, quæ fit ex E, & I, vt,

Cogunt me Neptune preces descēdere in omneis.

Sed & hæ literæ minus agrestes sunt in quibusdam: quod A. Gellius testatur. Quamobrē Vergilius dixit,

- Treis littore ceruos
Prospicit errantes.
Despiciens mare veliuolum, terrasq; iacentes.
Atque illum taleis iactantem pectore curas.
- Tristesq; ruinas
Solabar.

Rustice dixisset, tres ceruos errantes, & terras iacentes: quanquam plerisque propter abutendi consuetudinem hæc quoque dulcia videntur. Id non fit in omnibus generis eiusdem, vt,

Aspice bus senos lætantes agmine cygnos.

hic consulendæ sunt aures, quemadmodum vbi continua multa eodem fine claudantur. Nec enim semper offendunt audientem, vt hæc,

Aeternis regis imperijs.
Cui mater med a sese obtulit obuia sylua.

Itaque Pharsalico prælio facto a Pompeio discessit. Mutantur aliquando casus, vt aptius sedeant, vt,

Huc deducta virum sortiti corpora furtim
Includunt cælo lateri.
Quorum melior sententia menti.
Da flammam euadere classi.
Et classe subegit
Amissa, socios ignotæ linquere terræ.

Inuenustior fuisset vltimus nominum casus, Cæcolatere, mente, classe, ignota terra. Et genus aliud alio gratius est, vt,

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Vulgus incertus dici quidem potuit, sed odiosius. Nec semper in eodem numero placet eadem venustas.

Securus amorum
Germanæ,

pulchrius est, quam, securus amoris germanæ. Ad hæc. quædam affinitas est literarum, & quasi necessitudo, quam sentiunt aures, os exprimere verbis non potest. Celsa sedet Aeolus arce. Cur celsa potius quã alta? Verrantq; per auras, noluit hoc spargant. Bis septem præstanti corpore nymphæ: non vsus est hoc epitheto, formoso. Incubuere mari, non salo. Alibi spumas salis, non maris. Submersasq; obrue puppes: obrue naues, deterius fuisset. Subducite naues, decetius quam subducite puppes. hæc & similia si referes ad

anti-

animi contemplationem, diu suspensus hæsitabis: si ad aurem, cõtinuo senties, quæ probare maxime debeas.

De concinnitate numerosa, & similiter desinentibus.

Cap. VII.

DE tribus commissuræ partibus ea diximus, vnde cætera generis eius haud magno negocio colligi possint. Huic autem diligenter incumbendum est, propterea quod optime iuncta coagmentatione, etiamsi nihil aliud de industria factum est, tamen oratio videtur esse numerosa. Illam si neglexeris, concinnitate & numero nequaquam perficies vt ornata venustáq; sit oratio. Sed quod & hæc expoliunt elocutionem, & ordo rerum fecit, vt eo tandem veniremus, de concinnitate pauca dicamus. Quid si apta concinnitas antea descripsimus, & de sententia Ciceronis partes eius quatuor fecimus, similiter desinentia, similiter cadentia, paria paribus relata, & contraria. Verba, quæ literis eisdem concluſa ponuntur in clausulis orationum proximarum, a Græcis ὁμοιοτέλευτα, a nostris similiter desinentia vel sinientia dicuntur, vt hæc, Bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit. Ille deos deorum spolijs ornare noluit, hic ornamenta Mineruæ virginis in meretriciam domum transtulit. Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar intercluſam aperuisti, & his omnibus

nibus ad bene de omni Repub. sperandum quasi signum aliquod dedisti. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere iacentē, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatē, hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. Nemo tum nouitati inuidebat. nemo virtutem non honorabat. Is enim profecto mortem attulit, qui caussa mortis fuit. Magnifice Seruius Sulpitius maiorū continentiam diligebat, huius sæculi insolentiam vituperabat. Nam & hoc in ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello etiam cum capitis mei periculo sensi. Quid hic victor non audebit, qui nullā adeptus victoriam, tanta scelera post Cæsaris interitum fecerit? refertam eius domum exhauserit? hortos compilarit? ad se omnia ex his ornamenta transtuleri? cædis & incendiorum causſam quæsierit ex funere? duobus aut tribus Senatusconsultis e Repub. bene factis, reliquas res ad lucrū prædamq; reuocarit? vendiderit? immunitate ciuitates liberauerit? prouincias vniuersas ex imperij populi Romani iure sustulerit? exules reduxerit? falsas leges C. Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit? earumq; rerū omnium domesticum mercatum instituerit? Populo Romano leges imposuerit? armis & præsidijs populi Romanū, & magistratus foro excluserit? Senatum stipauerit armatis? armatos in cella Concordiæ quū

Sena-

Senatum haberet, incluserit? ad legiones Brundusiũ concurrerit? ex his optime sentiẽtes Centuriones iugulauerit? cum exercitu Romam sit ad interitũ nostrum, & ad dispersionem vrbis venire conatus? Multa proposuimus exempla, vt planum inde fieret, in alijs esse breuiora membra, in alijs productiora, in alijs pauciora, in alijs plura, in alijs paria, in alijs imparia, in alijs quæsitã esse venustatẽ, in alijs prope naturalem. Incidunt hæc in calamũ, nobisq; nolentibus ita se offerunt, vt maior in fugiendo sit cautio, quam in persequendo labor. Natura (vt mihi videtur) suadet voluptates honestas, & quantum potest, vocibus atque varia iucunditate respergit orationem. Artis est, quod accidit, aut probare, aut improbare, & quod deest, adijcere: quod superest, eliminare. Dicet aliquis, Quid hoc ad numerum? Hæc concinnitas & confirmatio in paucis est verbis eodẽ pacto sonientibus, numerus autem insertus est omnibus partibus orationis. Confitendum est hanc concinnitatem, & eum numerum, qui est extemporũ spacijs, plurimum differre. Nec dicimus has figuras esse numeros, sed esse numerosas, quoniam illas sponte numerus consequitur. Id notius erit exemplo familiari. Videmus eos, qui rhythmos Gallicos scriptitant, fere totos esse in similiter cadentibus vel desinentibus (quod mihi ieiunum & miserũ est, in eadem semper versari figura) assequi tamen concinnitatũ beneficio, vt & oratores & poetæ a pleriſq; dicantur. Poetæ imitantur certo quodam syllabarum numero,

Oratores aliquo quasi rhythmo, ex quo ῥυθμίζειν creduntur a vulgo. Quid habent oratorium, nisi hunc forte rhythmum? & quid habent numerosum, nisi eodem modo finitum? Oratores obseruant pedes, non autem, vt illi, certum numerum syllabarum. Itaque si videntur aptiores vna & altera concinnitate, idem accedat & Latinæ orationi necesse est, non quia numerantur in ea pedes, sed quod illa cum voluptate quadam concluditur. Aures enim iucundum & suauem quærunt exitum, qui quum optatus aduenit, oblectantur, & in eo conquiescunt. Adhæc, non omnia quorum similis est exitus, esse numerosa verum est, sed ea maxime, quæ vel pari, vel pene pari longitudine porriguntur. Est in numero cursus & comprehensio, quæ pedibus fertur ad finem. hæc ea est in eodem modo finitis, quod vt optime respondeant, in eandem prope mensuram concludi solent. Quum primus ambitus ad metam ductus erit, paulumq; substiterit, vna cum eo sensus aurium quiescet: quum secundus eodem pene curriculo circunductus aut aliter pedem fixerit, & currendi æquabilitatem, & finiendi similitudinem comparando, non modo quiescet, sed etiam voluptate reficietur. Quamobrem illud totum esse numerosum & arte modulatum videbitur: vt, Accusant ij, qui infortunas huius inuaserunt: causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Hic non est opus, vt sit par numerus syllabarum, sed vt ea æqualem, aut ea prope æqualem magnitudinem extendantur sen-

ten-

tentia. Quod si ambitus alter altero longior est, siue antecedit, siue subsequitur, numerosum quiddam & hoc pacto conficit, vt dimetri versus annexi trimetris aut hexametris. nec enim displicet oppositarum varietas, nec est ingrata finium consonantia. Qui diligebant hunc, illi fauebant: qui admirabantur hunc, illum probabant: qui denique huius nomen audierant, illum eruditum & perfectum existimabant. Haec oratio paulo iucundior est, quod tertia pars prioribus est aliquanto productior. Hinc ostendi potest partium aequalitatem conuenire numeroso, & earum inaequalitatem eidem non vbique dissentire. Numerosum dico, non quicquid numeris constat, sed quod elocutionis aliqua voluptate gratum, refertur ad modulationem. Porro similiter definiēs modulatur extrema in quibus numerus ille dominatur. Et quoniam media mediis, extremis extrema accommodata iucundius efferuntur, inter media sic componit, vt sponte numerus confluere videatur. Hoc itaque schema cursu temperatum, apte conclusum, non numerus quidem, numerosum tamen est, & in orandi voluptatibus & delicijs habendum. Sed eo tanto parcius vtemur quanto pulchrius est atque iucundius. Nec iucunditati semper est locus, nec suaue quod nimium, nec iucundum quod tædio coniunctum, nec pulchrum quod diligentia fucatum, nec probandum quod nimio labore infinitum affectat ornamentum. Quatenus illud continuare liceat, cum ex historicis, tum ex Cicerone scire possis, cuius est illud exem-

plum ὁμοιοτελεύτῳ frequens, quod paulo ante cõscripsimus. Quum sponte casus ijdem in ordine consecutionis occurrant, vt sine vitiosa traiectione alio reijci nequeant, sex aut octo membra, nonnunquam plura, eodem fine claudere, turpe non est: vt, Rogat oratque te Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem conuertit, si nulla in re te fraudauit, si tibi optima fide sua omnia concessit, annumerauit, appendit, si vestitum quo ipse tectus erat, annulumque dedit, vt sibi per te licet innocenti amicorũ opibus vitam in egestate degere. Nihil erat cur hæc traijceret, quum sponte fluerent, non quærerentur effectate. Parciora sint quæ studio componendi quæsieris. Naturæ venustates minus animum satiant.

Vt sit oratio numerosa ex similiter cadentibus.

CAP. VIII.

SImiliter cadens schema fit, quum in eadem constructione verborum duo aut plura sunt verba, quæ similiter ijsdem casibus efferuntur. Sic definit is qui rhetorica ad Herennium scribit, & ea ponit exempla, quibus indicari videtur, similiter cadens, id est ὁμοιόπτωτον, esse in casibus qui similes exitus habent, non in ijs partibus orationis quæ neque declinantur, neque cõiugantur. Nam differentia causa, similiter desinentia extendit ad omnia verba quorum similes exitus sunt, siue casibus inflectuntur

sue

sint manēt inflexa. Sed & hæc aliter differūt, ὁμοιοτελεύτου est in extrema parte duarum plurium ve sententiarū: ὁμοιοπτώτου, aut in principijs, aut in medijs collocatur: sitq; præsertim quādo casus velut ex aduerso sibi respondent: & reddita suo loco, orationi gratiam præstant. Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudicijs impudentia valeret, non minus in caussa cederet A. Cecinna Sexti Eburij impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ. Similiter cadunt agro, & foro: locis desertis, & iudicijs: audacia, & impudentia: caussa, & vi facienda. Paulo post: Quasi vero non eo libentius tum audaciæ cesserimus, quo nūc impudētiæ facilius obsisteremus. ὁμοιόπτωτον est audaciæ & impudentiæ, ὁμοιοτέλευτον cesserimus & obsisteremus. Non minus laborat A. Cecinna ne summo iure egisse, quam ne certum ius nō obtinuisse videatur. Refer illum casum egisse, ad hunc obtinuisse: schema senties. Quū hæc ita sint, statuite quid vos tēpora Reip. de armatis hominibus, quid illius cōfessio de vi, quid nostra decisio de æquitate, quid ratio interdicti de iure admoneant vt iudicetis. Confessio, decisio, ratio, cōmode reddita pariunt cōcinnitatē. Ego huic causæ patronus extiti, non electus vnus qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus qui minimo periculo possem dicere. Nam cōmoditati ingeniū, grauitati ætas, libertati tēpora sunt impedimēto. Hic nō ad populi Rom. laudē, sed ad iudicū crudelitatē videretur esse seruatus. Nonnunquā similiter

cadunt

cadunt finis & mediũ: vt, Maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar, maiores etiam habemus. Quod hæc figura etiam pertineat ad finem, ex Quintiliani verbis intelligi potest. Est, inquit, ἐμοίωτον tum casus similis, etiamsi dissimilia sunt quæ desinant: nec tantum in fine deprehenditur sed reſpõdent vel prima inter se, vel mediis, vel extremis, vel etiã permutatis his, vt media primis, & sũma mediis accõmodentur, & quocunq; modo accõmodari potẽrũt. Hæc si vera sunt, nõ erit similiter cadens quod nõ accõmodabitur, vt hoc, Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiã cõparaui. Schema non est hic casus, ingenio, subsidio. Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebro vsurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas, cum tuis nec contentionũ magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Frequens est hic patrius casus, sed eo non habet concinnitatem similiter cadentis, quod nõ respondet ex aduerso. Aequabilitate membrorum iucũde cadit oratio, sed alia virtus est hæc, de qua postea dicetur. Nũc videamus cur similiter cadens numerosum esse dicatur. Quando similẽ casum reddimus, vt cum voluptate audiamur, propemodum metimur orationem, ac præter audientis expectationem, modum sequimur eundem, vt seruata quantitate quædam requies, reducta eadem qua-

litate

litate admiratio subsequatur. Ex illo fit vt similiter cadentia dicantur esse numerosa. Nam dimenso spacio, quod est comprehensionis, & ambitus modo suauiter posito quod est numeri, verba cum delectatione feruntur ad sensum: vt, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Hoc τρίκωλον est, ac παρισον, & ὁμοιότελευτον, id est trimembre, & æquale, & similiter cadens, & eo numerosum atque iucundum, quod omnia relata sunt quo maxime debent ferri. Eodem modo cadentia iucundiores efficiunt versus, & eorum numerum condiunt vt,

Asperatum positis mitescent secula bellis.
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obuia silua.

Huiusmodi voluptate capti recentiores eo processerunt ineptiarum, vt totos libros in hoc genere conficerent, illumque versum magnificarent qui non haberet illud suum ὁμοιότελευτον. his iudicibus hoc probare facile est, in hac concinnitate modulationem esse quandam numerorum consimilem, quæ dulci voluptate capiat sensum, propter quem repertum est quicquid est in oratione numerosum. Quos si quis errare putat, hoc animo perpendat, quanta sit interdum in re leui iucunditas, & inquirat vnde sit hic tantum suauitatis. Inueniet credo aurium sensum casibus oppositis haud aliter recreari solitum, quam oculorum intuitum paribus interuallis, & earum similitudine partium quæ conferuntur ex aduerso.

Nec

Nec mirabitur in sonorum collocatione quiddam esse aptum atque iucundum, qui vno aut altero pede composito videat orationem cadere numerose. Hac autem conformatio, si erunt paria membra, numerosior & aptior esse videbitur audienti. Si vero imparia, sed commode reddita, non omnis aberit voluptas. Quapropter haud abrea comparibus distincta sunt ea quæ similiter aut cadunt aut desinunt.

De paribus membris, & eorum numero.

CAP. IX.

PAriâ paribus relata, ὡράκωλα dicuntur a Græcis, hoc est, membra quorum par est aut pene par numerus syllabarum. Nec enim duorum pluriumue membrorum syllabas numero certo subijcimus, sed hanc omnem æqualitatem expendimus aurium sensu, & quæ parum quantitate discrepant, quoniam priorum similia sunt, inter paria numeramus. Eiusmodi partes esse numerosas ostendit heroicum poema, cuius omnes versus in eandem prope mensuram cadunt. Carmen est εὐρυμὸρ, & in oratione fugiendum: sed quod neque certos pedes, neque tempora certa metitur, aliquam tamen numeri similitudinem seruat, inter numerosas orationes habemus. Argumento sunt aliquot indocte conditi, sed qui tamen vocantur hymni, in quibus neque modum carminis, neque numerorum spacium reperies. Quod habent, quan-

quandam numeri similitudinem, vulgo creduntur esse versus. Itaque paria quod eadem fere dimensione penduntur, non quæsitum sed secutum habere numerum videntur. Quamobrem & hac varietate conspergitur oratio, maximeque composita quidem sed non solicite culta vult haberi. Itaque paribus Cicero frequenter est vsus, quod habent numerū quendam latentem, & inaffectatum. Ex multis paucæ docendi gratia sumemus. Bellum extrema hyeme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. Nonauaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Vt eius semper voluntatibus non modo ciues assenserint, socij obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestates q; obsecundarint. Seruatum esse plurimi cupiunt, seruare soli vos potestis. Hoc vero quis ferre posit, inertes homines fortissimis insidiari? stultissimos prudentissimis? ebriosos sobrijs? dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conuiuijs, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, vnguētis oblīti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis eadem bonorum, atque vrbis incendia. In his orationibus nō omnia membra sunt paria, sed quæ quibus comparāri debeant, iudicare difficile non est. Ex membris alia sunt parua, alia mediocria, alia magna.

Item

Item alia paria, alia impariа: in quo genere minora minoribus, maiora maioribus conferuntur. Parua sunt hæc: Gallos accersiuit, seruitia concitauit, Catilinam euocauit, attribuit nos Cethego, cæteros ciues interficiendos Gabinio, vrbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinæ. Postrema longius paulo traxit, non modo quod subiecta res, sed etiam quod ratio componendi sic erat. Illa autem mediocria, Subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus, ydemque gladios in Rempub. districtos retudimus, mucronesque eorum a iugulis vestris reiecimus. Reperiuntur & maiora: Mithridatem insolito inflammatum victoria continuit, & Tigranem magnis copijs minitatem Asiæ, retardauit. Miscentur paria diuersi generis, vt hæc: Cuius ea stultitia est, vt eam nemo hominem: ea vis, vt nemo fœminam: ea crudelitas, vt nemo matrem appellare possit. Habet ἰσόκωλον elegantiorem concinnitatem, quando iungitur aut similiter desinentibus, aut eodem pacto cadentibus. Tum enim concurrunt duæ virtutes, & similiter exeuntia paribus æquata (sicuti diximus) sunt aliquanto venustiora. At hæc trium per se aliqua ex parte numerosa, tum demum pulcherrima sunt, quum pedibus aptis, & eorum numero iuuantur.

Quæ

Quæ sint contraria numerosa.

CAP. X.

Contraria numerosa non solum Cicero dicit ἐναντία sed & ἀντικείμενα & ἀντίθετα, hoc est & opposita, & contrapositа. Ex illis quædam sunt proprie contraria, vt amare & odisse. quædam priuantia, vt dies & nox. quædam relata, vt longum breue. quædã cõtradicentia, vt edere non edere. quædã repugnantia, vt ladere & amare. quædam tantũ separata, & quodammodo ἀντίθετα, vt, Non nostri ingenij, vestri auxilij est. Hæc igitur, & siqua sunt generis eius alia, adeo numerosa sunt, vt in versum plerunque cadant: quod his exemplis docet Cicero. Bene quam meritam esse autumas, dicis male meteri. Id quod scis, prodest: nihil id quod nescis; obest. & addit, Semper hæc quæ Græci ἀντίθετα nominant, quum contrarijs opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, & eũ sine industria. hoc genere iam ante Isocratem delectabantur, & maxime Gorgias, cuius in oratione plerunque efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes, vt illa sunt in quarto accusationis: Conferte hanc pacem cum illo bello, huius prætoris aduentum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continẽtia: ab illo qui cepit, conditas: ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. hæc Cicero. Vnde excipere possis

dicetis Syracusas. Hæc Cicero. Vnde excipere possu quænam dicantur hic contraria, quomodo numero- se conferantur, quaque ratione conficiant orbem. Sed vt aditus ad hoc componendi genus magis aperiatur, alia ponemus exempla. Nec enim reperire dif ficile est apud eum qui est in hoc genere frequens. Neque enim potest is exercitum continere imperator, qui seipsum non continet: neque seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. Imparia composuit membra. Interdum pene paria componit, vt hic, Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido. Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, tum vitijs omnibus. Postremo copiæ cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. Sæpius impares sunt partes. Conferte Verrem, non vt hominem cum homine comparetis, nequa tali viro mortuo fiat iniuria, sed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum & iurisdictionem cum ferro & armis, aduentum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. Et si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ij dies quibus conseruamur, quam illi quibus nascimur, quod salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio, & quod sine sensu nasci-

mur, cum voluptate conseruamur. Hic vester hostis vestram Remp. oppugnat, ipse habet nullam. Senatum, id est orbis terræ consilium delere gestit, ipse cõsilium publicum nullum habet. Aerarium vestrum exhausit, suum non habet. Nam concordiam ciuium qui habere potest, nullam qui habet ciuitatem? Pacis vero quæ potest cum eo esse ratio, in quo est incredibilis crudelitas? fides nulla?

Quædam breuia sunt interualla, sed arguta. Si consul Antonius, Brutus hostis, si cõseruator reipub. Brutus, hostis Antonius. Nonnunquam singula singulis opponuntur. Antonij igitur promissa cruenta, tetra, scelerata, dijs hominibusque inuisa, nec diuturna, neque salutaria. Nostra contra honesta, integra, glorioſa, plena latitiæ, plena, pietatis. Necesse non est, ea quæ sic opponuntur, omnia esse vere contraria, sed conferri sicut aduersa: quod & Quintilianus confirmat exemplis. Quamobrem interim cum alijs miscentur contraria. Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem & lædores, & laudares: & virum optimum, & hominem improbissimum esse diceres: eundem tu & honoris caussa appellabas, & virum primarium esse dicebas, & sociũ fraudasse arguebas. de vt hoc existimabas, prædicabas, Chæreæ arbitratu caussam agebas. Hoc figuræ genus iucundum numeroſumque, sæpe enthymema pulcherrimũ, semper acre & argutum, adeo quidã Romanorũ lubenter frequentarunt, vt in Satyricos dentes inciderent. Oſtendit illud Perſianum,

-Crimina rasis
Librat in antithetis-
- Doctas posuisse figuras
Laudatur-

Ex quo (nisi forte speciem pro genere vsurpauit) probare possumus, non mediocrem esse in hac conformatione laudem, eamque non sine caussa frequentasse Ciceronem. In collatione multarum partium est antitheton non insuaue, vt illud Ciceronis pro Lucio Murena: Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas: ille, vt eo quo intendit mature cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus excitant. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caues ne consultores tui, ille ne vrbes aut castra capiantur. Ille tenet & scit vt hostium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus in propagandis finibus, tu in regendis. Huc non referes omnia vel contraria vel opposita, sed ea tantum quæ partes partibus, & membra membris ex aduerso conferuntur.

Eheu quam pingui macer est mihi taurus in aruo.

Ad numerum nihil faciunt pinguis & macer inter se pugnantia, nec si dixeris in oratione taurum esse macilentum in agro pingui. Non enim ex duobus verbis, sed ex orationum collatis partibus numerosum efficitur. Hactenus de concinnitate numerosa. Transeamus ad numeros.

Quid

Quid numerus à concinnitate numerosa & metro differat.

Cap. XI.

NVmerus a numerosa concinnitate, & a metro versuq; differt. Numerus enim spacia & interualla syllabarum longa ac breuia metitur, & ex illorum temperata compositione demulcet aures. Figurarum concinnitates non ex temporibus, & quãtitatum differentia, sed aut ex æquabilitate partiũ, aut simili concentu relatorum creant voluptatem. Numerus nunc longius progreditur, & ambitu spacioso, quemadmodum libero campo bellatores equi, fertur ad metam: nunc excursione breui contentus, initium subinde nouum molitur. Figuræ si circunscriptione longa distrahentur, quid cui debeat ex aduerso comparare sensus, nec attendet, nec vlla reficietur voluptate. Ad hæc numerus per se iucundus est, tristior est figura numero omni destituta. hæc quibusdam partibus tantum, ille insertus est omni comprehensioni. hæc aperta, ille occultus. hæc rarior, ille frequentior. hæc minoris est artis, ille maioris. hæc etiam illorũ communis, qui nesciunt artificium rhetorum, ille pauciorum, qui nõ modo præcepta eloquendi tenent, sed lõga exercitatione formati, apte compositeque dicere, & hoc quasi gestu orationem mouere possunt. Differunt etiã numerus & versus, hoc est ῥυθμὸς καὶ μέτρον. In versu numerantur pedes aut quatuor, vt in dimetris: aut quinque, vt in

pentametris: aut sex, vt in hexametris: aut septem, aut septem cum syllaba, vt in septenarijs & quadratis: aut octo, vt in octonarijs. In rhythmo quot sint omnino pedes, enumerare nihil est necesse. Nunc singuli collocãtur, vt hic, Diximus, Oscelus. Nũc bini, vt, O me miserũ, O me infœlicẽ. Aliquãdo bini cũ syllaba, vt, Testes dare volumus. Aliquãdo terni, vt, Oscelus incredibile. Aliquãdo quaterni, vt, Valeant, valeant, inquit, ciues mei. Sæpe seni, aut septerni, aut duodeni aut etiam plures Nõ sunt continuãdi numero pares, ne versiculorum similis esse videatur oratio. In versu pedes certi sunt, atque definiti, vt dactylus & spondeus heroico, iambus iambico, anapæstus anapæstico. In oratione nihil est præscriptum quo certo debeamus vti. A pæane dicam initium si verba depromenti fiat obuius: si non occurret, a cretico: si ne hic quidem, a bacchio, aut eorũ vno quibus vtuntur oratores. Quod si idem sæpius offeretur, nonnunquam repudiandus erit, vt absit odium similitudinis, quo nihil est in hac arte peius. Præterea in numero poetico, verbis ordine constitutis, non alios & alios metimur pedes, vt heroico non dicimus iambum, aut trochæum, aut anapæstum, sed dactylum modo atque spondeum. In oratione licet in pedem sumere binas syllabas, aut ternas, nunc has, nunc illas, & hoc modo varios efficere pedes pro mettentis arbitrio. Id quale sit, monstremus exemplo. Omittendæ sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam pene omnium familia-

liarium deserendus. Primus pes erit aut iambus, ex breui & longa, aut bacchius ex breui & duabus longis: secundus, aut spondeus, aut certe molossus. nihil enim refert. Iam si verbi quinti, quod est, relinquenda, tertiam syllabam componas cum duabus proximis, dactylus erit: si cum vna, choreus. si cũ tribus, paean primus. Omnia sic erũt tibi libera dimetiẽti, propterea quod orator nõ animaduertit quos nominaret pedes, sed breuibus & longis quodammodo temperauit orationem. Carmen vbique numerosum est, & in eo fere neque principia medijs, neque extrema primis, sunt compositiora. In prosa numerus etsi in medijs non omni ex parte negligitur, in principijs tamen & clausulis, hoc est, in sententiarum finibus accuratior esse debet. Nam aptius est instruendum, quod initio ferit auditorem, & id quo tandem sensus animusque recreantur. Ad hæc poeta numerum suum non sic relaxare potest, vt multis in locis orator. Si quid audet in licentiam, & iambum pro spondeo, aut trochæum, id est treis breues pro dactylo posuit, nouum & insolens & absurdum videtur. Orator interim vnam & alteram sententiam non aptat numeris, aut sponte numerosam de industria dissoluit. Nec enim delectare semper, vt poeta. sed sæpe causis ac necessitati magis subseruire contendit. Nec est turpe hominẽ seueris rebus occupatum, nonnunquã horridius, si modo grauius, præferre genus orationis, & aliũ in locum referre numeros. quod si faciat poeta, suum retinere munus nullo modo possit. Liberior

est oratio, versus his quasi vinculis astrictior: illa numero similis, hic totus ex numeris: illa neque ἀρυθμός, neque δύρυθμός. hic δύρυθμός, illa subinde variante materia alios & alios collocat pedes nunc tardior, iam volubilior, sæpe iucunda, sæpe tristis, aliquando curta, aliquãdo producta. hic sui similis, nec multos ambitus circumscribere, nec sua temporacõmutare potest: quod semel assumpsit, hoc legis est ad extremum perferendum. Quod esset inter hæc discrimen, & aperta differentia, quæsitum est vtrum esset difficilius facere versum, an aptare numerum? Quod sic intelligendũ mihi videtur. Proposita vna eademq; materia, & æquatis cæteris ornandi partibus, dubitatio exoritur, vtrum sit operosius illam metro, quã numero, an numero quam metro complecti? Numero, inquit Cicero. Cur ita? Habet ille versuum conditor, quod certum sequatur, & a quo non facile possit deuiare. Itaque si modo nouerit syllabarum quantitatem, carminisq; legem, vt heroici, & vsu mediocri fuerit exercitatus, affabre cudet versiculum, quod pueris etiam frequẽter accidere videmus. Non ita facile cognoscet quantũ excurrere debeat oratio, quod numeri genus sententia maxime velit, quos ex tam multis ordine statuat pedes, vbi firmet gradũ, vbi leuius insistat, quo tandem modo clausulam deponat. Nec si fœliciter vnam aut alteram sententiam colligauerit, quoniam modo cæsim, modo membratim, sæpe comprehense, sæpe varie dicendum est, facile mutabit numerum, & subinde nouum induet eloquẽdi

genus

genus. Quamobrem difficilius est intexere numerū quam versum, etiamsi rhythmus oratorum soluto similis est, & maiori quadam libertate prouoluitur. In vtroque tamen pedes sunt generis eiusdem, ex quorum positione modus oratorum fit, atque poetarum.

Qui pedes orationis, & quid à numero differant.

CAP. XII.

NON alij sunt pedes in oratione quam in versu, sed est eorum varia atque diuersa collocatio. Qui sint, vel Grammatici norunt. Nunc qui maxime nominentur ab oratoribus, operæprecium est explicare, propterea quod illis apte compositis numerosa progreditur oratio. Qui duabus syllabis constant, recipiunt omnes, ex quibus Pyrrhichius est e correptis duabus, Spondeus e totidē longis, Iambus e breui & longa, Choreus e longa & breui. Recipiunt & trisyllabos, Molossum ex tribus longis, Trochæum contrariū ex totidem breuibus, Dactylum ex longa duabusq; correptis, Anapæstum oppositum ex duabus breuibus & longa, Bacchium ex breui & reliquis longis. Palimbacchium ex duabus longis & breui. Longā inter breues Amphibrachyn, breuem inter longas Creticum dicunt. Tres celebrāt eorum, quibus syllabæ sunt quatuor, Dichoreum ex duobus choreis, Paana primum ex longa ac tribus

correptis, Pæana quartum ex breuibus tribus & longa. Secundũ & tertiũ referunt ad simplices, quemadmodum reliquos omnes quatuor & quinque syllabarum, præter vnum Dochimum, qui conficitur ex Choreo & Cretico, vel ex Cretico & Iambo. Horum in eam rem quam modo tractamus, nouisse satis est, ita syllaba cuiusque quantitatem vnde fit pes, habere cognitam certamq;, necessarium est. Qua si esset vna causa, certe nobis persuadere posset, oratori non vtilem modo, sed etiam necessariam esse poetarum lectionem. Ex ijs pedibus, quos antea numerauimus, alij sunt pares, vt Pyrrhichius, Spondeus, Dactilus, Anapæstus, Amphibrachys: dicti pares, quoniam diuiduntur in partes duas æquas. Alij duplices, vt Iambus, Choreus, Tribrachys siue Trochæus, Molossus. In his partem pars altero tanto superat. Alij sesquipli, vt Bacchius, Palimbachius, Creticus, Pæan, hi si diuidantur in duas partes, altera tantundem & dimidium continebit, vt in Cretico quinque sunt tempora. comporato duo cum tribus, secunda pars erit sesquimaior. hoc est, tantundem & dimidium complectetur. Diuisio est Aristotelis, quatria esse pedum genera demonstrantur. Ex illis breues celeriter feruntur, vt tribrachys, & pæan: longi tarde traduntur, vt spondeus, & molossus. temperati retinent mediocritatem, vt dactylus, anapæstus. Celeritati propior iambus & choreus, quam tarditati: contra bacchius & palimbacchius: quanquam in dactylo choreus est, & palimbacchio, sicut iambus in

in anapæsto, & in bacchio. Aliud est omnino hoc aut illo modo syllabas componere. In pæane trochæus est: in hoc nulla dignitas, in illo vel maxima. Qui pedes a longis deponuntur in breues, volubiliter eunt, atque iucunde. Qui assurgunt a breuibus in longas, aspera percussione feriunt aurem, ac in fine subsistunt. Pyrrhichius tenuis, spondeus tardus, iambus asper, choreus volubilis, dactylus heroicus, anapæstus exultans, trochæus leuis, molossus grauis, bacchius seuerus, similis palimbacchius, creticus temperatus, amphibrachys obscurus, dichoreus iucundus, pæan amplus, dochimus maiestate conspicuus. Ex illa varietate nascuntur multæ species orationis, non si pes idem semel aut iterum collocetur, sed si sæpius aut idem aut rationis eiusdē alius misceatur. Nam miscendi sunt & interserendi, non continuandi pedes, ne aut efficiant versum, aut similitudine tadium pariant, & in affectatione deprehendātur. Quod si quis vnus sæpius iterabitur, alio interiecto melius iterabitur. Pes aliquādo numerus a Cicerone dicitur, aut quod pedibus numerus constat, aut quod pes habet arsin & thesin, hoc est, elationem & positionē, vnde modulus excitatur, vt in his vel incisis vel membris, quæ vno tantum pede stant, cuiusmodi sunt hæc, Diximus. O scelus. Scio. Erras. Falleris. Sed ille numerus proprie dictus, multorum concordia pedum constat: quemadmodum symphoniacorum cantus non vno aut altero tono, sed cōcentu pluriū vocum perficitur. Quid enim modulationis est in vna percussione? aut

quo-

quomodo quæ singula proferuntur, colligari simulq; ferri possunt? Vt currentibus equis, sic & orationi opus est interuallo & curriculo, vt libero spacio recepta, libere se mouere possit. Pes igitur a numero differt, vt a toto cursu gradus vnus, & vna proiectio. Vbi numerus, illic pedes: vbi pedes, non statim numerus. quamobrem proximum est exponere, quo pedes ordine numerum conficiant.

Qui sit ordo pedum in extruendo numero.

CAP. XIII.

IN pedibus callocandis tria sunt genera locorum obseruanda, in quibus sunt principia, media, postremaque sententiarum. Extremus ambitus diligenter accurateq; deponendus. Nam quod periodo circunducta ad extremum quiescit auris, & a labore exoptata numeri iucunditate recreatur, haud immerito, si quid in oratione voluptatis est, dominatur in fine. Quod si quid in cursu claudicatū est, fine composito parū vel nihil offenditur sensus. Finem dico non modo cōprehensionum, sed etiam incisorum atque membrorum quæ numerose & apte terminare iucundum est. His tribus cura quædam adhibenda, & clausulæ, id est, extremæ sententiæ, vel maxima. Hic igitur duos aut treis numerare pedes concessum est, vix vnquam alibi datum, ne oratio, qua libere fluere debet, in numerandis constituendisque pedi-

pedibus conseneſcat. Quamobrem ordo pedũ in extrema circunſcriptione certior eſt, quam vel in principijs, vel in intermedijs: quanquam nihil rhythmo tam certum præfixumq; eſt, quam in verſu poetarũ. Hinc igitur initium ducamus, quiq; numeri maxime clauſulam finemque ſententiæ deceant, aperiamus, &, quod ordinis eſt, qui melius antecedant, quiq; venuſtius ſubſequantur. Dichoreus adeo præclare cadit, vt hoc C. Carbo concionem Populi Romani in clamorem excitarit, vt Hierocles & Menecles Aſiaticorum rhetorum principes hoc modo fere clauſerint orationem. quod improbat Cicero in Oratore, quia in orationis numero nihil tam vitioſum, quam ſi ſemper eſt idem. Dichoreo Creticus optime præponitur, peius autem trocheus. Conferte Verrem, non vt hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria, ſed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum & iuriſdictionem cum ferro & armis, aduentum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. Quod autem ſit iambus in cretico, pyrrhichius in trochæo, idem de vtroq; ſit iudicium. Dactylus & ſpondeus, eadem ratione bacchius cum dichoreo, ſuauiter audietur. Haberent hæc oblectamenta & ſolatia ſeruitutis. Prima docuit maiores noſtros quam præclarũ eſſet exteris gentibus imperare. Det operã, vt admittatur in alicuius iſtorũ Tuſculanum. Quum dactylus & choreus anteponuntur, finis eſt carminis Phalæcij: quod ſi non tam fugiendũ eſt quam vel iambicũ, vel heroicũ, vel elegum, genera

ra vulgata, tamen aliqua ex parte fugiendum. Est enim vitiosum carmen in oratione, quia dicentis imperitiam, aut certe componendi affectationem arguit. Vsus est hoc genere Cicero, Ne suum ius, suis moribus, suis legibus obtinere possent. Insidet sibipsi admodum suauiter. Per triennium dederunt. Adiungitur & paeani, & anapæsto, sed lenius paulo quam cretico. Itaq; ille M. Cato sæpius cellam penariam Reip. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliã nominauit. Partim retinet, Vt arare, vt pascere, vt negociari libeat, vt deniq; sedes ac domicilium collocare. Gratiam perdit, si ad eum abrupte venitur. Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. Nullus est pes, quo Cicero tam frequenter vtatur & in deponenda sententia, et in terminandis partium finibus: quanquam monet, vt quo dulcior est, hoc modo satietas formidetur. Claudit ille persæpe circunscriptionẽ choreo & molosso, vel cretico & spondeo. Nihil differt vtrum istorum dixeris, quũ liceat hoc aut illo modo distinguere pedes. Fateor me salutis omnium caussa ad eam partem accessisse subleuãdæ, quæ maxime laboraret. Nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si id mihi obijciatur, me potissimũ esse delectum. Vltimam syllabam facimus ancipitem, sicut & ij qui conficiunt versus. In hoc numero grauitatis est plurimum, propterea quod oratio temporũ mora firmatur. Præcurrit apte dichoreus. Pleriq; minime timendum fuisse senserunt. Interdũ tres chorei. Tamen ad hanc caussam

ſam non ſine aliqua ſpe & cogitatione venerũt. Non-
nunquam dactylus, In balneum te ducere cœperunt.
eſſe videbatur. Min⁹ habebit authoritatis cũ trocheo
aut parrhichijs duobus, vt hic, Sed tamen ſunt alia
maiora. Quidnam noui facinoris afferret. Comit an-
tur alij pedes, creticus, anapæſtus, bacchius, atq; ſpon
deus. Id haud ita frequenter, quia fugiunt oratores
tarditatis languorem. Multus eſt & creticus in ex-
trema ſententia: vt in hac, Claſſes & cõmeatus mul-
tum iuuant. Duplicatur interdum. Atque ipſe cogi-
tans ſentio. In communionem tuorũ temporum con-
tuli. Triplicatur etiam. Facere enim probus adole-
ſcens periculoſe, quã perpeti turpiter maluit. Quan-
do choreum ſequitur, aut alium pedem breui ſyllaba
clauſum, tum duos continet iambos. Fruere cum for-
tuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis.
Multorumq; innocentiam ſanguis iſtius ſupplicio lu-
endus eſt. Illud quod alteram ſenarij partem conſi-
cit, ſæpius admittere periculoſum eſt: vna pluresve
longa tutius antecedẽt. Magnopere quod laudent, nõ
habent. Quum ſubijcitur iambus, modus eſt tempera-
ta ſuauitatis. Fit enim dochimus ille pes inſignis e
quinque ſyllabis, breui, duabus longis, breui longa: vt
Reipublicæ: quem Cicero vetat iterari, quod conti-
nuatus numerũ apertum & nimis inſignẽ facit. Sim-
plicem frequenter vſurpat. Eos Martis vis perculit,
non ira victoriæ. Ad reijciendos Iudices venimus. Re-
ſpõdit quod eos in iudicando nimiũ ſui iuris ſentẽtiæ-
que cognoſceret. Infinita ſunt apud eundẽ exempla,

ſi pa-

si postrema breuis, vt in versibus, habetur vt longa. Plurima sunt & illa, & meo iudicio mollissima, quæ spondeum cum trochæo, hoc est, tribus breuibus statuunt in fine. Diu multumq; Brute dubitaui. Esse videatur. Noua quæstio constitueretur. Maximus est fructus iucunditasq; sapienti. Vt finis aliquando iudiciariæ controuersiæ constitueretur. De hoc numero Quintilianus in nono: Minus grauis erit spondeus præcedente Pyrrhichio, vt, Iudicij Iuniani. & adhuc peius priore pæane, vt, Brute dubitaui. In alia opinione fuisse Ciceronem, exemplorũ multitudo declarat. Eius autoritatem in hoc genere componendis qui parui facit, quid melius sequatur, non intelligo. Quid habent vitij spondeus & pæan? Habet spondeus stabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum, inquit Cicero: qui & hæc de pæane: Qui pæana prætereunt, non vident mollissimum a sese numerum eundemq; amplissimum præteriri? Arist. eum maxime probat: ὁδὲ παιὰν λεπτός, ὃ καὶ μόνος ἔοικε μέτρον τῶν ῥυθμοποιῶν ῥυθμῶν, ὥστε μᾶλλον λανθάνει. *Sumendus est pæan, maxime enim latet, eo quod ex dictis numeris vnus est vnde non conficitur versus. Tardior est spondeus iteratus, sed grauitate plenus choreo priore. In monumentis maiorũ suorum sit interfectus. Etenim palam dictitabat, consulatum Milonem eripi non posse, vitam posse. Atq; etiã subijciunt se homines imperio alterius & potestati pluribus de causis. Sæpius multo duobus spõdeis iambus incumbit. Sed etiam gloriam per tales viros mi-*

frin-

fringendam. Gloriam libens agnouisset. Me consulem declarauit. Consules adiuuerunt. Sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas posit. Reperiuntur in fine tres spondei. Victorijs illustratæ sunt. Tres, & syllaba: Hodierno die te ipsum vicisti. hic forte quispiam synæresin dixerit. Interdum quatuor. Sed etiam laudatorem vidistis. Hæc tardiora sunt, quam quæ debeant frequentari. Nec bene assidebit dactylus. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli. Finis est heroici carminis, eius quod temporum tarditate, rerum grauitatem ponderat, quale hoc est,

Chara deum soboles, magnum Iouis incrementum.

Quod si spondeus erit vnus in fine, & dactylus ei proxime iungetur, tanto deterior erit huiusmodi clausula, quanto heroicus versus, cuius extrema sequitur, est notior. A Cicerone iungitur. Hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? Obscurius est vitium propter moram interiectam. Nam singulatim tria postrema verba pronunciantur, & interrogatio sustinet orationem. Apertius est istud: Omnes in me meosq; redundant ex illo fonte dolores. Quam etsi spero esse falsam, nunquã tamen verbis extenuabo. Si tertius est a fine iambus, illa minus est vitiosa compositio. Imperatorum penuriam commemorabit. Dactylus in extrema sede plurimus est præueniente cretico. Nec ad consilium casus admittitur. Belli discidio distractus a fratribus. Hic ma-

gistratus a populo summa ambitione contenditur. Si sustineas hic vltimam syllabam, pro dactylo creticus erit pes in clausula frequentissimus, & sine controuersia dactylo præferendus. Instabilis est dactylus cum pæane vel anapæsto. Nullum pietatis officiū defuit. Non minor pene ad omnes, quam ad illū ventura sit, lætitia peruenerit. Ac primus aditus & postulatio Tuberonis, hæc (vt opinor) fuit, velle se de Q. Ligarij scelere dicere. Duo dactyli male nectuntur ad extremum desinunt in asclepiadeum, quod & sua sponte subsultat. Omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit. Post etiam studij sui quærebant aliquē ducem. Bacchius optime claudit orationem: quod etiam dichoreo probari potest, cuius nouissimæ tres syllabæ bacchium efficiunt, si nihil refert breuis an longa sit extrema. Certe ad quantitatem nihil refert, ad sonum nonnihil. Naturam & conditionem, vt vinci possent, habebāt. Non enim iam caussæ sunt inter se, sed victoriæ comparanda. Dissolutum videri. Si nectes syllabas quatuor, ditrochæus erit: si tres modo, bacchius. Eodem modo comparandi sunt molossus & palimbacchius. Noli nostro periculo sapiens esse. Pæan ab antiquis statuitur duplex, vnus ex longa & tribus productis, alter ex breuibus tribus & longa, duo reliqui ad alios pedes reducuntur, vt secundus ad iambum atq; pyrrhichium, tertius ad pyrrhichium & choreum. Primus & vltimus quamuis dignitatem & amplitudinem habeāt in medio cursu, infirmi tamen & instabiles sunt in extre-

extremâ comprehensione. Sed & in ea nonnunquã collocantur. Ego te in patria per eosdem retinere nõ potero? Nulla denique existimantur esse iudicia. Atq; ille non mediocri cupiditate arripuit imperiũ. Si quid forte prætereo, dico intra domesticos parietes. Neq; moleste ferebant abesse a foro magistratum, non iudici, non iudicia fieri. In hoc exemplo duo pæanes sine grauitate concurrunt. Quod trochæus autem sit in pæane primo, subibit idem iudicium. Isto enim nomine illa adhuc causſa caruit. Contra Cæsarem bellum gerere. Itaque si plures erunt breues in clausula, oratio vanescet: vt hæc, Dabat se labori atque itineribus. Nec multum probandus anapæstus. assurgit enim, nec bene deponit orationem. Nisi ratio belli, nisi summa vtilitas moueant. Iam qui pedes optime cadant, operæprecium est in summam referre, vt eos cuique promptum sit excipere. Hi sunt igitur principes,

Creticus & dichoreus	gloriam comparauit.
Choreus & molossus	membra firmantur.
Dochimus	ita victoria.
Creticus iteratus	vrget affinitas.
Creticus & dactylus	consonant omnia.
Trochæus & spondeus	vitia damnant.
Iambus & dispondeus	virum condemnarunt.
Trochæus et dispõdeus	cædit armatos.

Aliis omnibus gratia varietatis vtendum. Sæpius his præstantioribus demulcet aures eloquens, atq; grata vicissitudine tædium vitat. Claudunt ambitum pe

des omnes, qui vel duabus, vel tribus syllabis continentur. Etenim pyrrhichius est in dactylo, iambus in cretico, choreus in dichoreo, dactylus & trochaeus in paane primo, anapæstus in secundo, molossus in dispondeo. bacchius si nihil refert breuis an longa sit nouissima, ad dichoreum, palimbacchius ad molossum pertinebit. Quamobrem pes omnis duabus aut tribus syllabis constans, ambitum definit. In texendis numeris haud satis est continuationis aptasse finem, sed & incisiones & membra curam diligentiamq; desiderant. Hic tantisper quiescit orator, dum sententiæ distinguuntur, & ad cætera pronunciandi spiritus a labore recreatur. Membra quæ κῶλα dicuntur a Græcis, alia sunt longiora, Vt etiam filium suum lectissimum adolescentem foras ad propinquũ suum quendam mitteret ad cœnam. alia breuiora, vt, Hospes hortatur. In omnibus longioribus, quia periodon illam videntur imitari seruanda est eadem ratio pedum, quam supra demonstrauimus, & eo forte seruanda magis, quo sunt illa periodo curtiora. Animus hæc tota complectitur, & illorum gaudet ornatu. Si videt esse discincta, abruptam & interpunctam elocutionem aspernatur, & grauiter molestèq; fert tantum spacij confectũ fuisse sine voluptate. Sin breuiora ponuntur, ex numeris eligendi tardiores, vt breuitatem grauitate compensent. Hic laudabitur spondeus, bacchius, molossus, & dispondeus: nec erit in vitio creticus, & dichoreus. Cuius rei sit hoc testimonium. Tum ciues Romani, qui Lampsaci negotiabantur,

bantur, concurrunt, orant Lampſacenos, vt grauius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur. ſeſe intelligere hominem illum eſſe impurũ ac nefarium, ſed quoniam nec perfeciſſet quod conatus eſſet, nec futurus eſſet Lampſaci poſtea, leuius eorum peccatum fore, ſi homini ſcelerato pepercisſent, quam ſi legato non pepercisſent. Hæc periodus multis confecta membris. Sunt & breuiora quædã exijſdem pedibus. Non enim poteſt dicere, quum ſeditionem ſedare vellẽ, quum frumentũ imperarem, quum ſtipendium cogerem, quum aliquid denig Reipub. cauſſa gererem, quod acrius imperaui, quod animaduerti, quod minatus ſum. Eadem eſt fere inciſorum compoſitio Nam componi debent optime, vt ornet elegantia paruitatem. Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Hæc inciſe dicta ſunt quatuor, quæ ſpondeo ſuſtinentur Inciſa Cicero dicit, qua Græci κόμματα: cuius verbi notatio videtur indicare particulã orationis ſpiritu pronunciantis interruptam, & ſine alijs debilem & mancam, vtpote quæ nec plane ſenſum, nec numerum habeat perfectum. Inciſa ſtatuit in ſingulis verbis, vt, Diximus. In binis, vt, Ipſi prodeant. In ternis, vt, Miſſos faciant patronos. Poſſunt eſſe plura. Membra ve numeroq ſunt perfectiora, quæ tamen a corpore totius orationis auulſa, integrã vim non habẽt: vt, Clandeſtinis conſilijs nos oppugnãt? Et hæc quatuor, O callidos homines. O rem excogitatam. O ingenia metuenda. Teſtes dare volumus. De inciſis

Quintilianus & membris, Incisum, inquit, erit sensus non explexo numero conclusus, plerumq; pars membri. Membrum autem est sensus numero conclusus, sed a toto corpore abruptus, per se nihil efficiens. Hæc anxie distinguere ad eā, de qua loquimur numerorum scientiam nihil est necesse. Dicamus incisum esse imperfectius, & quo dicto ad reliqua festinet orator: membrum, perfectius, ac liberioris interspirationis. Incisum sæpe membri pars est, vt hic: Si auctoritates patronorum in iudicijs valerent, ab amplissimis viris L. Cornelij caussa defensa est. si vsus, a peritissimis. si ingenia, ab eloquentissimis. si studia, ab amicissimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio, tum maxime familiaritate cōiunctis. Hic circuitus quinque membris constat, singula binis incisionibus. Etenim quum partes orationis omnes aut incisa dicantur, aut membra, aut circuitus: & circuitus, hoc est, periodi, totam expleant sententiam, membra sensus breuiores amplectantur: necesse est incisi nomen ad eas maxime partes referre, quæ per imperfectionem iustum membrum conficere non possunt, quum tamē interuallo & interspiratione distinguantur, vt hæc septem, Cui cōmisit? quo adiutore vsus est? quo socio? quo conscio? cui tantū facinus, cui se, cui salutē suam credidit? In vno verbo numerum quærere non est opus, in duobus quadā concordiæ vis esse potest. Membra dicantur hæc nouem, Publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat vectigalia, dehabat ciuitates ex commentario, dicta-

ctaturam gerebat, leges imponebat, prohibebat dictatorem creari legibus, senatusconsultis ipse repugnabat in senatu, prouincias vnus omnes concupierat. Si quid est hoc genere perfectius, nec tamen ambitus nomine dignum vocari, maiore de caussa membrum debebit appellari, etiam si pars circuitus non sit. Est oratio membratim cæsimque diuisa, quam dicere circunscriptionem non possumus: vnde planum fit & incisiones & membra a periodo separari posse. Sit hoc testimonium. Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? Virtutem eorum diligentiamque cognoscite. In balneis delituerunt. Testes egregios. Deinde temere prosilierunt. Homines grauitati deditos. Arguit Cicero Hegesiam quendam qui fere semper hoc genere sine circuitu vtebatur. Idem de compositione membri & incisi, sic præcipit, Nihil tam debet esse numerosum, quam hoc quod minime apparet, & valet plurimum. & paulo post, Quæ incisim aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent. Non igitur verendum est, in horum casu optimos collocare pedes, eosq; maxime, qui suo pondere firmant orationem. Sic enim parua corpore, spaciorũ stabilitate confirmantur. Principia, quæ vacuas ingrediuntur aureis, numero vacare non debẽt. Non enim potest illud placere, quod statim quasi in vestibulo offendit. Creticus principijs aptissimus est. Neminem vestrum ignorare arbitror Iudices. Deinde paanes duo. At beneficio sum vsus tuo. Leuia sunt hæc

in hoc reo crimina. His adijce dichoreum & bacchium & palimbacchium. Non enim potest ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc vno scelere esse contenta. Vehebatur in essedo tribunus plebu. At quanta merces rhetori data est? Capiunt eundem locum cæteri. Dactylus, Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur. Anapæstus, Patior iudices, & non molestè fero. Molossus, Est idem Verres, qui fuit semper. Amphibrachys, Tenesne memoria prætextatum te decoxisse? Trochæus, Vt igitur intelligeretis, qualem me esse Consularem profiteretur, obiecit mihi consulatum meum. Dochimus. Catenas habebat hospes tuus Omnes igitur pedes simplices duodecim numero principem locum capiunt. Pyrrhichius est in Anapæsto & pæane quarto, iambus in Bacchio, Choreus in Dactylo & Cretico, Spondeus in Molosso & Palimbacchio.

Ex illis optimi sunt initio
- *Creticus.*
- *Pæan primus.*
- *Pæan quartus.*
- *Dochimus.*
- *Dichoreus.*
- *Molossus.*
- *Anapæstus.*

Suntne quoq; boni, qui continentur illis? Nihil est necesse. Quum pedi aut accessio, aut decessio fit, illius natura mutatur. Nec si pæan habet dignitatem, propterea necesse est, aut pyrrhichium aut throchæum

eadem

eadem autoritate præstare. Refert enim, longa an breuis subsequatur. Itaq; dicimus illos omneis in principijs non quidem probari, sed inueniri. Cauendum ne multis breuibus exiliat, neue longiorū continuatione langueſcat ingreſſus. Maxime animaduertendum ne continuentur ij pedes ex quibus efficiuntur triti vulgatiq; verſus, cuiuſmodi ſunt iambi, anapæſti, chorei, dactyli, ſpondei. Nam verſus initium ſi ponitur initio comprehenſionis, vituperatur vt ῥυθμοὶ, vt heroici, Promitto hoc vobis, & Reip. ſpondeo. Conſeruate igitur Reipub. Iudices ciuem bonarum artium. vt iambici, Tu conſul es renunciatus. vt anapæſtici, Veniunt ad eum ſocij. vt ſapphici, Si quid hic poſſum, faciam quod optas. Quæ genera carminum ſunt ignotiora, quemadmodum minus deprehendūtur, ita minus in oratione reprehenduntur. Eſt tamē carmen (ſi Ciceroni credimus) orationis vitium vel maximum. Diximus quæ ſit ratio pedum in principio & in exitu ſententiarum: ſupereſt vt de mediorum collocatione dicamus. Quoniam media ſurdius audiuntur quam vel prima, vel extrema, paulo negligentius inſtrui ſolent. Traducitur animus impetu dicentis, & dum rerum verborumq; bonitatem conſiderat, & eorum vim ſummamq; complecti nititur, non ita vehementer numeris qui medio curſu rapiuntur, intendit. Sed eſt huic interuallo ſuum decorum. Quum celeriter ſpacium corripit generoſus equus, quam apte ſingula ponat veſtigia, conſpicere non poſſu. ſi forte inſigniter aut claudicet, aut offen-

dat, aut moretur, aut transiliat, aut attollatur, aut declinet, continuo disparem cernis deformitatem. Haud secus quum volubiliter fertur oratio, pedum singulorum metiri positiones haudquaquam possumus, quam vero consentaneus sit omnis cursus iudicare facile possumus. Quamobrem media initijs & clausulis apte respondere debent. Respõdent autem, si ad eundem numerum & ad eandem modulationem proxime accedunt. Quod fit, si quo cœpisti tenore, eodem progrediare ad extremum. Medijs in partibus amplissimus est vterque pæan primus & quartus. Nec solum dignitatem affert & amplitudinem, sed etiã volubilitatem atq; claritatẽ, qua animi concitati affluẽte voluptate recreantur. Quod vt planũ fiat, ex Cicerone proponemus exempla: Vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere præscriptio moderatioq; teneatur. In hac oratione breui sex pæanas primos accipere possis, ex quibus incitatior est cursus, atque magnificentior amplitudo. De pæane quarto proferamus exemplum: Fieri enim non potest, vt animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agẽdo, verum etiam cogitando sustinere possit. Hic octo pæanas ex ternis breuibus & singulis longis dimetiri queas. Nõ abre dicimus, dimetiri queas. Nemo rhythmicorum pedes enumerat in cursu, quot quiue sint, & qui debeant aut diuidi, aut nominari: sed occurren-

ventibus verbis expendit animo quanta sint interualla spaciaq; syllabarum, hoc est, quænam sit breuium longarumque temperies, ex quibus alij atque alij fiũt pedes. Si velit spondeos, molossos, bacchios, palimbacchios, creticos, tum pluribus vtitur longis. Si malit dactylos, anapæstos, trochæos, pæanas, tũ breues syllabas copiosius inducit. Iam si quis obseruare volet quid exciderit numeros expendenti, quoniam aut binas, aut ternas, aut plures syllabas aggregare cõceditur, hos aut illos pro sententia constituet pedes. Quæ quum ita sint, nihil tamen vetat quo minus tyrones numerent præcipuos, & ternas singulis, aut etiam plures syllabas quã binas alligare malint. hoc multo facilius & vtilius ad componendum. Et in tribus syllabis duæ sunt, & in quatuor & quinque, vt in pæane atque dochimo. Hoc modo obseruantes seligimus pæanas aliosue numeros, qui neque continuari plures nec certa comprehendi summa volunt, sed alijs permisceri, & pro subiecta materia aut plures aut pauciores collocari. Dicam apertius. Habes rem verbis explicandam minimum viginti, non est opus vt rationem subducas quot illam pedibus amplectare. Verba cogitanti succurrent. Si volubilitati studebis, excipies de multis celeriora, si modo bona erũt, ac propria. Et quoniã duæ consonantes antecedentẽ vocalẽ etiam in oratione producunt, eo collocabis ordine, vt quæ sunt natura breues, eadem maneant quãtitate. Quo facto, pauciq; longis interpositis & dactylos, & trochæos, & anapæstos, & pæanas in ora-

oratione tua vltro reperies. Quod si scribis in ocio, quid vetat inspicere quem velis esse frequentiorem, & eum paucis interiectis sæpius collocare? Id faciet vsus. Vbi consuetudine scribendi, & exercitatione dicendi consecutus eris facultatem, tum cursus meteris hanc numerandi molestiam relinques. Omnia tibi prompte suppeditabit vsus. Vt igitur iuuenes optimis assuescant, cætera persequamur. Dignitatem inesse dactylis ostendit heroica maiestas. Ex ijs numerum quidam iudicant esse grandiorem, quam desideret soluta oratio, vt Aristoteles. Herous (inquit) grauis est, ac magniloquentiæ accommodatus. Cicero in oratore, Iambus, inquit, frequentissimus est in ijs quæ demisso atque humili sermone dicũtur. Paan autem in amplioribus: in vtroque dactylus. Ita in varia & perpetua oratione hi sunt inter se miscendi & temperandi. Hoc autore dactylum misceamus, & magnitudinem quæ citra versum est, ne repudiemus. Miscet illum frequenter. vnum & alterum testimonium adducemus. Intelligo quam scopuloso difficilique in loco verser. Nam quum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atque eloquentiæ multo molestissima. Inueterauit enim iam opinio perniciosa reipub. vobisque periculosa, quæ non modo Romæ, sed & apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his iudicijs quæ nunc sunt, pecuniosum hominem quanuis sit nocens, neminem posse damnari. Creticus vel nolentibus nobis se multus obtrudit. Id accidit, credo, quod bona pars verborum literas

breues

breues & longas habet. quæ ratio valet & in iambis, & in choreis, qui vtrique creticis quodammodo videntur includi. Creticis maior est dignitas, etsi neque duos iambos, neque duos choreos proxime adiungere possis, quin efficiatur creticus. Creticorum est vsus adeo frequens, vt vna in periodo non longissima vndeuiginti reperiantur. Ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro, in iudicijsque ita versor, vt eiusdem ætatis aut nemo aut pauci plures causas defenderint, & qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotijs datur, in hu studijs laboribusque cõsumam, quo paratior ad vsum forensem, promptiorque esse possim, tamen ita deos mihi velim propitios, vt quum illius temporis mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum sit, non solum commoueor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. Anapæstus in cursu, vt in oratione proxima videre est, non est infrequens. Nam si longa præcedit, in dactylum referri potest. at si continuaueris anapæstos, resiliens quasi refracti, atque tympanorum sonum imitabuntur. Istud senties, si breues breuiter, lõgas longe pronuncies. Firmior est spondeus, & in grauitate rerum præstantior: quod idem de bacchio & molosso iudicandum est. Nemo quenquam tam audacem, tam amantem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefarijs criminibus, tam multis testibus euictus, ora iudicum aspicere, aut os suum Populo Romano ostendere auderet. Est idem Verres, qui fuit semper, vt ad audendum proiectus, sic paratus ad audi-

audiendum. Præsto est, respõdet, defenditur. Ne hoc quidem sibi reliqui fecit. vt in rebus turpissimis quum manifesto teneatur, si reticeat & absit, tamen impudentiæ suæ pudentem exitum quæsisse videatur. Cæteros ordine referre nihil est necesse. Nullus est omnium, qui non aliquando intermisceatur. Sed optimi sunt pæanes, cretici, dochimi, dactyli, bacchij, spondei, molossi: non dico si continuentur, vt in versu, sed si liberalius aspergantur. Pyrrhichij vero & iambi trochæique si frequentes erunt, minutis numeris extenuabunt orationem. Sin pauciores, obscure & surde audientur. Miscendi sunt igitur & temperandi, non modo propter varietatem, cui plurimum studet omnis eloquentia, sed etiam propter expeditam ac celerem dicendi facultatem. Nihil est cur in numerandis pedibus homo cõsenescat. hoc artis, quicquid est, experiatur adolescens: iudicium præceptis informet. Omnia trahat in vsum. Quum plurimum scribendo dicendoque profecerit, tum laxare numeros pro sententia, & liberius spaciari poterit. Promtius est ac facilius orationem quasi laxis habenis effundere, quam certo numerorum vinculo & componendi moderatione frenare. Qui non cohibet sciens, negligentia laborat: qui cohibere non potest, ignorãtia. hoc autem multo fœdius est, & turpius. Ne quis igitur auidus eloquendi, recuset illam in discendo numero molestiam, quam homines doctissimi & in obseruando & in tradendo subiuerunt.

Qui

Quæ vitiosa numeri textura.

CAP. XIIII.

QVi pedes orationis, & artificiosam illorum collocationem tenet, stylum exerceat, optimum dicendi magistrum. Principio (vt in tyrocinio quodam) se numeris astringat, non minutis illis & quasi mutilatis, quibus in tenuitate rerum graciles vtūtur, sed optimis quibusque & amplissimis, a quibus procliuior erit ad ima descensus, quā ab imis ad summa. Vt eo multis pateret accessus, exposuimus qui laudatissimi pedes haberentur, & quo quisque loco statui ab eloquentissimo solitus esset. Dicendum mihi postea de vitijs quæ vulgus imperitorum committit, vt illorum fuga eluceat. Quod in principijs & in finibus maxime numerus, & illa sonorum temperantia dominatur, in illis fugienda literarum dura concursio, & vocalium grauis hiatus. Corrumpit enim quicquid est in apta numerorum copula suauitatis. Illic Cicero vocales elisisse mihi videtur, & aliter extulisse lingua, quam abusus iste pronunciationis obseruet. Reserat minim' obscura, pro minime obscura. Restricti nullo modo esse debemus, sed in deligendis idoneis iudicium & diligenti' adhibere, loco illius, diligentiam adhibere. Ist' homo liberalis negat se quenquam retinere eorum qui Petilio vellent adesse. Non ignoro (dixi iam superiore libro) collisiones huiusmodi fieri solitas in oratione tota, sed iterum, dico, ne quis arbitretur his locis

abrup-

abruptos esse numeros, ac hiantes, qui debeant maxime componi, vtque in hoc genere sint parciores, quicunque cupiunt haberi compositi, & elegantes. Multa sunt quæ non oportet elidi, vt quæ concisa intelligendi viam claudunt, & quæ integra nullam pariunt audienti sonorum fœditatem. Nec satis scio tempusne patiatur in vsum vocari, quod praua loquentium cõsuetudine exoleuit. Alterum vitij genus est in eiusdem pedis continuatione. Aut enim versum facit, aut partem versus, aut tardius remoratur cursum flumenque dicendi, aut celer nimia mobilitate corripitur, aut temperatus ingenerat tadium similitudinis, aut certe intuisam quandam ostentat affectationem. Aliud est, ne strepitum plusquam heroicum, & veluti sonoram tempestatem & confragosam ciere numerus iste conetur. Vehementer errant ij qui componendi fructum constituunt in agresti vastaque grandiloquentia voce, dextri (si dijs placet) & graues, tum cum sonorum magnitudine rupere buccas, & horrenda tonitrua concitarunt: vt quidam sic, Obscœnitatem verborum etiam in fulminandis vitijs deuitaui. Quanuis sublimis & ardua hoc tamen immani sonitu pressior atque moderatior esse debet oratio. Aut certe Demosthenes & Cicero, quid esset aliud, vehemens, magniloquum, fulmineum, nescierunt. Vterque certe fugit extumescentem illam quorundam poetarum vastitatē. Peccatur aliter in traiectione verborum. Sunt enim qui studio componendi structuram implicant, & con-

confusione permiscent, verba de loco suo longe summouent, & in alienũ trajciunt, quo melius aut cadat aut voluatur oratio. hoc modo quidam, Platonis in Protagora sententia videtur esse, eas artes quæ ad victum pertinent humanum, prouidentiam humanam reperisse. Obliquus ille casus, Platonis, & hoc epitheton, humanum, vitiose traiectum est. Quid si tenuisset hunc ordinem? Sententia Platonis est in Protagora, eas artes quæ ad humanum victum pertinent, humana prouidentia repertas esse? Tria vitia fugisset, vnum traiectionis, alterum constructionis ambiguæ, tertium numeri cadentis in versum. Tenendum est id quod diximus libro superiore, in ordine naturæ manendum, quoad patietur ratio componendi. Nihil est ridiculum magis, quam inopportunas elegantias (si modo ineptiarum sunt elegantiæ) affectare. His adde vitium à M. Tullio notatum, quo fracti concisique numeri in quoddam genus abiectum incidunt. Id autem fit quum cæsim membratimque dicitur, nulla interposita comprehensione. Nam circuitu quasi crepidine breuiores particulæ vinciuntur, & tædium crebræ percussionis quam finis multus elidit, aufertur. Magna res est amicitia. Amicus est alter ipse. Illi conuenit tecum. Pars est animæ tuæ. Gaudenti arridet. Mœrentem solatur. Sua communicat. Tua non expetit. Non spoliat fortunatum. Comitatur infelicẽ. Quod odisti, non amat. Quod amas, non odit. Quod cupis, illi cordi est. Quod reijcis, non admittit. Etiusmodi

sensiculi crebro quatiunt aurē: & si continuantur, animum & memoriam fatigant. Sunt illi quidem versiculorum persimiles, quibus neque dignitas inest, neque voluptas. Id genus qui continuare nolet, interponet ambitum, nunc breuem, nunc longum, pro cuiusque naturæ sententia. Sunt & qui inania verba inferciunt, quasi complementa numerorum, vt ipse, ipsa, ipsum, ille, quidem, certe, sane, profecto, hercle, loquitur dicitque, facit & agit, taceret & sileret, prosequitur & sectatur, ūctus eruditusque. Sunt alia generis huius multa, quibus rimas implent ij qui steriles elocutioni, inani verborum copia redundant. Reperias qui vna prope mensura sententias æquant, eodemque modo terminant, & qui segni numero languescunt, & qui claudicant inæqualitate, & qui capiti grandiori tenue corpus assuunt, quique perpetua verborum serie perfusi, vix tandem modum inueniant longissimæ catenæ. Sed omnium molestissimi videntur, qui verba ambitiose delecta contexunt numero quodam poetico, in quo Mecœnatis illud a Quintiliano reprehenditur, Sole & aurora rubent plurima. Inter sacra mouit aqua fraxinos. Ne exequias quidem vnus inter miserrimos viderem meas. In hoc flagitium decidunt ij qui nescientes rectum genus eloquendi, frustra sese attollere conantur. Ne sit igitur hiatu & aspera concursione literarum interceptus numerus primorum & extremorum. Ne per idem frequentius iteretur. Ne turgida magnitudine nume-

numerus intumescat. Ne molestiam pariat traiecta constructio. Sed etiam in quo peccauit Thrasymachus, & Hegesias, & recentiorum plurimi, numerum concisum elumbemque interiecta periodo vitabimus. Addemus interdum particulas ad explendum numerum, sed vtiles: detrahemus aliquando, sed ociosas. Incisiores metiemur impares, si plures erūt: nec membra omnia & circuitus longitudinis eiusdem esse patiemur. Numerum pigrum & languentem incitabimus breuiorum syllabarum interpositione. Claudicantem æquabilitate pedum corrigemus. Pedes æquabiles accipio, qui eodem prope tenore gradiuntur. Ad præscripta capitis lineamenta, partes corporis efformabimus, nec tam longos circunducemus ambitus, vt neque memoria teneri, neque auditoris animo concipi, neque cuiusquam spiritu transigi possint. Ce circuitu postea, nunc imitati eloquentiæ Romanæ principem, moueamus quæstiones, quibus explicatis, numerorum vis omnis aperietur. Etsi quæstio primas habet in disciplinis, non tamen inutile fuit, neque ordine præposterum, ea fatuisse principio, quibus dubitationum pars optima solueretur.

Quæ de numero quæri expediat.

Cap. XV.

IN his quæ numerosæ compositionis ignarus addubitet, hoc omnium primum sit: Sitne omnino

vlla numerosa oratio? Esse in oratione numerum quendam testificatur Aristoteles, Theodectes, atque Theophrastus, qui scientia philosophiæ præclari de numero scripta reliquerunt. Testis est locuples Dionysius Halicarnaseus, cuius opus extat egregium tũ de alijs virtutibus orandi, tum de numeris oratorum. Testis grauissimus Cicero, qui plura de numero quam veterum quisquam literis mandauit. Quid? fatentur & orationis inimici esse nescio quid in oratione numerosa, quod molle & effœminatum, vitilonocinio quodam, sic blanda voluptate capiat aureis nesciorum. Ad hæc ratio ostendit, quemadmodum numerus in versu pedum collocatione perficitur, sic & eorum artificiosa constructione citra versum oratorium numerum confici posse. Sed primus autor est sensus, sensus inductionis ac rerum singularium magister. Sentiunt aures in oratione compositæ voluptatem, quam in dissoluta reperire non possunt: quarum monitus qui respuunt, initium doctrinæ mihi videntur aspernari. Aures igitur audiant orationes Isocratis, audiant Demosthenis, audiant Ciceronis, & aliorum quicunque eloquentia floruerunt: in illis vim esse modulatam, & quoddam musicæ genus, vnde recreentur ipsæ, constanter affirmabunt. Quod si quis arbitratur eam delectationem a bonitate verborum ac figurarum moueri, dissoluat orationem apte conditam, rem omnẽ seruet ac verba, figuras teneat easdem, ordinem paulum mutet vniuersus decor abscesserit. Commutetur hæc

oratio

oratio, Nulla est enim tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. fac sic, quæ non ferro ac viribus possit debilitari frangique: venustas omnis excidit. Quid ita? In locum dichorei successit spondeus & palimbacchius. Id sentiunt aures, aut si ne sentiunt quidem, asini sunt ad lyram, non homines. Est igitur in oratione quidam numerus ex apta pedum compositione. Quis inuenit illum? Thrasymacus Chalcedonius, Isocrates expoliuit. Nam quum Thrasymachus minuta, & versiculorum similia quædam, nimiumque depicta prodidisset, & id Isocrati non probaretur, primus instituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere sententias. Scribit hæc Cicero in oratore. Repugnare sibi videtur in Bruto. Ante hunc, inquit, verborum, quasi structura, & quædam ad numerum conclusio nulla erat. Non repugnat tamen, quia Thrasymachi numeri neque perfecti neque concluſi fuerunt. Quæ causſa numerum effecit? id est, quo duce inuenit illum Thrasymachus? Natura, atque sensu. Illa parens vt in agro sine opera nostra, sic & in animo multa sponte fundit. Naturam imitatur ars, & obseruatione præcepta gignit. Itaque quum priores agitante natura aliquid concluse apteque dixissent, & homines ætatis eius aliquid etiam casu præclare dicerent, idque aureis & animum acerrimi viri pelleret, paulatim genera notauit, & obseruando confecit artem. Eadem ratione, hoc est cognitione aurium, obseruatione prudentiæ, inuentus est ambitus,

bitus, & vsu notatum est, quæ comprehensiones aut immoderatius excurrerent, aut citius æquo terminarentur, aut modice laberentur ad æquam dimensionem. Nec enim mathematica demostratione, vel necessitate conclusionum, cognitus est numerus & circuitus, sed e seminario naturæ profectum, artam titillauit amica voluptate, & illapsus in animum, quodammodo se iussit obseruari Mens (quam veteres numerum dixere) suauibus affecta modis, quid esset quod tantopere delectaret, propius inspexit. eo quod fortuito exciderat, tanquam regula quadam appositio, rudem materiam in eandem rationem mensuramque direxit. Vna, altera, tertiaque sic expolita, quum haud minus oblectaret atque prima, signatus est locus: & hæc fuit origo præcepti. Quærendum deinceps, quid sit numerus, quaque debeat ratione finiri. Numerus est orationis apta modulatio ex interuallorum breuium longiorumque varietate. Interualla dicimus, vt antea, tempora syllabarum, & spacia quæ in efferendis verborum partibus transiguntur. Quæ breuibus & longis oratio temperata, & ad aurium mensuram terminata, iucunde progreditur, & apte cadit, ea dicitur esse numerosa. Quæ vero breues & longæ, sed intemperate & incompositæ mixtas habet syllabas, quia nullius est aptioris modi, carere numero, & errare vage fertur. Ex quibus intelligitur id esse numerum in oratione, quod est metrum in versu: eumque constare pedibus non temere abie-

Cic.,

tio, sed pulchre & decenter incedentibus, dones aurium imperio iubentur insistere. Non est numerus ea sententia de qua agitur, non ipsa verba, non concinnitates & figura, non ij qui tropi nominantur, non pedes, & eorum tempora, non incisa, aut membra, aut ambitus, sed pedum ordine positorum quidam pulcher incessus, & veluti quædam orationis expolitio, & palæstra. Sit tanquam palæstra, quoniam decenter mouet orationem. Sit expolitio, quia excolit elocutionem. Sit quidam modus, propterea quod mensura quadam continetur. Sit modulatio & quædam musica, quandoquidem obscuro concentu delectat aureis. Sit vinculum verborum, eo quod ligat atque connectit dictionis partes. Sit ornamentum, quo vestita sententia, non expeditior modo, & accincta magis, sed pulchrior atque venustior habeatur. Est ne numerus vnus, an plures? Plures quidem certe. Nam si pedes sunt numeri, quot incedunt pedes in oratione. Omnes autem simplices ingredi supra demonstrauimus. Sin numeri compositi, multisque dimensionibus apte quadrati fuerint, plures quoque erunt, aut quantitate aut qualitate aut alia ratione distincti. Quantitate, vt breuis longus, par, impar, magnus paruus, continuus interruptus. Qualitate, vt tristis iucundus, suauis asper, anxius seuerus, elegans inuenustus. Alia ratione, vt celer, tardus. Vbi numeri ponuntur? In omni parte, totaque con-

tinuatione verborum. Nullus est locus in oratione composita, qui numero omnino vacare debeat. At initia & conclusiones sicut attentius audiuntur, ita accuratius quam media componi volunt. Non duo media semper oportere negligentius aptari, sæpe enim quam optime collocantur, sed si quis incompositior esse velit, habere illum media, vbi malit occultare negligentiam. Quando numeris vtimur? Semper. Memini me dixisse antea, non vti semper oratores, qui vel alijs rebus occupati, vel bonitate rerum verborumque contenti, vel sponte dissoluti relaxant hoc vinculum. Illud est non funditus auferre, sed paucis in verbis connectere securius. Caterum nemo peritus huiusce connexionis artifex, sic resoluit vniuersum opus, vt sine lege solutum feratur. Ad quid vtimur? Ad aurium voluptatem, quibus orator, vt sine tædio perferatur, aliquid oblectationis administrat. Hoc officium quam sit vtile, multis ante verbis aperte monstrauimus, ne quis vel natura, vel moribus senior bellum huic generi voluptatis inferret. Quemadmodum numerus adhibitus aliquid voluptatis affert? Eo modo sensum animum delectat, quo versus & carmen. Natura capitur modis. In numeris autem modus est quidã & concentus obscurus, tum ex cuiusque vocis accentu, tum ex meteruallorũ breuitate & longitudine. Quid opus verbis? Non est anxie discutiendum quemadmodum voluptate efficiat animum nostrum, quum omnibus qui hominis aliquid habent, suauem esse constet atq;

iucun-

iucundum. Quærendum potius, qua ratione componatur, & quibus rebus debeat accommodari. Sed horum alterum iam diximus, alterum postea dicemus. Interea de ambitu, in qua maxime rhytmus conspicitur, quot habeat partes, quantamque recipiat longitudinem, paribus an imparibus efficiatur particulis, quando maxime deceat, explicandæ nobis sententia est.

De ambitu.

Cap. XVI.

Ambitum Græci περίοδον, Latini aut circuitum, aut comprehensionem, aut continuationem, aut conuersionem, aut circunscriptionem appellitant. Nam quod huiusmodi circuncurrens oratio suum numeris explet orbem, & continuato cursu non ante requiescit, quam totum circuli spatium confecit, hæc eiusdem rei nomina multa susceptit. Describitur ab Aristotele hoc modo: Circuitus dictio est, quæ per se principium & finem & conspicuam habet magnitudinē. Duobus autem modis intelligitur. Oratio longiuscula, quamuis incomposita membris, ambitus aliquando nominatur, vt, Animaduerti Iudices, omnem accusatoris orationē in duas diuisam esse partes. Stetit soleatus prætor populi Romani, cum pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in littore. Sed hoc genus orationum diuidi potest, ac in plura incisa partiri: quam-

obrem tutius est affirmare circuitum duobus pluribusue constare particulis, nūc confusioribus, vt, Depressam, cæcam, iacentem domum pluris quam te, & quam fortunas tuas æstimasti. Nunc distinctioribus, vt, Antequam de Repub. P.C. dicam ea qua dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breuiter consilium & profectionis & reuersionis meæ. Est igitur breuissima comprehensio ex duabus partibus. Is enim profecto mortem attulit, qui caussa mortis fuit. Sunt interim membra paulo fusiora, vt hæc, Gratissimus in eius morte decoranda, cui nullam aliam gratiam referre iam possumus. & hæc, Ac de hac quidem diuina atque immortali laude Bruti silebo, quæ gratissima memoria omnium ciuium inclusa, nondum authoritate publica testata est. In hac oratione tria quidem membra sunt, sed ea in duo longiora cōflamus, propterea quod duo posteriora quasi fusa sunt in vnum. Quod in similibus faciendum censeo, ne minimas quasque totius corporis, sed maiores ac præcipuas numeremus partes. Cōponitur etiā periodus ex tribus membris. Etenim quum legatio ipsa mortis caussa fuisset, eius monumentum extare voluerunt, vt in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Miscentur aliquando partes, vt in his duabus orationibus: Cæteris autem, si errorem suum deposuerint, in Reip. gratiam redierint, veniam & impunitatē dandam puto. Hanc ego epistolā P.C. non quo illum dignum putarē, recitaui, sed vt confessionibus ipsius omnia patefacta eius par-

tici-

ricidia videretis. Pulchrior est ambitus ex partibus quatuor. Author est Cicero. Constat, inquit ille, ambitus & plena comprehensioe quatuor fere partibus, quæ membra dicimus, vt & aures impleat, & ne breuior sit quã satis sit, neq; longior. quanquã vtrumq; nonnunquam, vel potius sæpe, accidit, vt aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne breuitas aureis defraudasse videatur, neue longitudo obtudisse. Sed habeo mediocritatis rationem. Nec enim loquor de versu, & est liberior aliquanto oratio. Quatuor igitur quasi hexametrorum instar versuũ quod sit, constat fere plena comprehensio. hæc Cicero. Eiusmodi circuitus hoc sit exemplum. Si quantum in agris locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudicijs impudentia valeret, non minus in caussa cederet A. Cecinna Sexti Ebutij impudẽtiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ. Non vbique seruatur hæc longitudo. Nunc enim curtiora, nunc longiora membra componuntur. Curtiora sunt hæc: Quasi vero aut in iudicio posit idẽ improbitas, quod in vi imprudẽtia: aut in non eo libentius tũ audaciæ cesserim?, quo nũc impudẽtiæ facilius obsisteremus. Productiora quæ sequuntur: quæ fama non idcirco solũ emanarat, quod iste certe statuerat ac deliberauerat non adesse, verum etiã quod nemo quenquã tam audacem, tam amantem, tam impudentẽ fore arbitrabatur, qui tã nefarijs criminibus, tam multis testibus euictus, ora iudicũ aspicere, aut os suũ Populo Romano ostendere auderet. Sæpe comprehensio quin-

quinque partibus constat. Videte igitur quam inique accidat, quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi: quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non vindicari. Porrectior est hic ambitus ex totidem membris: Venit mihi in mentem M. Catonis hominis sapientissimi, qui quū seruute, non genere, populo Romano commendari putaret, quum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni & propagari vellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias, & maximis in laboribus vsq; ad summam senectutem summa tum gloria vixit. Procurrit ambitus in sex particulas. Nam quum hic Sex. Roscius esset Ameriæ, Titus alter iste Roscius Romæ, quum hic filius assiduus in prædijs esset, quumq; se voluntate patris rei famliari vitaq; rustica dedisset, iste autem frequens Romæ esset, occiditur ad balneas Palatinas rediens a cœna Sex. Roscius. Progreditur & longius, vt hic: Posteaquam victoria constituta est, ab armisq; recessimus, quum proscriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ij, qui aduersarij fuisse putabantur, erat ille Roma frequens, atque in foro, & in ore omnium quotidie versabatur, magis vt exultare victoria nobilium videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. Aliquando colligatur res in longam catenam, quod sicut historicis est familiare, ita non alienum oratoribus, vt M. Tullio. Quum autē hic derheda reiecta penula desiluisset, seq; acri animo defenderet, illi qui erant cum Clodio, gladijs eductis, par-

tim

tim recurrere ad rhedam, vt a tergo Milonem adorirentur: partim, quod hunc iam interfectum putarent, cædere incipiunt eius seruos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præsentes fuerunt, partim occisi sunt: partim quum ad rhedam pugnari viderent domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum esse etiam ex ipso Clodio audirent, fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis caussa, sed vt factum est) neq; imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quisq; seruos in tali re facere voluisset. Est igitur in circunscriptione varietas, quæ tum partiũ multitudine, tum dispari longitudine creatur. Eam qui commode interseret, in rerũ natura poscet, & suauiores explebit numeros, & tædium satietatis effugiet. Interim tam multæ periculæ, tot verba dissoluta, hoc est, ἀλυσιτελῆ, tot interpositiones veniũt in vnam continuationem, vt neque facile separari, neque distincte numerari queant. Quod quum accidet, illam minutarum rerum verborumq; congeriem in pauca referre membra expediet, vt ambitus partes modumq; tenere possis. Quicquid est tam fusum, tamq; multiplex, quia vix tandem capit finem, animum fatigat, & implet satietate: quamobrem suauitate numerosa caret, etiamsi pedes neque sunt inconditi, neq; dissipati. Vt in alijs rebus, sic & in orationis excursu modus est tenendus, vt ne breuior neve longior sit, quam qui aurium seueritate probari possit. Nimia breuitas, & rursum redundans effusio,

offen-

offendit audientem. Hic itaque dubitet aliquis, quod necesse sit concurrere pedes ad explendam circunscriptionem? Frustra profecto numerum quærat. Perficiunt interdum decem pedes, quod triginta coniuncti non efficiunt. Nec cur ita sit, quispiam rationem inuenit. Sensus est iudex, qui mutila ac redundantia deprehendit, moderata cognoscit, & aliud quod mediocre est, insito desiderio fertur. Exercendus est igitur in concinendis ambitibus oratorũ principum, vt longa consuetudine ducat habitum, & expedite parem tenere cursum possit. Exercendus in scribendo dicendoque multa, quorum mensura sit æquata periodis eloquentium virorum. Non omnes acerrimo sunt iudicio. Exercendæ sunt igitur aures vti musicorum, quo percipiant emenso spacio, vbi debeat extrema fieri percussio, & pulmo anhelans interspiratione recreari. Nulla sunt hac de re præcepta nullæ conditæ leges. In obseruatione & vsu positum est hoc negocium. Confirmat Quintilianus his verbis: Enimuero spacia ipsa, quæ in hac quidem parte plurimum valent, quod possunt nisi aurium habere iudicium? Cur alia paucioribus verbis satis plena, vel nimium, alia pluribus breuia & abscissa sunt? Cur in circunductionibus etiam quum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videatur? Vtitur ad hoc Ciceronis exemplo: Neminem vestrum ignorare arbitror Iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non esse, neque ad

iudi-

iudicium affuturum. Cur hoſce potius quam hos? Neque enim erat aſperum. Rationem fortaſſe non reddam, ſentiam eſſe melius. Cur non ſatis, ſit, ſermonem vulgi fuiſſe? Compoſitio enim patiebatur. Ignorabam, ſed ita, vt audio, hoc animus accepit, plenum ſine hac geminatione non eſſe. Ad ſenſum igitur referenda ſunt hæc ille. Cicero in Bruto: Nam & aures ipſæ quid plenum, quid inane ſit, iudicant, & ſpiritu quaſi neceſſitate aliqua comprehenſio terminatur: in quo non modo deſici, ſed etiam laborare turpe eſt. Omnes fere longitudines quæ iucunde cadunt in aurem, proditæ ſunt a poetis. Nec pares orationes ducere, peccatum eſt, ſi modo compoſitio poetica vitetur. Sunt orationes pares dimetris, vt, Minuebat vectigalia. Pares trimetris, vt, O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores. Pares tetrametris, vt, Si extitiſſet in rege fides, nihil ſapientius Poſthumo. Pares hendecaſyllabis, vt, Calceos & veſtimēta mutauit. Sunt ex duodecim ſyllabis, ſicuti aſclepiadei, vt, O cogitationes inanes meæ. Sunt æquales pentametris, vt, Publicam dilapidabat pecuniam. Sunt & æque longæ atque heroicus verſus cum elogo, vt, Fideſapientiaque veſtra fretus plus oneris ſuſtuli, quam ferre me poſſe intelligo. Quid moror? Nullum carmen eſt, cui non aliqua oratio ſolutapoſſit æquari, vel numero ſyllabarum, vel temporū quātitate. Heroici poetæ ſententiam vnam complectūtur aut hemiſtichio, aut integro verſu, aut verſu cū pede, aut verſu cū hemiſtichio, aut duobus verſibus, aut duobus verſibus cum

pede

pede, aut totidem cum hemistichio, aut tribus, aut pluribus. Quæ res aperte demonstrat non esse certum terminum finemq; comprehensionis, orationem extendi pro rerum magnitudine, & auriumiudicio. Quum senties in orationibus doctissimorum plures circuitus imperfectos esse atque suspensos, adiungito proximas partes, & continuato voce quod sequitur: nisi forte tam alienum sit, vt nihil omnino superiorum vim perficere videatur. Partes ambitus sunt incisiones & membra, de quibus ante mentionē fecimus: quæ vt varientur in circuitū, paucis quæstionibus agendum est. Quantos circuitus facere decet? Quantos subiecta res patitur, & spiritus indefessus sustinere potest. Nunc enim breuiores sunt, nunc longiores: vt exempla quæ paulo ante protulimus, ostendunt. Decetne æqualiter particulam cidere? an facere alias breuiores, alias longiores? Vtrunq; loco decet. Aequalitas in exacto numero pulchra est, sed & inæqualitas in illo non erit turpis. Cauendum tamen est, ne quum priora membra procera fuerint, posteriora attenuentur in angustū. Eiusmodi comprehensio excrescet in caput, ac cœptum nullo modo perficiet. Contra decebit posteriorū longitudo porrectior, quæ a capite mediocri iustum corpus extendet, & speciem modulationis hac ratione faciet auctiorem. Quando breuiores, & quando longiores trahentur? Quando res id postulabunt. Res breuis explicanda verbis est: quid opus est illam onerare verbis ocios is? aut dilatandi studio confundere sen-

sententias? Si tenue genus est, & paruum, quod facilitatem quærit, & vsitatum loquendi morem, quid est necesse contexere longas periodos ex membrorum prolixitate? Videndum quid res velit, & propositū dicendi genus tenendum est. Res est copiosa? Auge verba quibus exprimatur. Quod si genus aut suaue est, aut temperatum, aut fusum & historicum, facilli membra tractiora respondeant. Cur aliquando minora fiunt, aliquando vero grandiora? Rerum varietas, generis obseruatio, delectationis aucupium peperit hoc discrimen. Vtris partibus vtendum est? an incisis, an membris? Vtrisque miscenda est oratio. Nihil enim peius quam vnam & eandem tenere formam. Cæsim dixeris, constitues membra, post membra conclusionem. Nullum tædium gignet illa variandi iucunditas. Pluribus, an singulis partibus vtendum? Vtimur singulis quum cæsim membratim uel dicimus, pluribus quum duas plureſue particulas circunducimus in orbem. his & illis promiscue vtuntur oratores. Alia de vsu comprehensionis huc adijci possunt, sed opportunius aliquando dicentur. Veniendum est tandem ad figuras formasque dicendi. Exprimendus est ille character omnium difficilimus, vt planum fiat quæ cuique generi verba, quæ iunctura quæ concinnitas, qui numeri conueniant. Alioqui inutilia videntur ea verborum genera, quæ libro primo ad hunc vsum distinximus: & alia ornamenta quam potissimum vestiant orationem, incertum ac indefinitum relinquitur.

Tria genera eloquendi, qui characteres dicuntur.

CAP. XVII.

VEteres omnes ab Homero tria fecere genera dicendi, ἰσχνὸν, id est gracile: μέσον, mediũ: ἀδρὸν, plenum & copiosum. Gracili venustatem, medio suauitatem, vberi vim amplitudinemq; tribuerunt. Primum a Cicerone dicitur aut acutũ, aut tenue, aut enucleatum, aut subtile, aut pressum, aut callidum, aut summissum, aut humile, aut gracile. Alterum aut interiectum, aut intermediũ, aut suaue, aut temperatum, aut mediocre, aut aequabile. Aliud grandiloquũ, amplum, graue, vehemens, ardens, robustum, ardens, copiosum. Hanc tripertitam formarum diuisionem rerum ipsarum natura mõstrauit. Omnia quæ dicenda subijciuntur oratori, aut sublimia, aut humilia, aut intermedia sint necesse est. Vt id confirmetur, quod satis per se constat, nullo opus est demonstratione. Quum autem verba & eloquendi genera rebus aptari debeant, & elocutionem citra rerũ decorum cotemnat orator, tot stylorũ species esse, quot rerũ dicendarũ genera sunt, oportet. Præterea ratio sonorum quibus omnis accõmodatur actio, treis statuendos esse characteres aperte dicentibus ostendit. Nam quũ voces aliæ sint graues, aliæ acutæ, aliæ tẽperatæ, non deceat acria & acuta pronunciare summisse, summissa peracute, media vel abiecte vel elate. Nec enim sensus patitur voces a com-

compositione, compositionem a materia differre. Quamobrem summissionem vocū rerū tenuitatē, clamorī magnitudinem, mediocritati temperantiam accōmodauit ars eloquendi: & tot orationum, quot erant sonorū statuit figuras. Deinde videbātur inter oratores, qui non ita longe vulgus & rerum gracilitate, & verborum trita consuetudine superarent: & alij contra, qui dignitate sententiarum, & grauium maiestate verborum, communem dissertorum eloquentiam longo interuallo præcederent: & alij multi, qui medium quoddam tenerent iter, illis ornatiores, his autem summissiores. Ex quibus omnibus facile deprehēdi potest quot duce natura florerent omnino genera dicendi. Ad hæc, quum extrema duo certum & definitum cepissent locum media autem essent incerta & infinita, quumque genera pauca cōstitui oporteret, ad docendum nihil fuit neq; melius neque certius quā (vt sit in quantitate finita) sic facere duos fines, & medium: & quæ proxima finibus essent, ad fines referre: quæ medio vero, ad medium reducere. Posita sint ergo nobis tres figuræ formæ q; dicendi humilis, media, sublimis: & ad singulas exprimendas ex ordine sermo conferatur. Si prius fatu sece rimus ijs qui plures esse elocutionū species arbitrantur. Enumerant scriptionū mille formas, in quibus sunt epistolæ tam variæ, quam quæ tabellis cōmitti solent, panegyrici, laudationes, deliberationes, concliones, causæ iudiciariæ, annales, historiæ, fabulæ, apologi, apophthegmata, annotationes, cōmentarij,

interpretationes, artiū liberalium & illiberaliū descriptiones, comœdiæ, tragœdiæ, mimi, satyræ, bucolica, georgica, epigrammata, epitaphia, naniæ, elegi, argumenta, syluæ, odæ, heroica, & alia carmina generis diuersi. Contendunt tot tantasque res tribus illis figuris haud posse comprehendi, singulis earum propriam quandam rationem conuenire, qua quidem absente nomen suum retinere non possint. Confirmant esse totidem vel dicendi vel scribendi species, quot fuerunt aut sunt idonei scriptores. Omnes certe quidem probari, nec duos vnquam per omnia similes inueniri. Hæc si vera sunt, vt sunt, manifesto colligi plures esse characteres, quam vulgus imperitorum existimet. Verum quidem loquuntur, variæ esse materias, & carminibus, & orationibus, & neminem vnquam scribendo alteri cuiquam similem fuisse: sed hoc non efficit illam rerum multitudinem in tria genera cadere non posse. Innumerabilium rerum pauca genera sunt, vt aquarum fontes. Singulorum, vti scriptorum (partes imas intelligo) nulla conditur ars, quoniam ars est communium, vt generum atque formarum. Partes singulæ referuntur ad sensum, & norma communium diriguntur, hoc est notione generis & formæ iudicantur. Singulis scriptoribus aliquid est peculiare, quod non a disciplina, sed ab ingeniorum varietate proficiscitur. An idcirco innumerbilia stylorum genera persequemur? Nū quod ora hominum diuersa sunt, infinitas illorum species distinguimus? Num equorum? Num animantiū cæte-

cæterorum? Illa quæ dicuntur συμβεβηκότα, speciem non immutant. Quod si poetarum materiæ & ornamenta plurimum differunt, si oratio soluta in rebus & verbis multas habet facies, fateamur esse multas species scriptionum, quæ ex trium generum cognitione, quid habeant commune, quid autem proprium, usu & exercitatione patefiunt. Si omnia mãdentur arti, nullus erit scribendi discendiq; modus. In artem redigantur illa, vnde cætera minimo negocio intelligi iudicariq; possint.

De humili stylo.

CAP. XVIII.

PRimum videndum quod sit gracile & tenue filũ orationis. Et quoniam oratio constat rebus & & verbis, & primas habent subiectæ res, sine quibus inanis est & inutilis verborum compositio, dicendum principio quæ sententiæ humili ornatu vestiantur abijs qui non omnia eodem modo subtiliter, sed grandia elate, media temperate, parua tenuiter dicunt. Qui perpetuo terit vnam eandemque viam, & in vno genere gracili versatur, non est is contemnendus orator, non magis quam Lysias scriptor subtilis, & alij permulti: sed maior est ille qui se in rerum formas dicendo transmutare potest, & sententijs imparibus imparem ornatum circundare. Gracili filo texuntur partitiones, vt hæc, Ostendam primo causã nõ fuisse cur a prætore postulares vt bona P.

Quintij possideres, deinde ex edicto te possidere non potuisse, postremo non possedisse. Eadem textura definitiones aut descriptiones, vt quæ sequuntur: Nonne, si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? Necesse est, inquam si ad verbum rem volumus attingere, neminem statu detrusum, qui non adhibita vi, manu demotus, & actus præceps intelligatur. Delectus vero qui potest esse quisquam, nisi in inferiorem locum de superiore motus? Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, vt non maior timor oriatur? Descriptionibus adde expositiones earum, qualis est hæc: Maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Huc refer interpretationes edictorum, testimoniorum, legum, epistolarum, & id genus rerum. Ad eandem tenuitatem referuntur distinctiones, vt ea quam adscripsimus. Aliud est iudicium, aliud est arbitrium. Iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudicium hoc modo venimus, vt totum tē aut obtineamus, aut amittamus. Ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum quantum postulauimus, consequamur. Eodem ornatu vestiuntur colloquia, & leuium rerum narrationes. Age vero, quæ erat aut qualis quæstio? Heus vbi Ruscio? vbi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit: Certa crux. Nullas fecit: Sperata libertas. Quid hac quæstione certius? Illud colloquium,

hac

hæc rei leuioris narratio. Milo autem quum in senatu fuisset eo die quo ad senatus dimissus est, domum venit, calces & vestimenta mutauit. Paulisper dum se vxor (vt fit) comparat, commoratus est. In leuibus narrationibus fere sunt ea, quæ iocantur. Quum autem ver esse cœperat (cuius initium iste non a Fauonio, neque ab aliquo astro notabat, sed quum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur) dabat se labori, atque itineribus, in quibus vsque eo se præbebat patientem, atque impigrum, vt eum nemo vnquam in equo sedentem videret. Nam (vt mos fuit Bithyniæ regibus) lectica octoforo ferebatur, in qua puluinus erat perlucidus Melitensi rosa farctus. Ipse autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi apponebat tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. Narrationes eius rei in qua maxime caussa versatur, quæ res nisi aperte demonstrata fuerit, officiet caussæ vel plurimum, a Cicerone oratione tenui solent explicari: vt prima narratio pro Sexto Roscio. Quas igitur numerauimus partitiones, definitiones, descriptiones, distinctiones, narrationes, confabulationes personarum, ideo potius gracilitate gaudent, quod nihil aliud volunt, quam pure & dilucide & vsitato sermone monstrari. In quo genere sunt argumenta subtilia, quæ acute colligunt, clamores & tragœdias nō excitant. Quid stultius esset illo, qui relicto probandi more longam & subtilem argumentationis continuationem grandi vestiret

oratione? Id neque dialectici veri, neque eloquentiæ principes committunt, vt acumen disserendi, & rationum abstrusam minutamque naturam, lenocinio verborum molliant, & carnem candidam malint quam neruos & ossa. Pugnant acriter, & ubi statu more disputandi non recedunt, vt hic Cicero: Patrem occidit Sextus Roscius. qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta? vetus videlicet sicarius? homo audax, & sæpe in cæde versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem auditis. &c. Nihil refert confirmationem an refutationem intelligas, si modo teneas alias argumentationes fieri magis ad probandum, alias autem ad mouendum: illas esse tenues, has vero graues & ardentes. Ne quis autem putet esse dissentaneum & absurdum, in caussa graui atque sublimi partes inueniri humiles & leues, id efficit earum rerum quæ dicuntur, impar & inæqualis ratio, quæ subinde stylum mutaret, si aut ars, aut artis optimus imitator haberet orationem. Quod si Trapezuntius intellexisset, nunquam pronunciasset, omnes M. Tullij dictiones arduas ac sublimes videri. Sunt enim caussæ totæ graciles, vt pro Quintio de societate, pro Cecinna de fundo, pro Roscio Comœdo de debito. Venerant in quæstionem paruæ res, & indignæ summis eloquentiæ viribus. Quum fama & caput saluum est, res familiaris aliqua ex parte venit in discrimen, multo magis decet callide & emuncte dicere, quam tonitrua Periclis in re leui concitare.

citare. In omni oratione quædam figuræ sunt, quæ multo melius tenuiter ac presse dicuntur, quam grauiter & elate, vt extenuatio sui: Verum ita se res habet, vt ego, qui neque vsu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer. Extenuatio alterius ridicula: Non quo ei deesset ingeniū, nam neque parum facetus scurra Sextus Næuius, neque inhumanus præco est vnquam existimatus. Dissimulatio sine amarore: Sæpe (vt fit) quum ipse te confirmasses, quum statuisses de pecunia mentionem facere, quum paratus meditatusque venisses, homo timidus virginali verecundia subito ipse te retinebas excidebat repente oratio: quum cuperes appellare, non audebas, ne inuitus audiret. Id erat profecto. Ridet Næuium impudentem. Subiectio: Appellandi tempus non erat? at tecū anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at in prouincia ius dicebatur, & Romæ iudicia fiebant. Interrogationes minutæ, non illæ graues atque acerbæ. Quid enim nunc agit Sextus Næuius? qua de re controuersia est? quod est hoc iudicium, in quo iam biennium versamur? quid negotij gerit, in quo ille tot & tales viros defatigat? Summissæ altercationes: Pecuniam petit. Nunc denique? Veruntamen petit? audiamus. De rationibus & controuersiis societatis vult dijudicari? Sero. verum aliquando tamen, concedamus. Transitus ad docilitatem comparatus: Docui quod primum pollicitus sum C. Aquili, causſam omnino cur postularet, non fuisse, quod neque pecunia debebatur: & si ma-

xime deberetur, commissum nihil esse quare ad istam rationem peruentretur. Attende nunc ex edicto prætoris bona P. Quintij possidere nullo modo potuisse. Attentionis petitio: Quod abs te C. Aquili, & a vobis qui adestis in consilio, quæso vt diligenter attendatis. Iocus: O hominem fortunatum, qui eiusmodi nuncios, seu potius pegasos habeat. Acuta ac tenues fere sunt dicacitates & facetiæ. Fictiones leuium personarum, vt fratris Clodiæ: Quid tumultuaris soror? quid insanis? quid clamore exorsa & verbis paruam rem magnam facis? Vicinum adolescentulum aspexisti, candor huius te, & proceritas, vultus oculique perpulerunt. Sæpius videre voluisti, fuisti nonnunquam in ijsdem hortis visa nobilis mulier. Illum filium familias patre parco ac tenacibus tuis copijs deuinctum non potes. E Ciceronis mitoquæ sequuntur. Ingressus ad parandum: Atque vt facilius intelligere possitis Iudices ea quæ facta sunt, indigniora esse, quam hæc quæ dicimus, ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus. Distributio, Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstent hoc tempore Sexto Roscio, crimen, aduersariorum & potentia, & audacia. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit, audaciæ partes Roscij sibi poposcerunt: Chrysogonus autem is, qui plurimū potest, potentia pugnat. Blanda reprehensio: Quæso Eruci, vt hoc in bonam partem accipias, non enim exprobrandi caussa, sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, vt

patre

patre certo nascerere, ex quo intelligere posses qui animus patrius in liberos esset, at natura certe dedit, vt humanitatis non parũ haberes. Significatio leuitatis: Nam illa opinor tu quoque concedis leuia esse atque inepta: Conuiuia cum patre non imbat, quippe qui ne in oppidum quidem nisi perraro ventret. Domum suam istum non fere quisquam vocabat. Nec mirum, qui neque in vrbe viueret, neque rure vocaturus esset. Verum hæc quoque tu intelligis esse nugatoria. Secura concessio. Esto, causſam proferre nõ potes: tamen si statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam, & tibi quod in alia causſa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. Vereor ne in numerandis tam multis figuris sim molestus. Ex his quas diximus, alias generis eiusdem intelligere promptum est. Quidquid humile est ita, vt neque dignitate sententiæ præcellat, neque compositam & ornatam elocutionem magnopere desideret, neque clamores velit, neque vehementes impetus, sed sit fere e sermone populari, & ea ratione tum sentiendi, tum loquendi, quam videmus in grauioribus comœdijs: in eam formam de qua nunc agitur, optimo iure includendum puto. si tota causſa proposita sit eiusmodi, vt de finibus regendis, de stillicidijs, de seruitute prædiorum, tota subtiliter agenda. si pars a parte dissentiat, aliter exponenda. Vnacum re verba & figura & compositio crescunt.

De elo-

De elocutione tenui.

CAP. XIX.

SVmmissus orator consuetudinem imitatur, & ab indisertis re plus quam opinione differt. Illi sermo purus est, & emendatus, non ita fœdus & enormis, vt ad barbarismum solœcismumque deueniat. Est enim flatigitium quoddam barbare loqui, & indignum viro liberaliter instituto. Quod qui affectant, vt quasi familiares esse videantur, ex oratorum numero sua se volũtate eximunt. Ex illis verborum generibus, quæ priore libro in ordines descripsimus, vt quum opus esset, in vsum vocarentur, assumit Latina, quoniam frustra petuntur ornamenta prodigiosæ linguæ, quæ primis ingressibus omnium disciplinarum sit exclusa. Assumit humilia multa, nempe quibus ad explicandam rem tenuem in hominum cœtu citra deformitatem possit vti. Vrbani esse debent, & ingenui moris, non illius rusticanæ vastitatis, quæ ab humanitate semota est. Deligit pudica, nitida, vsitata, propria. Priscis & nouis vtitur raro. Illa ad grandiloquentiam, hæc ad suauitatem potius accommodantur. Sæpius exilia quam sonantia, paruaquam grandia, volubilia quam tarda, lenia quam aspera inducit. Nunc integris, nunc concisis agit, vt vsitata loquendi consuetudo persuadet. Id quo facilius rudes intelligant, agemus exemplo. Operæprecium erat, si animaduertistis Iudices, negligentiã eius in accusando cõsiderare. Credo quũ vidis-

set

set qui homines in hisce subsellijs sederent, quæ fuisse, num ille aut ille defensurus esset: de me ne suspicatũ quidẽ, quod ante ea causam publicam nullã dixerim. Postquam inuenit neminem eorum qui possunt & solent, ita negligens esse cœpit, vt quum in mentem veniret ei, resideret, deinde spaciaretur, nonnunquã etiam puerum vocaret, credo cui cœnam imperaret, prorsus vt vestro consessu & hoc conuentu pro summa solitudine abuteretur. Audis hic puram & inaffectatam loquendi consuetudinem, sermone populi tersiorem, summa grauitate multo summissiorem, verba nec impudica, nec sordida, nec inusitata, nec impropria, nec strepentia grauiter, nec incedentia superbe, nec tarde repentia, nec concurrentia aspere. Humilia quædam, vt hæc, Nonnunquam etiam puerum vocaret, credo cui cœnam imperaret. Reliqua de medio sumpta, quæ omni dicendi forma, sed aliter & aliter composita, & figuris, & grauioribus verbis ornata conueniant. Tenuis orator (inquit Cicero) modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, & in transferendis verecundus & parcus: & in prisc̃is reliquiq; ornamentis & verborum & sententiarum demissior, translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis vtitur, non modo vrbanorum, sed etiam rusticorum. Idem paulo post: Vtatur verbis quam vsitatissimis, translationibus quam mollissimis. Habitũ verborum delectu, qua ratione iungat illa: dicendum est. Ne tantum laboret in coagmentatione, quantum solent ij, qui molliter velut

per

per æquabile ſpacium ferũtur. Si forte compoſitio lenis occurrit, cur illam recuſet oblatam, non video. Si milla (quod frequenter accidit) remoratur abire cupientem, partem componit, partem coagmentare negligit. Duæ pluresue hiant vocales, aliquot etiam conſonantes rixantur horride: ferat, ſi modo ſententia bona ſit, & illi propria atque dilucida verba reſpondeant. Non eiuſmodi compoſitionis Ciceronem puduit: Simul atque ego in Siciliam veni, mutatus eſt. Venerat ad eum illo biduo Letilius quidam, homo non alienus a literis. Itaque eo iſte tabellario ſemper vſus eſt. Is epiſtolas complures attulerat. In his vnam domo, quæ totum immutaret hominem. Repente cœpit dicere ſe omnia Verris cauſſa velle, ſibi cum eo amicitiam cognationemque eſſe. Videt vt in hoc ſermone frequens ſit hiatus e concurſu vocalium, vt paulo poſt aſpera commiſſura conſonantium. Erant qui putarent Letilium legatum a Verre veniſſe, qui gratiam, amicitiam, cognationemque commemoraret. Sint breues periodi, ſi non ſemper, plerunq; tamẽ: mẽbra parua, numerus tenuis, vt qui ſit ex iambo frequẽte, ex pyrrhichio, choreo, trochæo. Non intelligo hos ſolum congredi pedes (omnes enim reperiuntur in tenuitate dicendi) ſed cæteris grauioribus multo frequentiores eſſe, vt in hac oratione. Si me villicus tuus ſolus deiecciſſet, nõ familia deiecciſſet vt opinor. ſed aliquis de familia. Recte igitur dicerestereſtituiſſe? Quid enim facilius eſt, quã probare ijs qui Latine ſciant, in vno ſeruulo familæ nomen non valet-

valere? Si vero ne habeas quidem seruum, præter eū qui me deiecerit, clames videlicet: si habeo familiā, a familia mea fateor te esse deiectum. In gracili figura (quoniam linguæ quotidianæ finitima est atque proxima subtilitas) non circunducuntur in pompam numerosæ comprehensiones, nec grandia membrorum corpora funduntur, nec frequentantur ampliores numeri qui plena modulatione sensum demulceant. tantum compositio superat attritum Latine loquentium morem, & paulo ornatius atque lautius accipit audientes. Assuescendum igitur optimo generi sermonis, & lingua sic vtendum iam sub præceptoribus, vt Latine, pure, proprie, dilucide, composite loquaris. Quū sermo fuerit incorruptus & propriis, vt illorū qui & expedite & eleganter confabulantur, ad exprimendum characterem humilem, parū admodum laborandum est. Inueniendæ sunt multæ & acutæ sententiæ, quales edunt prudentes & exercitati, ne leuitate rerum oratio tota eleuetur. De medio verba sumenda sunt, ac diligentius paulo metiēda quam in familiariū sermone. Quicquid exturgescit, quicquid ampullosum est & affectatū, quod priscū & inusitatum, quod audacter nouatum, quod audacti figura modificatum, quod insolens, quod nimiū graue, quod effœminatum & elumbe, quod dissimulasse, quod obscurum & abditum, quod infinitum immensumque, hoc est, nimia tractum circūductione, fugiendum est. Illum dicendi purissimum candorē multis in locis habuit eloquentiæ Latinæ princeps,

habuit

habuit & Cæsar in hac parte (meo iudicio) Ciceroni vel æquandus, vel præferendus. De viribus eloquentiæ non dico, de linguæ proprietate, & recta quadam venustate loquor, in qua vel iudice Tullio summus fuit Cæsar. Hoc genere floruit temporibus nostris Desiderius Erasmus, cuius opera multa sunt acute subtiliterque conscripta, pauca vero senilia, quæ ex industria deiecit infra dignitatem purę & candidæ tenuitatis. Apud eum copiosus & enucleatus est sermo, sententiæ crebræ ac minutæ, ioci multi, nec ingrati sales: verba bona atque vsitata: figuræ plurimæ, nec abhorrentes ab vsu frequenti. Ambitus ita contracti, vt spiritum maiorem non desiderent. Numerus sæpe nullus, sæpe præssus ac venustus. Omnia quæ suscepit, docet, & dilucidiora non amplior facit. Laudabilia sunt hæc omnia in oratore, cui statutum est, humilem, sed tutam dicendi rationem consectari. In acutis oratoribus alij fuerunt impoliti, vt Lysias quum scriberet orationes quas haberent pro se rudes & illiterati. Alij (cum Cicerone dicam) in eadem ieiunitate concinniores, id est faceti, florentes etiam & leuiter ornati, qui in hoc solum genere versabantur. Alij qui nihil cedebant his elegantia, & quum vellent, aut medium genus, aut supremum facile rapiebant: quorum facultas eloquendi, quia maior est, & rerum varietati decentior, ingenuis animis potius capessenda est. Opus est imitatione, quæ quod præceptis deest, implet: & quod habent præcepta, confirmat. Quos tibi proposueris imitandos, ab

ab vna aut altera sententia non iudicabis aut enucleate, aut temperate, aut grauiter egisse: tua te ratio falleret: a toto corpore, vel a tota parte iudicanda est forma dicendi. An ideo Vergilium tenuiter cecinisse bucolica dices, quod versiculus est tenuis,

Fronde super viridi sunt nobis mitia poma?

Haud quaquam, sed illorum bonam partem humili materia & elocutione confecit. Interiecit aliquando optimos versus, qui in canenda heroum maiestate non dedeceant. Nolo igitur leonem æstimes ab vnguibus. Perpende quantum sit earum rerum de quibus agitur, pondus, sint ne graues, an leues. vide quam verba sint quæsita: an sumpta de sermone vulgari, an longius altiusue ad ornatum petita. Contemplare qui sit habitus figurarum, sint ne quotidianæ formæ, an rarae & eximiæ. Considera quæ ratio componendi, an contexta sit firma coagmentatione, & numeris expleta, an vero dehiscat iunctura, & subinde numerus abrumpatur. Hoc modo facile cognoscès in quo genere collocanda sit omnis oratio. Sed & nos iuuandi gratia referamus ad exilem tenuitatem quæ repunt humi, non oratoria quidem sed vel soluta, vel poetica. Sic enim planius fiet quale sit delineamentum macilentæ figuræ. Ad hanc formam pertinent epistolæ familiares, quæ aliquam modo artem limamque subierunt. Sunt enim tres species epistolarum. Aliæ de rebus magnis & grauibus agunt ornate & copiose, & ab orandi facultate, quas possunt, accipiunt vires, eoque dignitatis attol-

luntur, vt ad hunc quasi plebeium ordinem referri non debeant. Aliæ sunt tam viles & abiectæ, vt nullo ordine censeantur. Aliæ cultæ & elegantes, tenues tamen & expressæ, quæ in elegantium postremo loco sederunt, quippe quæ non alio conduntur artificio, quam leuiores causſæ, & controuersiæ minores. His adde rerum gestarum narrationes, non omnes quidem, sed quæ recte & nude quod volunt persequuntur, quales sunt commentarij Cæsaris. Alij commentarij, cuiusmodi fuere M. Varronis, & antiquorum, quibus exponebantur elegantiæ ac opes linguæ Latinæ, simplices erant & faciles, quod adhuc fragmenta demonstrant: & nouissimo ordine contenti, non aucupabantur pueriles delicias, & voluptates illas effœminatas, quibus exarserunt posteri. Relinquiā illam floridam suauitatem Gellijs, Ausonijs, Politianis, Rhodiginis, Beroaldis, Crinitis, & id genus scriptoribus, qui ante quam ad rem ventant, quantū possint in arte dicendi in pompa ac prolusione ostentant, & inani digladiatione morantur indoctos. Malim veterum cōpositionem masculam & frugiferā, quamuis aliquando tenuem, quam istorum bellas petitiones, & artificiosam, sed sæpe inutilem palæstrā. Qui verecundiore fuerunt ingenio, vt Donatus & Seruius, atque interpretes multi, eas ediderunt annotationes, & ea commentaria, quæ summisse narrarēt quam haberent ipsi de verbis & rebus alienis sententiam. Stylus ille mea sententia decet interpretem, rhetoricanē venustior æqualitas, & oratio paulo cō

post.

positior, vt quæ vel medium attingit, vel mediocritati quam extremæ gracilitati propior est. Ex poematis gracilia sunt Bucolica, Comœdiæ, Mimi, Epigrammata de rebus minutis. Ampliora quædam par est assurgere, odæ quæcunque canunt amores, molles risus, blandas voluptates, conuiuia, iocos, lususque iuuentutis. Quibus est materia grauior, vt deus, vt diui, vt heroes, vt pugiles victores, vt certamina, si rebus æquari volunt, tantum debent assurgere, quantum rebus ipsis dignitatis accrescit. Lyricis carminibus iuueniliter lasciuientibus addantur elegi, & vna cum illis in extremis ordinibus sedeant. Item epistolæ amatoriæ, cuiusmodi scripsit Ouidius Naso, Sylua depressioris argumenti, Satyræ magna ex parte, quamuis in illis mira sit inæqualitas. Ad hæc batrachomyomachiæ, culices, mulæ gallicæ, hortuli, & siqua sunt opuscula iocosa quidem, sed non indigna quæ legantur, vix eam de qua loquimur, excedunt gracilitatem, etiamsi verborum magnitudine nonnunquã tumescũt. Nec heroici, nec tragici poetæ semper alta capiũt sublimes. Homerus aliquando repit, vt quũ facit inuentem membra Telemachũ: & Euripides in colloquio viliũ personarum, comico sæpe similis est. Est quũ boni poetæ res humiles, at solertes, vt apes, exornant honore verborum: quod quũ accidit, ad mediam prope dignitatem character assurgit. Sæpenumero audio qui dicant in Virgilianis carminibus nullũ se reperire discrimen, omnia graue quiddã sonare, bonis verbis sichematisque varijs scatere,

in omnibus autorem eodem conatu laborasse. Isti mihi non videntur habere neque sensum, neque rationem, qui de rebus ac vocibus tam absurdum ferunt iudicium. In Aeneide sunt descriptiones locorum, temporum, personarum, conuiuiorum, ludorum, praliorum, magnifici appartus, euentus acerbi, orationes Iouis & numinum, legationes, conciones, querelæ, consolationes. quid quæso tale tantumque in agricultura, aut in humilitate pastorali? Vter est sublimior? an qui rusticorum sermones refert, an qui deorum, heroum, magistratuum, rerumque maximarum decora alta perspicit & obseruat? In Aeneide verba splendida, translata, figuris innouata, longe petita, sublimia, ornata scite contexta, sonantia, & (in summa dicam) tantum exultis ingenijs, & totius humanæ vitæ peritis familiaria. In Aeglogis quid est quod opilio non intelligat, præter illa pauca quæ poetæ sibi indulgent vel vt a doctis legantur, vel vt veterum morem referant, vel vt seruent temporum decorum? Constat enim rem pastoralem quondam in honore maximo fuisse, & in ea versatos esse viros egregios, qui non ignorarent scientiam naturæ: qua ratione motus Virgilius (vt mihi videtur) intexuit non exposuit multa quæ Physici disputata suis libris reliquerunt. Sunt hæc maiora vulgo rusticorum, quod significat hoc versiculo Maro,

Sicelides Musæ paulo maiora canamus.

Quamobrem vt rara sunt, non officiunt artem pecuariam eo maiestatis ascendere, quo heroicæ gravi-

tatis

tatis amplitudo peruenit. Errant igitur qui per ignorantiam sic iudicant. Errant etiam versificatores illi, qui omnia canunt eodem modo, & quantum possunt, tantum vbique conantur, & idcirco existimant falso pari virtute summos niti poetas. Quæ sit cuiusque generis proprietas, hic dicerem si de arte poetica scribere statuissem: sed aliud est propositum negocium: quapropter ad mediam eloquendi formam venio.

De media figura.

Cap. xx.

Quæ temperatæ mediæque elocutioni materiæ supponatur, quæ verba, & qua species cōpositionis deceat illam materiā, paucis exponemus deinceps, & si fuerit opus, ad eam rem vtemur exemplis. In hoc genere sunt aut totæ controuersiæ, aut membra causarum. De partibus primum loquamur, quibus cognitis difficile non erit de causa tota iudicare. Exordium, quo dicenti conciliantur auditores, nec concitatum & ardens esse vult, ne bacchari videatur inter sobrios: nec contra languidum ac frigidum & iacens, ne statim initio auertat illos, quorum mentes admouere causæ debuerat. Amat igitur quietū & temperatum, sed elegans & compositum dicendi genus. Quod si non ostentat suas opes, quoniam illud principio sit odiosum, attamen vt sit aliquid quo moueantur animi, sententias bonas exornat occul-

tius, & verecunda moderatione sibi quærit auctoritatem. Id esse verum demonstrant exordia Ciceronis, quæ si non omnia cadunt in eandem formam (nam sunt alia verecundiora, vt pro Sexto Roscio: alia audentiora, vt in Verrem: alia solicita magis, vt pro Milone, & pro Cluentio: alia secura, vt pro Cecinna: alia alio modo composita) tamen nullum est in omnibus, si iustam magnitudinē seruat, quod non gracilitate maiorem præ se ferat dignitatē. Nec si confirmat idem totas sibi causas subtiles & tenues fuisse, propterea existimandum est omnia ab illo subtiliter esse dicta, id pro dignitate fieri non potuit, sed multo maiorem partem cōtroversiæ humili ornatu fuisse contentam. Nam principiū orationis pro Cecinna multo numerosius est, quā pro eodē argumentatio quumq; medium non sit in hac arte punctum, quod pari interuallo distet ab extremis, sed longe pateat oratorum medium: quod diximus principiis; medio vero quam termino demisso propius est. Quamobrem ad illud genus esse referendū videtur. Non ignoro proœmia maiorum causarum longis ambitibus expleri solere, & ad grandiorem quandam eloquentiam perduci: sed liceat mihi quæ medio proxima sunt, aut non ita certe procul absunt, ad mediū referre. In exordijs optimos quosque plurimum niti, argumento sunt illorū præfationes, qui cogitationes suas monumento literarum tradiderunt. Si qua pars operis apud illos culta & expolita suū ostendit artificem, illa vel maxime ostendit. Nemo est fere qui nes-

neſciat malum eſſe gubernatorem, qui ſtatim impegit in portu. An non impingit ille, qui principio quietas aures procella horridulæ orationis offendit? Id ne quiſpiam committat, Cicero præcipit in Oratore, vt ſummus orator veſtibula honeſta, adituſque ad cauſam faciat illuſtres. Ne moueat illud, In principia non venire pulcherrimos ornatus, qui locis communibus adhibentur. Non efficit vt ſint humiles ingreſſus, ſed quodammodo frugi, & verecundi. Non deſunt tamen initia quæ ex abrupto incipiant, & grauiſſime commoueant aduerſarium: vt Ciceronis illud in Catilinam: Quouſque tandem patientia noſtra abutere Catilina? Pertinent hæc ad ſublime genus, in quo ſummas eloquentiæ vires effundit orator. Summiſſiora in ordine ſecundo ponuntur, non omnia quidem perſimilia, ſed interuallo modico ſegregata. Sunt quidam aditus perangusti, ideoque humiles appellandi: quos ſi quis inter proœmia conſtituit, longe extendit proœmij nomen. Sunt autem huiuſmodi: Antequam de Republica P. C. dicam ea quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breuiter conſilium & profectionis & reuerſionis meæ. Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur P. C. de Appia via & de moneta conſul, de Lupercis tribuni plebis referunt. In hoc genere fere ſunt illa paruæ exordia, quæ in mediis cauſis perſæpe reperiuntur. Non enim ſunt ad alliciendos animos, ne abhorreant a cauſa, ſed ad diſtinguendas partes orationis, & ad colligendos ſenſus,

vt remissa attentione cætera patientius exaudiant. In media suauitate sunt & multæ narrationes, vt quæ plus dignitatis desiderent, quã doloris. Est enim quum vel personam, vt egregium, virum, vel rem, vt locum, vrbem, situm, regionem, præclare facta dictaue exornare exponendo contendat orator. Non abiicit orationem, ne rerum dignitati multum detrahat humilitas. Non mouet tonitrua & tempestates acerbæ dictionis, quia non ea res ad dicendum proposita est, quæ concitare velit asperas amplificationes, & tragœdiarum quærelas. Ornatum quærit & suauitatem, cui mirum in modum quadrat æquabilis & profluens oratio, qualis est hæc: Fuit apud Segestanos ex ære simulachrum Dianæ, tum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opera artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem, locum tantum hominesque mutarat: religionem quidem pristinam conseruabat. Nam propter maximam pulchritudinem, etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, videbatur. Aliquot seculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit; qua in victoria (videre hominis virtutem & diligentiam) vt & domesticis præclarissimæ virtutis exemplis gaudeatis, & eo maiore odio dignam istius incredibilem audaciam iudicetis, conuocatis Siculis omnibus, quod diutissime sæpissimeque Siciliam vexatam a Carthaginensibus nouerat, iubet omnia conquiri, sibi pollicetur magnæ curæ fore, vt omnia ciuitatibus quæ cuiusquam fuissent, restituerentur.

Pluri-

Plurimæ sunt aliæ apud autorem eundem, in quibus viua medij generis imago expressa est. Eas autem facile cognoscet, qui non modo rem de qua agitur, cuius sit dignitatis, sed etiam numerosum & affluës eloquendi genus explorabit. Aliæ sunt expositiones, quæ sine graui moturem aliquam inculcant iudicibus, quæ si non fuerit intellecta, nec causa bene agi, nec argumentationes institui poterunt. Illa referimus ad tenuem formam, propterea quod maxime docere volũt, non animos permouere affectibus, quod est summæ grauitatis: non delenire voluptate, quod propriũ est temperatæ elocutionis. Dissentire Quintilianus videtur. Sic enim ait quarto libro Institutionum, Ego vero (neque enim dissimulabo iudicium meum) quanquam id quod sum dicturus, exemplis magis quam præceptis vllis cõtinetur, narrationem, vt si vllam partem orationis, omni qua potest gratia & venere exornandam puto. Non dissentit autem. Est in Cæsare gratia & venustas, est in Terentio multa, etiam in narratione, vt quum facit exponentem Simonem Pamphili vitam. Vterque tamen in imo genere versatur. Sunt & subtilitati suæ venustates. Ergo idem in nono sic iudicat: Membratim plerunque narrabimus, aut ipsas periodos maioribus interuallis, & velut laxioribus nodis resoluemus, exceptis quæ non docendi gratia, sed ornandi narrantur, vt in Verrem Proserpinæ raptus.

Quid narrare membratim, aut periodos resoluere, nisi suaue & tractũ dicendi genus in summissius

magiq; familiare deducere? Quod si quis opinatur eum in alia sententia fuisse, & illi suffragatur, licet quidem per me: aliter tamen dixisse Ciceronẽ comperiet etiam in causis publicis, siquando maxime cuperet docere iudices, quid esset in controuersia. Itaque narrationes aliæ sunt graciles & pressæ, aliæ graues & atroces, aliæ vberes & affluentes. harum discrimina fecere primum materiæ diuersæ, deinde rerum varietatem induit ornatu vario eloquentia decorum. In confirmationem & refutationem, cui sepius acuta subtilitas adhibetur, etiam cadit res character medio signanda, vt quum officia demonstrat orator, quum spaciatur in loco communi, & auditoribus subministrat voluptatem, quum testem, aut litigatorem, aut amicũ magnifice commendat, quum laudat illustres personas, & egregia facta, quum dat autoritatem aduocatis, quum gratulatur alicui, quum extollit veterũ instituta, quum mitigat iram vel iudicium, vel aliorum, quum argumentationes munit sententiarum dignitate, quum asseuerationibus dicta roborat, quum honesta præfatione inducit alioquin acerba & amara dicta, quum describit aliquid non vt historicus, sed vt exornator earum rerum, quæ causam faciunt ampliorem, quando similitudines confert ad ornandum magis quam ad probandum, quum illustrat exempla rerum gestarum, quum deprecatur addito colore, quum pulchru ordine verborum tegit rerum deformitatem: in summa dicam, quotiescunque res vtilius est aut decentius,

aqua-

æquabiliter, temperate, ornate, copiose, suauiter dici: intermedio generi materia reperta est. Hæc omnia patefacerem exemplis, nisi me molesta prolixitas retardaret. facile est a Cicerone excipere. Refertæ sunt orationes eius omnium rerum varietate, nec sinunt alumnum suum esurire exemplorum inopia. Quod, inquit, in accusationis septem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? quod in plurimis nostris defensionibus? Quæ exempla selegissem, nisi vel nota arbitrarer, vel posse eligere qui quæreret. Nulla est enim vllo in genere laus orationis, cuius in nostris orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Hæc figura totas fere delineauit orationes, vt pro lege Manilia, pro M. Marcello, pro Sulpitio in legatione mortuo, ex quibus quantum voles exemplorum, tantũ licebit excerpere. Habes encomia, laudationes, panegyricos, orationum partes præter leues iocos ad delectationem comparatas: quæ omnia tametsi nonnihil differunt, vt parciore & abundantiore cultu, tamen in vnam prope formã tendunt omnia. Habes sententias graues dictas in Senatu, habes perorationes non illas dico lugubres miserabilesq;, non ardentes accusatoris incendio, sed quæ voce moderata dignitate quadam propositum conficiunt, vt, Non debeo C. Cæsar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare quonam modo dicendo misericordiam tuã commouere possim. Nihil opus est. Occurrere ipsa solet supplicibus & calamitosis, nullius oratione euocata.

Propo-

Propone tibi duos reges, & id animo contemplare, quod oculis non potes: dabis profecto misericordiæ, quo iracundiæ negauisti. Multa sunt clementiæ tuæ monumenta, sed maximæ eorū incolumitates, quibus salutem dedisti. Quæ res mediam quærant vbertatem, satis dictum puto. Quibus verbis & quo genere componendi debeant exprimi, tandem mihi dicendum est. Verba legantur honesta, vrbana, vsitata, grauia, sonantia, grandia, volubilia, lenia. In illis quædam antiqua, & noua quædam, plura tamen maxime propria, quorum omnium rationes superiore libro copiose diximus. Schemata quædam pulcherrima (nisi quando verecundius & summissius agitur, vt in exordijs frequenter) adsciscantur. Sint crebræ translationes, quibus nihil est iucundius, nisi quū longius petuntur. Frequētetur hypallage, & allegoria, & (vt cū Cicerone dicam) ex cōtrarijs sumpta verbis, crebra crebris, paria paribus respondeāt: relataque ad idem verbum, & geminata, atque duplicata, vel etiam sæpius iterata ponantur, constructio verborum tum coniunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. Sic iungantur in coagmentatione, vt neque asperos habeant concursus, neque disiunctos atque hiantes. Nam iunctura lenis & æquabilis habet suaue quiddam, quo maxime commendatur hæc forma. Expleantur numeri, & ad aurium voluptatem circunferantur ambitus multo crebriores, quam vel in humili, vel in sublimi genere dicendi. Subijcianus exemplum, in quo si quæ dixi-

mus,

mus, non sunt omnia (quis enim tam breuiter amplè
ctatur omnia?) non pauca tamen generis huius or-
namenta licet intueri. Multas quidem C. Cæsaris vir
tutes, magnas incredibilesque cognoui. Sed sunt cæ-
teræ maioribus quasi theatris propositæ, & pene po-
pulares, castris locum capere, exercitum instruere,
expugnare vrbes, aciem hostium profligare, hanc
vim frigorum hyememque, quam nos vix huius vr-
bis tectis sustinemus, excipere, his ipsis diebus hostem
persequi, tum quum etiam feræ latibulis se tegant,
atque omnia bella iure gentium conquiescant. Sunt
ea quidem magna. Quis negat? Sed magnis excita-
ta sunt præmijs ad memoriam hominum sempiter-
nam. Quo minus admirandum est eum facere illa,
qui immortalitatem cõcupiuerit. hæc mira laus est,
quæ non poetarum carminibus, non annalium mo-
numentis celebratur, sed prudentum iudicio expen-
ditur. Equitem Romanum, veterem amicum suum,
studiosum, amantem, obseruantem sui, non libidine,
non turpibus impensis cupiditatum, atque iacturis,
sed experientia patrimonij amplificandi labentem
excepit, corruere non sinit, fulsit & sustinuit, re, for-
tuna, fide, hodieque sustinet: nec amicum pudentem
corruere patitur, nec illius animi aciem perstringit
splendor sui nominis, nec mentis quasi luminibus of-
ficit altitudo fortunæ & gloriæ. Sint sane illa magna,
quæ reuera magna sunt: de iudicio animi mei vt
volet quisque sentiat: ego enim hanc in tantis opibus,
tanta fortuna liberalitatem in suos, memoriam

ami-

amicitia, reliquis virtutibus antepono. Quam quidem vos iudices in nouo genere bonitatem inusitatam claris ac prapotentibus viris, non modo non aspernari & refutare, sed complecti etiam & augere debetis. Hic si dicentis artem inspicere voles, contemplator vt in iunctura verba verbis cohæreant, nõ omnia quidem, sed, quod satis est, plurima. Deinde voce modulator ambitus, vt auribus sentias quam prona volubilitate decurrant. Iam animaduertito, vt magna ex parte verba sint grandia, sonantia, suauia, plena maiestatis, alia propria, alia translata. Videto etiam figuras Reperies paria paribus relata, similiter cadentia, similiter desinentia, repetitiones verborum, & quæ Græce dicuntur ἀνωδόσεις, sententias, imagines, similitudines, amplificationes crebras, comparationes maiorum & minorum. Quid? Orationem omnem sic probabis, vt non quaras neque suauiorem, neque pulchriorem, nisi forte cupis effœminatum quoddam genus recentiorum, qui ne quid vsitato more dicant, toti exundant diminutionibus verborum, adiunctionibus nouis & insolentibus (intelligo simplicium & compositorum figuras) deriuationibus inauditis, itemq; metaphoris & translationibus tam ridiculus, vt non tam seuere loqui, quam cum pueris infantibus, aut sannionibus blandiuscule molliterq; balbutire videantur. Nolumus hunc characterem, qui viro graui sit indignus. Seruent eandem rationem loquendi vtentes populi lingua, ab omnibus fatui & dementes habebuntur.

In

In media figura suauitas optima est, si modo retinet masculam dignitatem. Quod dulce qui sine fuco retinere nescit, vtatur compositione aspera & virili potius, quam æquabili, & euirata. Qui dulciores esse volunt, hoc assequuntur molli coagmentatione, volubili numero, verbis lenibus & vrbanis. Quibus magis arridet amara oratio, illa quæ dixi, parcius degustant. Inde fit vt hæc forma nonnunquam sit aptior & cultior, nonnunquam horridior, & incultæ magis: id quod ex ijs quæ proxime dicimus, intelligetur. In medio sedent encomia, & panegyrici, in quibus est dulce orationis genus, & solutum, & effluens, & verbis sonorum. In eadem sede statuuntur historiæ eloquentia vestitæ, quæ sæpe aspere bellicum quiddam sonant, vt Liuianæ. Statuuntur epistolæ, quæ vltra speciem tenuitatis assurgunt: cum his ornati & diligenter exculti sermones rerum maximarum, quales sunt M. Tullij de philosophiæ partibus, & Plinij de historia naturali. Item quædã commentaria rebus & verbis illustria, Epigrammata digniora, Odæ argutiores, vt quæ diuum & heroũ nomina celebrant, Satyrarũ loci graues de moribus, si modo sine contẽtione transigũtur, carmina de natura, vt Lucretij, de arte physica, vt Hesiodi & Vergilij de agricultura. Aeneus est vt opus Homeri, in quo si quis opinatur vnũ modo genus esse sublime (quod plerique sunt arbitrati) a recta via recedit, & turpiter aberrat. Tres eloquendi species imitatus est Homerus, in Menelao tenue, in Nestore mediũ, vt idem postea Cicero

in Catone sene, in Vlysse arduum & copiosum. Idem facere conatus est Vergilius apud quem Drances callide dicit & veteratorie more subtiliũ, Rex Latinus vtitur oratione temperata & senili, Turnus ardet impetu & atrocitate. Apud eundem Venus & Iuno orationes habent ad Iouem. hæc inflammata contendit acriter, illa blandior summissius agit. Eademne formam rationem putabimus? An Aeneas, Simon, & Dido, eodem modo loquuntur? Sunt in illa poemate versus humiles, vt hi,

Et simul his dictis faciem ostentabat, & vdo
Turpia membra simo: risit pater optimus olli.

Alij intermedij & compositi, vt hi,

Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ.-

Alij praues atq; peracerbi, vt

- Num linquere castra
Hortati sumus? aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamue fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? vbi hic Iuno? demissaue nubibus Iris?

Subinde magnus hic poeta pro rerum varietate mutat figuram, nec vlla est bona atque laudabilis, quæ suo loco non vtatur. Quamobrẽ tam varia poemata in

in vnam aliquam formam reduci non debent. Illam ſtyli mutationem poetis eſſe pronunciauit optimus iudex M. Tullius. An ego Homero, inquit, Ennio, reliquis poetis, & maxime tragicis concederem vt ne omnibus locis eadem contentione vterentur, crebroque mutarent, nonnunquã etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent, ipſe nũquam ab illa acerrima contentione diſcederẽ? De poetis hactenus. Nec enim illud eſt noſtræ contemplationis: quamobrem omittamus in præſentia, & veniamus ad ſummum dicendi genus.

De ſummo genere dicendi.

CAP. XXI.

SVmmum genus orationis aliud eſt eloquentiæ Romanæ principi, aliud hominibus parum & illiberaliter artibus inſtitutis. Hi quicquid ſententiarum dignitate conſpicuum, verborum flore iucundũ, figuris inſignibus pictum, iunctura molli & numeris pulchre fluentibus aptum eſt, grandiloquum ac ſublime eſſe falſo crediderunt. Totus Cicero, totus Liuius, totus Vergilius ſublimis eſt iſtis. Accedat, & quicunq; nomine literarũ celebrem famam extendit in multos. Neſciunt turpe eſſe paruo pedi circundare calceum magnum, ſimiles pictoribus ineptis, qui reges viridi colore, ruſticos auro circunlinunt. Ergo Iſocretes rhetor ſuauiſſimus grandior Pericle, & Demoſthene ſulminibus orationis Græciam permo-

uente: & Cicero quũ dictione ardenti perturbat inimicos, laudatoribus cedit, & fortis vir ac ferox in armis prolusione gladiatorum minor est. Quæ si quis absurda putat, summo credat oratori operosiorem esse pugnam quam palæstram, seria quam ludos, securitatem quam anxios tumultus. Arduũ genus est (vt ille indicat) grandiloquum, amplum, vehemens, ornatum, varium, copiosum, graue, acre, ardens, ad permouendos & conuertendos animos instructum & paratum. Hoc intonat, hoc fulminat, hoc commouet sensum, hoc animum perfringit, quod vult inserit, quod cupit euellit, grauia accumulat, humilia & modica aspernatur, plurima frequentat, verbis pugnat acerbis, & figuris atrocibus. Illa sæpe multus litterarum hiatus, dura coagmentatio syllabarum, ambitus pauci & sonantes, incisa ac membra longe plura, numerus minus suauis quam vehemens, actio tragica, tota dictio atrox & concitata. Quid opus est pluribus? Tantum discrimen est inter hoc & duo genera superiora, quantum inter lenem conflictus, & cruentum periculosumq; prælium. At non omnis habitus grauis est huiusmodi. Nam quum duæ sint affectuum species, vna mouentium indignationem, altera misericordiam, quumq; sublimis oratio in vtraq; dominetur, dulcior est ad misericordiã, amarior ad indignationem: hæc accusatori, illa defensori magis accõmodata. Vtraque forma in exordium cadit. Vt enim accusator, sic quoque defensor delibat affectus. Accusatorem eum dico, quicunque cri-

crimen obiçit, etiã si defensoris partes sustinet. Defensorem, qui purgat obiectum. De indignatione sit hoc exemplum ex tertia actione in Verrem: De impudentia singulari, quod adest, quodque respondet sunt qui mirentur. Mihi propter eius audaciam, atque amentiam, ne hoc quidem mirandum videtur. Multa enim & in deos, & in homines impie nefarieque commisit, quorum scelerum pœnis agitatur, & a mente consilioq; deducitur. Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum, quos partim securi percussit, partim in vinculis necauit, partim imploranres iura libertatis & ciuitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium dÿ patrÿ, quod iste inuenius est qui e complexu parentum abreptos filios ad necem eiçeret, & parentes pretium pro sepultura liberum posceret. Religiones vero cæremoniæq; omnium sacrorum fanorumque violatæ, simulacraque deorum, quæ non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa atque abdita, consistere eius animum sine furore atque amentia non sinunt. Alia facies est misericordiæ tractior enim, & languidior, qualis est hæc, Hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, vt statuatis, vtrum nos qui semper vestræ authoritati dediti fuimus semper miseri lugeamus: an diu vexatia perditissimis ciuibus, aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutẽ sapientamque recreemur. Quid enim nobis duobus laboriosius, Iudices? quid magis solicitum, magis exci-

ercitum dici aut fingi potest? qui spe amplissimorum præmiorum ad Rempub. adducti, metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus. Est atrox & inuidiosa narratio, quæ graui imprimitur charactere, qualis est hæc, Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat. Expectabant omnes quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: quum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se ciuem esse Romanum, municipem Cosanum, meruisse se cum L. Precio splendidissimo equite Romano, qui Panormi negociaretur, ex quo hæc Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitiorum esse missum: cuius rei neque index, neque vestigium aliquod, neque suspicio cuiquam esset vlla. Deinde iubet vndiq; hominem proripi, vehementissimeque verberari. Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus, Iudices, quū interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumq; plagarum audiebatur, nisi hæc, Ciuis Romanus sum. Hac se commemoratione ciuitatis, omnia verbera depulsurum, cruciatumq; a corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, vt virgarum vim deprecaretur, sed quum implorare ret sæpius, vsurparetq; nomen ciuitatis, crux, crux inquam infœlici & arumnoso, qui nunquam istam potestatem viderat, comparabatur. O nomen dulce

liber-

libertatis. O ius eximium nostræ ciuitatis. O lex Porcia, legesque Semproniæ. O grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas. Aliquando rei acerbitate cõmotus orator in media narratione acriter exclamat, Nubit genero socrus, nullis auspicijs, nullis auoribus, funestis ominibus omnium. O mulieris incredibile scelus, & præter hãc vnam in omni vita inauditum. O libidinem effrænatam & indomitam. O audaciam singularem, non timuisse, si minus vim deorum, hominumq; famam, at illam ipsam noctem, faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum? Perfregit ac prostrauit omnia cupiditate ac furore. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. In confirmationibus sæpe regnat hæc vis. Posteaquã rem omnem probauit orator, quærit agentis affectũ, vehementer amplificat, & totus ardescit, vt Cicero quarto libro in Verrem agens de re Sopatri: Etenim si illud est tam flagitiosum (quod mihi omnium rerum turpissimum, maximeque nefarium videtur) ob rem iudicandam pecuniam accipere, precio habere addictam fidem & religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum a quo pecuniam ob absoluendum acceperis, condemnare? vt ne prædonum quidem Prætor in fide retinenda consuetudinem conseruaret. Scelus est accipere ab reo, quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab vtroque? Fidem quum proposuisses venalem in

prouincia, valuit apud te plus is qui pecuniam maiorem dedit. Concedo, forsitan aliquis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. Quum verò fidem ac religionem tuam alteri addictam pecunia acceptam habueris, post eandem aduersarijs tradideris maiori pecunia, vtrunque falles? & trades cui veles? & quem fefelleris ne pecuniam quidem reddes? Quum mihi tu Bulbum, quem Stalenum? quod vnquam huiusmodi monstrũ aut prodigium audiuimus aut vidimus? Qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat: honestos homines qui causſam iurarint, ableget, consilioque demittat: ipse solum reum absolutum, a quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamque non reddat: hic de capite liberi iudicabit? huic iudicialis tabella committetur, quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si fas sum erit, notabit? In hac oratione si vim põdusque verum, si crebras amplificationes, si verba grauia & copiosa, si figuras acres, si cæsim pugnantem numerum iterum atque iterum inspicies, videbis expressam summæ eloquentiæ imaginem, & nihil in hoc genere præstantius desiderabis. Similem grauitatem interim capiunt argumenta, vt illa pro Sexto Roscio, Quid si accedit eodem, vt tenuis antea fuerit? quid si vt auarus? quid si vt audax? quid si vt illum qui occisus est, inimicissimus? num quærenda causſa quæ te ad tantum facinus adduxerit? Addes si qua sequuntur. In communibus locis frequens est hæc ardens contentio. Amplificatio enim in illis maxi-

me

me excellit, quibus citra personas in vitia moris est perorare, vt illa Ciceronis tantopere laudata de supplicio parricidarum. Vsu eadem est quibusdam personarum fictionibus, vt huic, Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? Quid aut tam familiaris huic fuisti, vt aurum commodares: aut tam inimica, vt venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non auum, proauum, atauum audieras consules fuisse? non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi & fortissimi viri, patriq; amantissimi? qui simul ac pedem limine extulerat, omneis prope ciues virtute, gloria, dignitate superabat. Reliqua petes ex fonte. Eadem ratio est si muta quædam loquentia inducat, si interpellatorem coerceat, si irascatur, si obiurget, si execretur, si rem atrocem dicendo subijciat oculis, si rem supra ferat quam fieri possit, si insignem vel improbitatem vel calamitatem persequatur affectu. Ad hæc perorationes multæ grauissimæ sunt, quoniam in illis consumuntur affectus. Suppeditat exempla Cicero pro Flacco, pro Sylla, pro Milone, pro Rabirio Posthumo. Quid, inquit, de miserationibus loquar? quibus eo sum vsus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. Idem de altero genere concitato: Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper vsi impetu, sæpe aduersarios de statu omni deiecimus. Si legas actiones in Verrem,

orationem pro Cluentio, & pro Rabirio perduellionis reo, conciones in Seruilium Rullum, dictiones in Catilinam, in Pisonem, in Clodium, in Antonium: tantam vim, tantam copiam, tot contentiones, tot amplificationes, tot ardores eloquendi reperias, vt non modo ad intelligendum, sed etiam ad imitandum satis superque esse putes. Sæpenumero atrocitate facti accendit iram iudicibus. Sæpe tanto dolore perfundit, vt in mœrorem lachrymasque soluantur. Frequenter inuidiam excitat verbis, frequenter excitam contraria facultate restinguit. Aliquando trahit eos in summum aduersarij contemptū. Idem nec raro contemptum euellit, in eius locum existimationem dignitatemque restituit. Nemo inflammat maiores odij faces, nemo ardentiorem charitatem parit alitque animis. Spe confirmat abiectos. Metu comprimit audaces. Quos vult implet satietate. Satiatos irritat cupiditate. Nullo modo (sic ipse de seipso quitur) animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus non ab ipso si non perfectus, tamen tatus sit. Quærat aliquis, an in omnibus his affectibus commouendis vtendū sit ardua contentione? deinde an in his duntaxat vtendum? Affectus est lenis, quē Græce dicitur ἦθος, ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatus. Huic exprimendo aptior est illa suauitas æquabilis, quam mediam collocauimus. Eius rei sit hoc testimonium: Hoc onus si vos aliqua ex parte alleuabitis, feram vt potero studio & industria Iudices. sin a vo-

bis

bis (id quod non spero) deserar, tamen animo non deficiam, & id quod suscepi, quoad potero perferam. Quod si perferre non potero, opprimi me officij onere malo, quam id quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. Quieta oratione patefacit suos mores. Indignationis & misericordiæ perturbatio nisi leuissima est, ac cito præcurrit, vim grauitatis, & amplum dicendi modum quærit. Sunt alia quæ dicuntur & grauissime, & copiosissime, vt sententiæ quædam philosophorum, vt deorum laudes, ac virorum illustrium, vt consilia de rebus maximis: quæ si alta atque sublimia faciet, haud equidem repugnabo: dissiliet tamen ab opinione Ciceronis, qui iudicet hæc & similia, etsi omneis flores orationis, & ornamenta insignia recipiunt, quia tamen secura sunt atque tranquilla, & componere animos potius quam perturbare volunt, in media ratione forarum collocanda. Nec statuet ille discrimen inter summum pugnæ forensis incendium & pompam celebrium ludorum: Deinde nõ animaduertet in summis oratoribus habitum neminem, qui sic ornate & copiose dixisset, sed qui cœtum totumq; consessum perturbasset affectibus, & in admirationem stuporemque duxisset. Genus illud quietum, & omnibus rebus excultum, nisi comparatus fuerit hic fortis & acer orator, summum, & dignitate primum videbitur. At vbi pedem fecerit, & atrociter pugnauerit, facile obtinebit primas, & quiete certantes cum

suis armis aureis relinquet in medio. Non enim est summum, quo sublimius aliud inuenitur. Sublimius in oratione. quod omnibus præripit victoriam. Fuerunt oratores acerbi, qui omnia traherent in contentionem, & idcirco graues vbique viderentur: sed illud erat potius asperæ naturæ, quam doctæ & artificiosæ facultatis. Hactenus de materia contentionis, in qua amplificatio dominatur. Ad amplificandũ (teste Cicerone) maxime definitiones valent conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea quæ sunt de causis orta, maximeq; similitudines & exempla, fictæ etiam personæ, muta deniq; loquantur. Omninoq; ea sunt adhibenda. si caussa patitur, quæ magna habentur. Hactenus. Verba ponenda sunt sublimia grauia, translata, sonantia, aspera ac volubilia in commouendo, lenia, & tarda in mitigando. Figuræ autem, relata verba, iterata, duplicata, gradationes, frequentationes sine coniunctione, exclamationes, interrogationes plurimæ, commorationes in eadem sententia, ironiæ acerbæ, descriptiones, quæ rem atrocem subijciant oculis, prosopopœiæ, hyperbolæ, & si quæ sunt aliæ conformationes. quæ magnis lateribus accommodantur. Coagmentatio in commiseratione minime hiulca sit et aspera. Nam modi flebiles declinant ad suauitatem, ideoq; ferunt membra atque circuitus paulo proceriores, quam indignantium fulmina. Vos, vos, appello fortissimi viri, qui multum pro Republ. sanguinem effu-

effudisti: vos in viri & inciuis inuicti appello periculo, Centuriones, vosq; milites: vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? Quanto magis dolor accrescit, tanto crebrior est respiratio. Quod in me tantum facinus admisi Iudices, quum illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi? quid me reducem esse voluistis? an vt inspectante me expellerentur ij, per quos essem restitutus? Petit commiseratio numeros amplos, & graues, vt dactylos, spondæos, creticos, pæanas, bacchios, palimbacchios, dochimos, & alios, si qui sunt generis huius pedes, qui voce plena querelas, tarditate spaciorum languorem metiantur. Id quale sit, perspice in hac oratione: Sed vt omnium vel suspicioni, vel maleuolentiæ, vel crudelitati satisfiat, occultat pecuniam Posthumus, latent regiæ diuitiæ. Ecquis est ex tãto populo, qui bona C. Rabirij Posthumi nummo sestertio sibi addici velit? Sed miserum me, quanto hæc dixi cum dolore? Hem Posthume, tune es Curij filius, C. Rabirij & iudicio & voluntate filius, natura sororis filius? tune illein omnes tuos liberalis? cuius multos bonitas locupleciauit: nihil profudisti, nihil vllam in libidinẽ contulisti. Tua Posthume nũmo sestertio a me addicuntur? O meũ miserũ acerbumq; præconiũ. At hoc etiã optat miser, vt cõdemnetur a vobis, ita bona veneãt, vt solidũ suũ cuiq; soluatur. Nihil iam aliud nisi fidẽ curat, nec vos huic, si iam obliuisci vestræ mansuetudinis

dinis volueritis, quicquam præterea potestis eripere. Quum mouetur indignatio, pedes asperi, vt qui a breuibus assurgunt in longas, aptiores sunt: casim membratimq; dicitur, rara interiacet comprehensio: concurrunt vocales, copulantur quædam inimicæ consonantes. Indignum hoc video videri omnibus Iudices, & idiam priore actione, quum hæc testes dicerent, intellexi. Retineri enim putatis oportere iura libertatis, non modo hic, vbi tribuni plebis sunt, vbi cæteri magistratus, vbi plenum forũ iudiciorum, vbi senatus autoritas, vbi existimatio populi Romani & frequentia, sed vbicunque terrarum ac gentium violatum ius ciuium Romanorum sit, statuitis id pertinere ad communem causſam libertatis & dignitatis. In externorum hominum, & malefcorum, sceleratorumq;, in prædonũ hostiumq; custodias tu tantũ numerum ciuium Romanorũ includere ausus es? Nunquãne tibi iudicij, nunquã conciouis nunquã huius tantæ frequẽtiæ, quæ nũc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur, venit in mentem? Nunquam tibi populi Romani absentis dignitas, nunquam species ipsa huiusce modi multitudinis in oculis animoq; versata est? nunquam te in horum conspectum rediturum, nunquam in forum populi Romani venturum, nunquam sub legum iudiciorumq; potestatem casurum esse putasti? Multus in transscribendis exemplis fui, vt indoctiores, qui falso putant generi summo quærenda esse verba nescio quæ noua, insolentia, inaudita, abstrusa, admiranda, obstupe-

stupescenda, cœlo posita, intelligerent de medio verba legi, & pro rerum natura componi solere. Audiant hæc verba Ciceronis in persona Crassi: Non sunt alia sermonis, alia contentionis verba, neque ex alio genere ad vsum quotidianum, alio ad scenam pompamq; sumuntur, sed ea nos quum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus, & fingimus: Itaque tum graues sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus. Prima seueritas est in rebus, altera in figuris, alia in pondere verborum, proxima in copia, quinta in respiratione crebra, & numero vehementi. Nec omnia quærenda sunt in omnibus, nec in paucis aut rebus aut verbis statuenda vis vniuersa eloquentiæ prima. Toti loci peruolutandi inspectandique sunt. Et quoniam multa sunt omnium oratorum verba communia, ab ijs quæ principatum tenent, appellatio ducenda est. In arduam formam conspirant epistolæ inuectiuæ, recriminatoriæ, lamentatoriæ, & exhortatoriæ quædam. Item permultæ historicorū conciones, ex quibus aliæ grauiter accusant, aliæ vehementer exhortantur, aliæ deplorant calamitates: aliæ mitigant infensos. Item bona pars tragœdiarum, a quarum motu, qui cum impetu feruntur affectibus, tragœdias excitare dicuntur. Tandem quicquid est in alijs poematis simile tragœdiarum, poterit eodē genere comprehendi. Dico simile tragœdiarū, quod re grauissimum, personis conspicuum, simili tractatur apparatu.

Quæ

Quæ genera locis, temporibus, artibus, ingenijs, conditionibus mutata sint.

CAP. XXII.

QVoniam tribus formis omnem eloquendi rationem includi volumus, statuendum quo reduci debeat genus Asianum, Rhodium, Laconicum, anticum, antiquum, nouum, robustum. naturale, acerbū, diligens, sanctum, seuerum, come. sophisticum, philosophicum, historicum, aridum, candidum, sanū. Hæc & similia dici constat aut a loco, vt Rhodium: aut a tempore, vt antiquum: aut ab artibus, vt dialecticum: aut a conditione vitæ, vt vmbratile. aut ab ingenio, vt diligens. Asianum pingue fuit & opimum, ac redundans. pingue quidem & adipale illiberali sono vocum, redundans & inflatum ociosa rerum et verborum repetitione vel copia, cuius vestigia adhuc agnoscas in Galeno celebri medico, cui patria fuit vrbs Asiæ Pergamus. Is digressionibus longis, parumque frugiferis, & eisdem sententijs inculcandis pene obtundit aures, bonus & insignis medicus, malus ac vitiosus orator. Laconicum summa breuitate compendiosum fuit, nec tam oratorium, quam imperiosum & superbum. Laudanda breuitas quædam, vt Sallustiana, uon illa quæ nihil vnquam nisi verū summas leuiter attingit. Eloquentia enim ampla & copiosa & illustris esse vult, quorum nihil est in laconismo. Vtemur interdū quum multa paucis amplecti vo-

cti volemus, sine temporis angustiæ id facere cogent, siue perstringemus historiam, siue agemus sententiosè, siue in aliquo nolemus immorari siue putabimus esse eiusdem artificij, idem dilatare verbis, & in verbum contrahere. Atticum omnium primum est atque optimum. Nam quicquid est in oratione sanū, syncerum, venustum, rotundum atque perfectum, id siue humile, siue sublime siue medium sit, ab Atheniensium lepore vocatur Atticum. Id quale sit, orationes Demosthenis ostendunt, quo ne Athenæus quidē ipsas magis credit fuisse atticas Cicero. Inter Atticum & Asianum fuit Rhodium, illo deterius & inurbanius, hoc vero melius, & minus ocioſum. Nam Rhodi quondam magna ingenia ac magnæ artes floruerunt, sed quæ Atticæ facundiæ facile darent primas. Antiquum Latini dicunt illud, quo veteres vtebantur, vt Cethegus, Gracchi, Cato, & alij multi adusq; tempora Antonij & Crassi. In eo verendæ quædā maiestas antiquitatis, quam etiamnum videmus in fragmentis quibusdam: cæterū verba horrida, compositio hiulca, numerus fere nullus, sententiæ graues & sanctæ, non tamen affluentes & copiosæ. In illo genere fuerunt alij tenues, alij mediocres, alij grauū similes & arduorum: quanquā eloquentia tum Romæ suā habebat infantiā, nec satis erat instituta Græcia præceptis. Excelluerunt posteà Crassus, Antonius, Hortensius, Cicero: vsi omnes eloquentia maiore, quæ tum noua, nunc autem antiqua nobis videtur. Quæ subsecuta est, plus habuit tumoris & insolentiæ,

can-

candoris autem & puræ linguæ minus. Robustum etiam neruosum dicitur, & forte. Sententias habet validas & graues, & quæ vehementer vrgent aduersarium, affectus multos, verba lecta & bona, nectam compta molliter, quam comminus in aduersarium pugnantia, compositionem virilem, & quæ non elumbat sententias. Contrarium est molle, imbelle, & solutum, quali vsus est Isocrates in Encomijs & Panegyricis. quod si est (iudice Tullio) pompæ quam pugnæ aptius, gymnasijs & palestræ dicatum, spretum & pulsum foro: valet in exornationibus, & locis amœnis: robusto cedat in forensi & senatoria seueritate. Est aliquando blande soluteque dicendum & rebus ad voluptatem comparatis suum reddendũ genus. Quamobrem tametsi sæpius, non tamen semper est robusto locus, nisi robustũ vocetur quicquidnon est fractum & effœminatum. Hoc enim modo robustum forteque est, quod Isocrates optimus rhetor scriptum reliquit. At robur & vires maxime sunt in acuta ac pugnaci argumentatione, & in affectũ perturbationibus: quæ duo ad afficiendos animos voluptate minime necessaria sunt. Naturale dicimus, quali vtebatur Antonius. Præclare quidem & acute disserebat, sed eius oratio non sapiebat scholas & doctrinã. Erat instructa popularibus sententijs. Multa communi sensu perficiebat, & vsu dicendi. Quæ hauserat a fontibus scientiarum, sic fundebat dissimulans, vt a natura profecta viderentur. Verba erant vsitata, sermo prope quotidianus. Tota dicto

aut

aut naturalis, aut quasi naturalis. Est etiam naturale in oratione laudabili, quicquid ab arte non gignitur. Multa autem parit natura citra disciplinam, sicuti terra fœcunda citra cultum. Quum accessit ars vt cultus, non cuiuis proprium est iudicare, quid naturæ, quid arti tribuendum sit, & eo minus, quod scriptores artis omnia redigunt in præcepta. Hinc fit, vt plerique nihil non referant in artem, quod Cicero dixerit, scripserit ve in orationibus. Sed hoc nihil ad negocium præsens. Illud est instituti nostri, omnem elocutionem artificialem esse, sed illam videri naturalem, quæ rectam & inaffectatã loquendi consuetudinem propius imitatur. Quid est quod Ciceronem dicimus habere naturæ plurimum? Multa gignit vt vena diues, genita vestit habitu quodam expressiore, & sic mittit in lucẽ, vt captu populari colligi possint. Hoc dictionis genus etsi meræ cuiusdam artis est, dicimus tamen esse naturale, quia a consuetudine (quæ altera natura est) non abhorret. Dissimile est illi, quod res in medio positas odit, & longe abditas obscuraq; petit sententias, quodq; verbis insolentibus & ordine præpostero gaudet, vsitatum loquendi morem, ordinemq; rectum tanquam infantilem et ineptum fugit. Acerbum & amarum ex translatione dicitur aut quod rusticum est atque durum, aut quod maxime pungit & vrget aduersantem. Quod fit, vel quum summo iure agitur, vel minimæ quæque res amplificantur in summum scelus, vel dignitati nõ parcitur, vel dictio & eloquendi ratio insuauis est. et

aſpera auditu. Ruſtico non eſt vtendum, niſi forte per imitationem. Alioqui acerbo vtuntur oratores, quando recedunt a ſuauitate, & horridius, quod volunt inſequuntur. Aduerſatur huic ſuauis oratio & dulcis, ex elegantia & iucunditate verborū ſonantiū & lenium, & ex eorum coniunctione, qua neq; aſperos habeat concurſus, neq; diſiunctos atque hiantes. Itemq; ex rerum noua & inaudita copia, vel ea, qua voluptate animum capere poteſt. Diligēs oratio, qua faciunt ad rem, ſedulo colligit, acurate collocat, pulchre & apte loquitur, leuia reijcit, confuſionem & ſegnitiem vitat. Negligens ſtylus ex contrario pretermittit etiam optima, neque in rebus neq; in verbis quantum poteſt, elaborat. Sanctum non violatur vlla colluuione popularium opinionum, ſed puram ſinceramq; veritatem ſine diſſimulatione, ſine fuco, ſine ambagibus detegit, & non tam lingua, quam incontaminata mente ſibi quærit authoritatē. Hoc genus pene a cauſidicis relegatum eſt ad philoſophos atque ſapientes. In eius locum ſucceſſit callidum, vafrum, aſtutum, fallax & doloſum quoddam ſimulachrum ſanctitatis antiquæ, quod ſimplicitatem præ ſe ſert, occultat inſidias. Seuerum & come diuerſam habere naturā videntur. Seuerum nihil facile condonat, come propenſius eſt ad clementiā. Hoc rerum diſcrimen videas in orationibus Cæſaris & Catonis apud Salluſtium. Cæſar vt eſt ad lenitatem propenſior, ita in pœnam coniuratorum mollior eſt. Vitæ parcit, cuſtodias decernit. Cato natura ſeuerus, labentes animos

mes restituit in fortitudinem, & rempub. a perditis ciuibus liberandā esse censet. Videsne vt Cicero multis in locis suos mores amabiles conetur ostendere? qui ardeat amore ciuium suorum, qui nihil non suscipiat de Repub. qui contemnat impetus malorum, qui tueatur bonos, qui persequatur improbos, hoc est, qui hæc & alia generis eiusdem oratione significet? Nihil eiusmodi sibi faciundum existimet Cato. Alios alia decent, & hinc variatur eloquendi genus. Sophisticū, est genus orationis omnibus ornamentis colorībusq; depictum, quo veteres vtebātur rhetores, vt Gorgias & Isocrates, quos ætas illa appellauit sophistas. Hi ab eo, qui medio genere vtitur in foro, nihil differunt, nisi quod in omnem apparatum magnificum sunt profusiores. Iudicialis orator parcius & verecundius adhibet delicias & ornatum. Hoc quale sit, intelliges si conferis Isocratis orationes cum orationibus Demosthenis. Illum cultum & quietum, hunc expeditum & pugnacem reperies. Illum certantis in pompa similem, hunc autem manum conserentis in prælio. Philosophicum genus, vt Platonicum, describit hoc modo Cicero: Mollis est oratio philosophorum, & vmbratilis, nec sententijs nec verbis instructa popularibus, nec iuncta numeris. sed soluta liberius: nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum, casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. itaque sermo potius quam oratio dicitur. De historico supra diximus. Aridum autem ieiunum est & attenuā-

tum inopia tum sententiarum, tum verborum. Respondet ex aduerso succulentum, & exundans tum rerum copia, tum orationis vbertate. Candidum est, quod integritatem linguæ Latinæ retinet. Item quod purum ingenuumq; sententiarum colorem præ se fert. Non ita dissimile est sanum, quod nulla infirmitate debile est, sed ostendit consentientem omnium temperiem, in qua nihil in perniciem alterius excidit. Possunt aliæ quædam stylorum proprietates inueniri, quæ non faciunt, vt plura sint eloquendi genera, quam quæ prima diuisione constituimus. Accidunt illis quidem, alium specie characterem non efficiunt.

FINIS.

IOVI-

IOVITAE

RAPICII BRIXIANI, DE NVMERO ORATORIO, LIBRI QVINQVE.

Ad Reginaldum Polum Cardinalem amplissimum.

Eiusdem paraphrasis in psalmos Dauidis, & quaedam carmina, Haec addita non sunt.

AD REGINALDVM POLVM, CARDINALEM AMPLISSImum, in libros quinq; de numero oratorio, Iouitæ Rapicij

PRAEFATIO.

Etus querela, ac fortasse non iniusta est; omnia vel quodam mundi senio, vel occulta fati violentia in peius semper ruere, atque in dies retro ferri: hanc enim esse naturæ legem, vt paulatim fortia infirmentur, & magna minuantur, orta occidant, & aucta senescant: sic metallorũ venas lapsu tẽporis exhaustas: sic largos olim fontes vix iam tenui humore distillare: sic poma, sic degenerare fruges, plantas denique ipsas fieri senectutis ariditate deformes. vtinamque in his modò, quæ ad corpus attinent, pernicioſa ista lues constitisset; ac non in ea quoque, quibus aluntur animi, multò sæuius impetum fecisset. nam vt omittam, quàm multa vsui hominum vtilia ab antiquis tum diligenter exquisita, tum fœliciter inuenta, sibi sublata esse vita con-

que-

queratur: posim, si velim, ostendere, nullam esse earum artium, quę circulum doctrinæ constituunt, quæ ab eo fastigio, in quo veterum beneficio fuerat constituta, lapsu miserabili non deciderit, debilemque se ac mancam esse ingemiscat. sed non libet mala nostra querelis nihil proficientibus augere. longè enim præstat gaudere, quod iam dudum nō Romani modò, & Itali, sed Hispani, Germani, Galli, & Britanni illi toto orbe diuisi, hanc tantam bonarum artium ruinam certatim fulcire contendunt, ac eò rem paulatim iam perduxerunt, vt non modò ad eloquentiam, sed ad omnium prorsus bonarum artium scientiam latior ac minus impedita via patere videatur, quod ego cùm non sine iusto gaudio, & admiratione considerarem; mei nescio quo pacto memet pœnitebat. dolebam enim, quòd totam propemodum ætatem ita consumpsissem, vt nihil de posteritate cogitans, in solo eorum profectu, qui à me discere voluissent, mei periculum fecissem, nec vnquam, si quid ingenij & eruditionis in me esset, aliter quàm alios docendo probare tentassem. itaque mutato in melius (nisi me spes fallit) proposito, qui sæculi nostri hominibus prodesse nunquam destitissem, cœpi velle posteris etiam prodesse, si possem. quod effecturum

me putaui, si ex ijs, quæ scripseram, διδασκαλικόν aliquid, atque id non inutile publicassem. cùm verò mecum ipse cogitarem, quid tandem è multis, quæ iacebãt contempta, deligerem: venit in mentem veteris illius sententiæ, qua monemur, vt in ea, quam nouimus, arte tempus conteramus: statimque animum conuerti ad libros quosdam de Oratorio numero, seu rhythmo; quos amicorum suasu inchoatos, propemodum postea abieceram; non inutiles quidem illos ratus; sed veritus, ne malè scriati homines prius negligerent, quàm intellexissent; &, inspecto tantum titulo, consilium meum statim reprehenderent; & clamarent, me, post tot Græcos & Latinos auctores, & illos quidem grauissimos, in re toties agitata, toties scripta nihil aliud posse, quàm, quòd legibus vetamur, actũ agere. Hac ego re, quam obijci posse mihi intelligebam, nihil deterritus, sed magis magisque incitatus, quolcunque vel antiquorum, vel recentiorum tractatus ea de re potui inuenire, diligenter legi: & vt quosdam ex ijs artis rhythmicæ peritos negare non ausim; ita illud, nihil reluctante conscientia, affirmauerim, omnes prorsus peruerso, nescio quo fastu ductos, coniurasse, ne rudes & imperitos docerent: propterea credo, quòd, quæ de syllabis de-

me-

metiendis, quæ de pedum inter se cognatione, amicitia, & inimicitia atque ordine, deque sublationis ac positionis, quæ in illis fit, diuersitate à metricis ac rhythmicis dicuntur, & eiusdem prope notæ non pauca, quæ rudibus & discendi cupidis ad huius rei cognitionem necessaria sunt, humiliora credebât, quàm vt philosophos & viros graues de ijs loqui deceret. Cicero certè, vt ab eo incipiamus, qui hãc artis rhetoricę partẽ multò diligentius, quàm quisquam eorum, qui hodie leguntur, elaborauit; cùm L. Crassum, virum consularem, de his rebus disputantem introduxisset, parum fore decorum iudicauit, si tanti viri personam ad humilia ista præcepta demisisset. proinde illum ita loquentem finxit, vt ab ijs modò, qui rem ex parte magna tenerent, posset intelligi. Sed ne in Oratore quidem, in quo ipse loquitur, id satis honestè se posse facere est arbitratus. verebatur enim, vt ipse scribit, futuros esse aliquos, qui non censerent eius viri esse, de cuius tanta senatus iudicia fecisset comprobante populo, quanta de nullo, ad hæc, quæ grammatici potius, aut sophistę essent, se demittere. itaque, vt in eo loco, qui de tropis, ea, quę speciosè dici poterant, diligenter ornauit: sic, cùm tractandum esset, de numero, si quid in ea fuit ornatus & eloquentiæ

capax, id haud cunctanter expoliuit; ea verò, quæ magnificentius fiunt, quàm docentur, vniuersa contempsit. quod ipsum multò etiam manifestius in vtrisque schematibus fecit. quæ licet videret esse plurima; & ijs ipse vnus omnium fœliciſsimè vteretur; ac sciret Demosthenis eloquentiam idcircò maximè laudabilem esse existimatam, quòd ab eo nullus ferè locus sine quadam conformatione sententiæ dicitur: tamen, quia vidit rem non posse explicari simul & ornari, totum eum locum deuitans, sine vllis definitionibus, sine exemplis, vix benè singula singulis appellationibus indicans, præteruolauit. quod factum suum cùm intelligeret litere non posse, Crassum finxit dicentem, admonitum se à Sole iam præcipitante properasse. In Oratore porro, cùm eadem ipsa celeritate locum pertransisset, causatus est eius rei doctrinam esse vulgarem, ratus ea de causa facilius veniam sibi debere concedi. Aristotelis breuitatem vel personæ philosophicæ grauitas, vel numerus ac magnitudo rerum, quas conscripsit, excusat. Reliquis veteribus vt ignoscamus, illud fortasse suadeat, quòd horum principia à grammatico ita esse tradita putabant, vt accederẽt ad rhetorem, non tam institutione integra, quàm leui admonitione opus esse videretur. Iuniores verò,

rò, & nostri sæculi homines tantum absunt à culpa, vt non modò digni venia, sed etiam laude sint. nam plerique eorum, cùm aliud agerent, & auctores, in quibus rhythmi mentio facta est, interpretarentur, in commentarios suos multa contulerunt: quibus non nihil labor hic noster adiuuatur. Sed in eo quoque nos eorum doctrina delectat; quòd rhythmi huius cognitionem scriptoribus vtilem sentiunt: sed hanc rhetoricæ disciplinæ partem vel interijsse, vel certè obscuram esse conqueruntur. quæ ratio nos mouit, vt, cùm alij pro se quisque rem literariam, qua parte possent, iuuare tentarent, idque multis ac magnis in rebus iam præstitissent; nos quoque, quoniam maiora non possumus, experiremur, an hac in parte, ab alijs neglecta, ab alijs, quasi percipi nullo pacto queat, deposita, ac desperata, ab alijs quasi minus excogitata, à multis desiderata, à paucis intellecta, aliquid opis afferre possimus. atque id maiore fiducia aggredimur; quòd nunquam in magnis ita fuimus occupati, vt minora negligeremus: neque vnquam sumus ita speciosa sectati, vt non vtilia præferremus. Ad hæc, nullus me successus aut fauor vnquam ita potuit inflare, vt artem puderet proloqui, quam factitem. Quamobrem nihil inuidiosum mihi sumo, si multa,

quæ,

quæ, quamuis vtilia, ac prope necessaria, cæteri contemnunt, collegisse me dico; & ea in communem eorum, qui nesciũt, vsum proferre nõ erubesco. Quicquid igitur ad rhythmi oratorij, quem Aristoteles ex pedum ordine nasci arbitratur, cognitionem pertinere sumus arbitrati, quanta potuimus cura vndiq; conquisiuimus, &, quæ non solùm apud musicos, philosophos, rhetores, sophistas, ac grammaticos, sed vel à doctis hominibus audiui, vel ipse excogitaui, id totum in libros quatuor contuli, atque ita digessi, vt in primo libro à numeri ac rhythmi diffinitione orsus, non solùm versus, ac metra, sed omnia prorsus alia rhythmorum genera ab oratorio rhythmo seiunxerim, &, quibus tandem hic pedibus constitui possit, expresserim, ac mox, qui rhythmi sint à veteribus improbati, & in oratione numerosa, quæ vitari vitia oporteat. In secundo tentauimus ostendere, quo modo à poetis oratores, metrum refugiẽtes, numerum potuerint mutuari. tum adiecimus, qui meliores ac frequentiores existimentur; quo modo veteres, & quatenus à Cicerone reprehensi; qui quibus locis pedes sint aptiores; ac denique quonam demùm pacto numerosæ orationis laudem consequamur. In tertio, de commate, tum quid sit, quantumque com-

commata poeticę ab oratorijs distent,& quę sit eorum mensura. tum de colo pari ratione disputauimus, quid esset, quantumq; ab oratorio colo differret. vltimo loco de genere illius antiquæ orationis, quam εἰρομένην Aristoteles vocat, nos perpetuā ac iugē, vel,vt recentiores,pendentem nominamus. In vltimo libro de periodo, quid sit,& quot illius species; tum de oratione,quæ est in periodis constituta, quam versam nos, Græci κατὰ πεζὰν λέξιν nuncupant: vt,quoniā principio ac fine commatum, membrorum, atq; ante omnia periodorum rhythmus spectari solet, orator, hac nostra obseruatione diligenter inspecta, aptius intelligeret, vbi deberet numerum seruare, & multò facilius sententias omnes posset verbis aptè compræhendere. Atque hos quatuor libros cùm iam absoluissem, ab amicissimis admonitus putaui faciundum, vt etiam quintum atterem. quo in libro satis, vt opinor, accuratè scripta sunt à me, quæ recentiorum quorundam de oratorio numero inanes opiniones refellant. Nec verò mihi fraudi futurum putaui,quòd huius siue artis, siue facultatis eam partem tractandam susceperim, quæ multis quæstionibus obscura,non queat satis explicari; nisi illius,vt ita loquar,radices stirpesque spectandas exhibuerim.

quod

quod quanquam sine iniucunda quadam tractatione fieri non posse intelligebam, & delicati lectoris fastidia pertimescebam: tamen mihi tentandum putaui; quia sine ijs, sicut neque in arboribus, ita neque in magnis artibus ad fructus, & ad ea, quæ sunt a spectu iucunda, peruenitur. & animi multò liberalioris semper iudicaui, potiùs, quæ vtilia, quàm quæ speciosa sunt, in commune conferre. Quanquam verò rebus cæteroqui difficilibus & obscuris non parum, vt arbitror, lucis intuli: tantum tamen mihi non arrogo, vt eius rei, in qua tot præclara ingenia diu laborarunt, plenam omni ex parte disciplinam tradidisse me prædicem. verùm vt hoc profiteri non audeo, ita illud spero atque confido, nostris laboribus ac vigilijs ad harum rerum cognitionem iam nunc viam adeò apertam esse, atque munitam, vt homines ingenioſi, & abundantes otio, facilè, si quid inuentis nostris deesse viderint, ipsi possint addere; si quid contra supereſe deprehenderint, resecare; si quid erratum nouerint, in melius mutare. nos certè diligentia vel amicorum consilijs, vel etiam inuidorum iusta reprehensione hæc emendare, & in gratiam studiosæ iuuentutis meliora reddere nunquam pigebit. Lectores interim obtestamur, vt hæc, qualiacunque sint, boni con-

consulant: &, si scribentis eruditionem desiderant, animum saltem iuuandæ rei literariæ cupidum diligant; ac meminerint, honestos conatus, etiam cum malè cesserint, iure laudari. Quicquid autem laboris, quicquid est operis, id, Reginalde Pole, vir amplissime cum ea paraphrasi, quam in aliquot Dauidis psalmos fecimus, nomini tuo dicamus; non tam quidem aut regia ista nobilitate gentis tuæ, aut sacerdotij dignitate, & istius, in quo constitutus es, loci amplitudine inuitati, quàm morum, & vitæ tuæ integritate compulsi. quamuis enim vel generis claritas, per tot ætates ad te vsque deducta, vel ecclesiasticæ maiestatis, & senatorij ordinis amplitudo neminem non ad obseruantiam tui nominis inuitet: apud me tamen tantum potest animi tui candor, & celsitudo, vt reliqua omnia mihi tua ornamenta his longè inferiora videantur. Quem enim in admirationem tui non rapiat vera illa virtutum omnium parens religio ac pietas? à qua nullæ te desipientis tyranni minæ, nulla tua incommoda, nulla tuorum vel damna vel mala potuerunt auellere: cuius seruandæ atque augendæ gratia, à summo Pontifice legatus inter hostiles insidias bonam Europæ partem peragrasti; nec odijs solùm, sed etiam telis impiorũ caput innocens constanter

ter obieciſti: te ſatis magnum, ſatis tutum arbitratus, ſi Deo placere meruiſſes. comitantur hanc multæ magnęque virtutes, quas equidem libenter aliquo verborum honore proſequerer, niſi mihi conſiderandum intelligerem, nõ tam quid illis debeatur, quàm quid nimia iſta tua modeſtia pati poſsit. Rara illa, & prope tua vnius virtus ſileri non poteſt, quòd ab omni ambitione tam procul abes, vt, quæ alij prima putant, ea tu regia quadam animi ſublimitate ita deſpexeris, vt ne delatum quidem virtutibus ac meritis in Chriſtianam Rempub. tuis ſummum Pontificatum accipere ſuſtinueris; multis dubium reliqueris, maior ne ſit laus tua, quòd ſupremum iſtius dignitatis gradum merueris, an quòd recuſaris; mihi verò dubium non ſit, quin multõ admirabiliorem te recuſando, quàm merendo præbueris. nam merendo, alios labore atque aſsiduitate vel viceras, vel æquaras: recuſando, & illos, &, quod difficillimum eſt, te ipſum ſuperaſti. itaque apud eos, qui aliquid ſapiunt, tanto maior ſemper es futurus, quanto hoc, quàm illud, maius exiſtimari oportet. Hinc, quod ſemper expetiſti, fœliciter es conſecutus, vt nulli non grata ſit humanitas tua: quæ optimo cuique ad amicitiam tuam fores aperit: qua me quoque quaſi aliquem è tuis ita com

plecte-

plecteris, vt vel hoc vno nomine tibi me plurimum debere sentiam. Verum, quando neque ego tibi quicquam, præter grati animi signa, præstare possum; neque aliud à me tua ista sublimis videtur postulare fortuna: erũt hi maxime libri, quos de numero oratorio composuimus, quam diu legentur, si modo legentur, meæ in te obseruantię monumentum: quos tu, si bene mores tuos noui, vel ob hoc vnum amanter fouebis, quod non inanis gloriæ, non quæstus alicuius gratia, sed solo de bonis ingenijs bene merendi studio videbis esse conscriptos.

X IOVI-

IOVITAE RAPICII DE NVMERO ORATORIO, LIBER PRIMVS.

QVONIAM tam naturæ ratio certa demonstrat, tum doctißimorum hominum præcepta nos monent, vt, de quo disputare instituimus, de eo prius, an sit, diligenter exquiramus; quam, quid, aut quale sit, explicare tentemus: de numero seu rhythmo oratorio scripturi, ordinem, & viri rationis ostensum, & auctoritatum grauitate præscriptum, sequemur. Verum, ne in primo statim limine lector offendat, admonendum putauimus, numeri nomen apud Latinos ambiguum esse. nunc enim, proprie sumptum, ad numerandi rationem pertinet, & aceruum quantitatis ex vnitatibus profusum, vel, si hoc mauis, vnitatum collectionem significat, vt, cum decem aut centum viros dicimus: nunc, acceptum per metaphoram, ad modulandi peritiam quandam, & metri vel orationis solutæ pedes attinet, vt, cum Iambicum, aut Dactylicum, aut Paanicum numerum nominamus. vox, vt vides, vnica est, notiones duæ: quas nos definitione sola possumus secernere, Græci etiam diuersa appellatione distinguunt. illũ priorẽ ἀριθμὸν, posteriorem ῥυθμὸν vocantes, de quo tractare nostri est instituti. Verum, ne quis ambigua voce falli posset, non ab re putauimus, distinguendi gratia hoc prius

prius indicasse. quamuis autem dubitari non debeat, an & hic, & ille numerus in soluta sit oratione: quæramus tamen, quandoquidē quærere nos eruditi iubent. In qualicunque igitur oratione esse numerum illum rectorem, sic a Latinis proprie nuncupatum, cum natura ratio, tum sensus ipse facile comprobarit. nam cum sit vulgo receptum, suprema rerum genera decem esse, nec in tota natura quicquā reperiri, quod non ad eorum aliquod referatur: oratio ex ijs est, quæ ad quantitatem, quasi ad fontem quendam suum spectat. orationem vero perpetuo tractu ita continuari natura non permittit vt videri possit magnitudo, sed discreto & inæquali quodam motu ita profluere compellit, vt non in ijs, quæ continua communi aliquo termino iunguntur, quemadmodum linea punctis, aut superficies lineis, sed in ijs, quæ discreta sunt, & nulla communi re copulantur, constitui debeat: itaque numerum illum, qui ἀριθμὸς dicitur, quique ex discretis, ac nulla re media coniunctis nascitur, inesse cuiuis orationi, quasi quandam ipsius mensuram, nemo paulo eruditior dubitauerit. Dictioni vero priscorum & eloquentium oratorum non eum modo numerum, quem vocant ἀριθμὸν, sed rhythmum etiam quendam, ad poetarum versus, & musicorum cantica quadam tenus accedentem, & a viris doctissimis excogitatum, inesse certum est. nam cum verba, e quibus sit oratio, sint naturaliter ita constituta, vt vel singulas, vel plures habeant syllabas,

& iunctæ syllabæ duæ pluresue pedem semper faciant, e coniunctis vero pedibus rhythmi semper, vt paulo post ostendemus, oriantur, necesse est, vt vel imperiti cuiusuis orationem rhythmi cadant: alios laudandos, alios improbandos esse, sensus ipse, rerum singularum fidelis nuncius ac minister, facile declarat: indicant enim aures nostræ, quid sit in oratione contractum nimis, quid redundans, quid asperum, quid leue: quid durius, quid mollius quam oporteat, & vt ijs, quæ praua sunt, offenduntur, ita rectis delectantur: atque hoc, quicquid est, sic cura & arte expolitur, vt nos miris modis moueat, atque delectet. numeris enim istis, & quasi modulationibus nunc ad hilaritatem excitamur, nunc ad mœrorem deducimur. eos porro, qui laudantur, raro casu prouenire, arte vero, si non semper, sæpe certe comparari, vel hinc demonstratur, quod hac in re alium alio melius versari videmus, & peritum ab imperito facile distinguimus. quod vtique non fieret, si res, vt quidam falso putant, natura modo, ac non etiam arte constaret. Huc accedit, quod e veteribus optimi quique artis rhetoricæ scriptores idem testantur. in quibus & apud Græcos Aristoteles, vir longe doctissimus, & apud nos Tullius, eloquentiæ latinæ parens, de hac artis parte tam multa scripserunt, vt appareat illos iudicasse, non exiguam muneris oratorij laudem in numeris ac modulatione orationis consistere. Sed cũ inter homines eruditos constet, hoc, quicquid est, nec apud Græcos ante Thucydidũ & Herodoti tempora ob-

obseruatum fuisse, & apud Latinos, vt cætera, quæ ad bene dicendi artem pertinent, ita numeri quoque oratorij rationem multo serius agnosci cœpisse: non immerito quæri potest, quis hanc artificij partem primus excogitarit. nec diu nos Cicero hac in re hæsitare permisit. Thrasymachum enim Chalcedonium, & Leontinum Gorgiam eius rei inuentores fuisse dicit: sed nimis sollicite atque anxie, ac propemodum poetice putat illos in eo genere versatos. Isocratem vero, ætate aliquanto posteriorem, multo scientius ac modestius ait vsum numerosa oratione. nam cum adolescens in Asia senem iam Gorgiam audiisset, nimiam illam magistri anxietatem temperauit, & numerose dicere sic instituit, vt oratio a versu longe recederet, ac poeticis quidem legibus solueretur, sed tamen similitudine quadam ad poeticum sonum prope accederet: vt, quemadmodum nos poetica oratio præfixis quibusdam modis, & certo semper fine delectat, ita hæc oratoria certos haberet cursus, conclusionesque verborum, quibus adiuta, nō sine voluptate animis hominum posset illabi. quod quo modo factum arbitremur, sequēti libro latius explicabimus. Nunc, quando iam, esse apud oratores numerum, nō modo illum, quibuscunque sermonibus natura insitum, ac rudem, sed hunc etiam, arte quadam, a quibus, & qua causa inuentus sit, paucis indicauimus, pluribus postea probaturi: sequitur, vt eius rei, de qua tractare instituimus, vel definitionem, vel, si id minus apte possumus, descriptionem saltem quæramus,

mus, ne, si nesciamus quid sit id, de quo disputandum est: oratio falsarum opinionum erroribus ducta, procul ab eo quod suscepimus, incerta distrahatur. Philoxenus igitur, musicus longe celeberrimus, ῥυθμὸν τάξιν τῶν χρόνων, id est ordinem temporum esse definiuit. tempus hic vtique intelligitur, minima pars eius spatij, quod est in voce, aut sono, aut aliquo motu corporis. denique nihil aliud quam mora brevissima est, & in morem Epicurearum atomorum nullas habet partes, quo minus habere posse videatur: ac tale quiddam est in rhythmis hoc tempus, quale in geometricis punctum, in arithmeticis vnitas. quemadmodum vero apud eos, qui numerandi rationem colunt, vnitas non tam numerus est, quam numeri principium: ita nec tempus, id est minutissima vocis, aut soni, aut motus vel portio, vel mensura, apud musicos numerus est, sed ex apte dispositis atque ordinatis temporibus is numerus gignitur, quem voce graeca ῥυθμὸν vocamus. Ab hac Philoxeni definitione aut nihil, aut certe parum discrepat ea, quae est apud Platonem in secundo de legibus libro, his verbis comprehensa: τῆ δὲ κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα ἐστι: hoc est motus ordini rhythmo nomen est. vtraque ordinem genus ponit: sed altera tempus, altera motum vt differentiam generi adiungit. quod eodem propevecidit. nam & tempus ipsum vel motus est, vel certe motus mensura: & rhythmi constituti sunt in ordine celerum & tardorum motuum, qui velut saltantium progressu, regressuque spectantur, vel in cor-

cordis arteriarum pulsu tangendo sentiuntur, vel in syllabarum pedumque & vocum sono audiuntur. sed quod in alijs celere tardumue dicitur, id in sono, ac syllabis breue longumue nuncupamus. Verum hæ Philoxeni & Platonis definitiones, siue illæ descriptiones dicendæ sunt, non ad oratorium modo illum, quem quærimus, numerum, sed ad eos omnes pertinent, quibus musici nimis quam subtiliter non voces modo, quæ scribi atque intelligi possunt, sed sonos etiam a nullo mentis sensu profectos, nec vllis literis notatos, atque omnes prope motus metiuntur, & exquisita quadam arte disponunt. proinde vt duplicata saltem numerum arithmeticum vnitas facit, quia duobus orsus, quousque libuerit progredi potest, & vbicunque volueris, subsistere; ita hunc musicum duobus saltem temporibus, motionibusue, inter se collatis, constitui certum est, & inde cœptum, eo vsque produci posse, quo aures tulerint, ac rursum, vbicunque eisdem visum fuerit, subsistere ideoque illi per similitudinē numeri nomen a Latinis indutū. atque hāc definitionē opinor a Cicerone in Oratore illis verbis expressā, quibus affirmat, quicquid sub auriū mēsuram aliquā cadit, etiā si abest a versu, numerū vocari. veruntamē Tulliana hæc iam paulo propius accedit ad eā, quā quærimus: excludit enim eos omnes numeros, qui sub auriū mensurā nō cadūt, sed alio quouis sensu iudicātur. hic numerus, quē solæ metiūtur aures, inde incipit esse numerus, vbi primum duæ propemodū insecabiles prolationis

quæ tempora dicuntur, extiterint: ibi enim semper est ordo motus, aut temporis. quod tamen nondum satis est ad distinguendum ab alijs numeris eum, quem in oratoria dictione quærimus: in qua non omnis sonus, sed voces illæ solæ considerantur, quas & scribere possumus, & intelligere: eas porro tam minutim concidere non solemus: nec enim, quæ longa sunt monosyllaba, quamuis duorum sint temporum, vllum vel pedem vel numerum apud poetas oratores ue gignunt, sed, vt ad pedem constituendum duabus saltem opus est syllabis, sic ad rhythmum apud hos faciendum duo saltem pedes requruntur. Namque Dionysius, harum apud Græcos rerum diligentissimus indagator & scriptor, affirmat, omnem pedem rhythmum esse: apud musicos locum fortasse habeat: poetis & oratoribus, vt deinceps docebimus, alia est data lex: de qua, tanquam de specie vltima, diligenter quærere nos oportet. Nunc operæpretium putamus monere lectorem, hanc Platonis & Philoxeni definitionem tam late patere, vt oratorium numerum ab alijs rhythmorum generibus nulla differentia separare videatur. nam & in sono, qui auditur, quamuis non intelligatur, & in actu pronunciantis, & in motu saltantis, & in venarum ac cordis pulsu, atque omni fere motu aliquis aut temporis aut motus ordo deprehendi potest, atque adeo etiam in ijs, qui putantur esse in memoria, itemque in illis, qui sunt, vt inquit Augustinus, in superiore quadam mentis vi, quique omnium putantur excellentissimi:

prop-

propterea quod per hos solos de omnibus alijs iudicium recte ferre possumus. quos ipsos Ciceronem quoque significasse arbitror, cum in Oratore scripsit, animum aurium nuncio naturalem quandam in se continere vocum omnium mensionem, ideoque & longiora & breuiora iudicare, & perfecta ac moderata expectare, mutila sentire quædam & quasi decurtata: quibus tanquam debito si fraudetur, offenditur: productiora alia, & quasi immoderatius excurrentia, quæ magis etiam aspernentur aures. Ac numerorum quidem, quos diximus, alij deprehenduntur auditu, vt qui sunt in sono. alij tactu, vt cum digitis pulsum cordis & arteriarum exploramus: alij non vno tantum sensu, vt cum spirantis, & respirantis motum exquirimus, quod & tactu, & aspectu, & auditu fieri potest: alij visu solo, vt cum saltantiũ & agentiũ gestus intuemur. neque est quod mireris numerum diuersis sensibus dignosci, cum sine motu non possit esse, motus autem commune sensibile videatur. Sed nos, promissi nostri memores, & hæc, & alia multa, quæ dici poterant, omittemus, atque illa tantum diligenter exquiremus, quæ pertinere videbuntur ad explicandum eum. quem rhetorica oratio ex verborum iunctura, syllabarum quantitate, pedum numero, varietate, & ordine quærere consueuit. Verum, quoniam res est adeo temporibus nostris vel neglecta, vel obscura, vt multi nullam reddi posse rationem existiment, cur aut numerose, aut sine numeris aliquid videri dictum possit, quidam etiam,

si dijs placet, eos rideant, qui ista sectantur: longe maximam partem eorum, quæ vel ex varia lectione collegimus, vel ipsi excogitauimus, in medium proferre non grauabimur: si forte, vt alij quidam cœperunt, nos quoque studiosis hominibus aliquam quasi lucem in tanta tenebris præferre possimus. Cum sint ergo rhythmorum duo prima genera, alterum in motu solo citra vllum sonum, alterum in sono positum: id, quod in motu solo est, nihil nobis præter similitudinem longius petitam, quam res postulat, afferre potest: quod autem in sono est, aut in eo est sono, qui a nullo mentis sensu profectus scitur, & audiri quidem cum voluptate potest, intelligi non potest: hoc aliquanto propius est ei, quod quærimus, & non nihil ad rem nostram facit: aut in vocibus, quæ a mentis sensu profectæ, & e syllabis, pedibusque compositæ, non solum audiri, sed etiam intelligi possunt. hic iam tandem is est, de quo quærimus: qui ad poetas, versificatores, metrorumque, & rhythmorum scriptores, atque oratores ita pertinet, vt tamen alia versificatori & poetæ, alia metrico, alia rhythmico, alia oratori sit præscripta lex. nam poetam eum dicimus, qui non solũ versus facit, sed ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os Magna sonaturum: versificatorem vero, cui satis est pedibus versum concludere senis, paucioribusue, aut pluribus, vt ratio suscepti operis exigit. Metricus a versificatore in eo tantum differt, quod hic versum suis quibusdam cõmatibus sibi mutuo respondentibus distinguit, ille, modo

modo metrum iusto pedum numero conficiat, commata negligit. Ac de ratione quidem faciendorum versuum & metrorum, nihil est, quod hic loquamur. diligentius enim, atque apertius a Græcis & Latinis scriptoribus exposita est, quam vt a nobis hoc loco tractari debeat. Supersunt rhythmici, & oratores: de quorum numeris dicendum est. Sed rhythmicorum alij, qui vulgo musici, & cantores nominantur, syllabarum quantitatem & syllabicos pedes negligunt, ac breues pro longis, & rursus longas pro breuibus canendo efferunt, & temporũ suo quodam modo dimensorum ordine & proportione contenti, vtcunque ratio cantici postulat, vel procurrunt, vel subsistunt, atque hunc rhythmum suum aerem vocant. sed ne de hoc quidem loqui nobis libet. Alij fuere rhythmici, qui rhythmos e pedibus syllabicis, seruata syllabarum quantitate, vel saltem paritate, scripserũt. de quibus simul, & de oratorijs, quoniam inter se valde similes sunt, ac prope germani, atque ita ad metrum versumq; proxime accedunt, vt tamen neque metra versus iure posis dicere, quãta poterimus diligentia tractabimus, si prius pauca de pedibus nouo quodam modo, sed ad hoc, quod quæritur, valde accommodato dixerimus. Pedes igitur, siue illi duodecim modo sunt, vt doctissimi aliquot auctores non ab re senserunt, siue octo ac viginti, vt vna cum alijs fere omnibus putauit Augustinus, qui, neque plures, neque pauciores esse posse, mathematis rationibus probare tentauit, ita sunt natu-

ræ ſuæ neceſsitate conſtituti, vt ex ijs nullus aut duabus ſyllabis breuibus minor, aut quatuor longis maior eſſe deprehendatur. & diſſyllabi quidē a duobus temporibus ad quatuor, triſyllabi a tribus ad ſex, tetraſyllabi a quatuor ad octo vſque protendumtur: ita vt nullus ex omnibus aut infra duo tēpora ſubſiſtere, aut vltra octo queat progredi: quæ a muſicis in arſin ac theſin, id eſt ſublationē & depreſsionem ſoni, ita ſecantur, vt in vno quoque pede diuidendo aut æqua, aut dupla, aut ſeſqualtera ratio poſsit agnoſci. quod Ariſtoteles in tertio artis rhetoricæ libro indicauit. quicum de Heroo pede, Iamboque, & Trochæo ita locutus eſſet, vt Heroum grandiloquentiæ poetica, quam dictioni oratoriæ, aptiorem diceret, Iambum vero vulgi affirmaſſet eſſe ſermonem, Trochæum porro vt nimis celerem, & quaſi ſaltatorem improbaſſet, ac tandem vt maxime aptum oratoribus Paeana laudaſſet, hæc ad verbum adiecit. Τρία πρὸς δύο ἔστιν. ἐμέναμεν δὲ ὁ μὲν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν: ἔχεται γὰρ τῶν λόγων οὗτος ὁ μάλιστα: ὅδε δ' ἐστὶν ὁ παίαν. *oſtendens in Paeane ſeſqualteram, in Heroo æquam, in Iambo & Trochæo duplam eſſe diuiſionis rationem. quod ipſum & Cicero in Oratore ad Brutum affirmans, definita, inquit, ſunt genera numerorum: nam omnis talis eſt, vt vnus ſit et tribus: pes enim, qui adhibetur ad numeros, partitur in tria: vt neceſſe ſit partem pedis aut æqualem eſſe alteri par-*

ti,

et, aut altero tanto aut saltem sesqui esse maiorem, quæ verba si diligenter excutias, non difficile intelligas, diuisionem, quæ in pedibus est, per arsin & thesin ita fieri solere, vt vel tantum sit temporum in arsi, quantum in thesi: quod fit in decem pedibus, in Pyrrhichijs, vbi singula singulis, in Spondeis, Dactylis, Anapæstis, & Proceleumaticis, in quibus bina binis, in Diambis, Ditrocheis, Antispastis, Choriambis, vbi terna ternis, in Dispondeis, item, vbi quaterna quaternis opponũtur. In alterutra vero parte alterũ tantũ deprehẽditur, in sex pedibus. nã in Tribrachis, Iambis, & Trochæis bina singulis, in Ionicis autem duobus, & in Molossis quaterna binis conferuntur: in septẽporro, hoc est in Cretico Bacchio Antibacchio, & quatuor Paanibus, maior pars minorẽ, & eiusdẽ minoris dimidiã continet: propterea quod quina eorum tẽpora aliter in arsin, & thesin diuidi non potuerunt, quam vt ex altera parte bina, ex altera vero terna opponerentur. in tribus enim duo sunt, & dimidium duorum: quæ proportio sesquipla, & sesquialtera latine nominantur, a Græcis ἡμιόλιος dicta. hi enim sunt, in quibus Aristoteles ait esse πρὸς δύο: ideoque eos laudat, quod & a celeritate dupla, & a tarditate aqua proportionis recedentes, medium quiddam sequantur. quo fit, vt, Aristoteles Epitritos omnes & Amphibracum ab oratorio numero amouisse videatur. Supersunt & Hippij, vel Epitriti quatuor: in quibus alteram partem altera quidem maiorem esse intelligimus, sed neque ita, vt

altera

altera alteram altero tanto vincat, aut saltem tantum & eiusdem dimidium capiat, vt in ijs pedibus, de quibus proxime locuti sumus, sed vt altera quidem pars alteram capiat, & tertiam eiusdem. sepiè enim tempora, quot in singulis sunt Epitritu, in partes duas aliter deduci non possunt, quam vt hinc terna, inde sint quaterna porro in quatuor & tria sunt, & triū pars tertia: quæ proportio sesquitertia dicitur ex quo licet intelligere, Ciceronem, cum dixit alterā partem altera sesqui maiorē esse, de industria non dimidio sed sesqui maiorem dixisse, nec de tantum locutū proportione, in qua pars maior & minorem, & minoris dimidiā complectitur, vt in Pæanibus, sed de omni, in qua sesqui ponatur. nec enim minus sesquitertiam, & sesquioctauam, quam sesquialteram, & sesquiplam, ac sesquiplicem dicimus. vt autem id credamus, vel ex eo possumus adduci, quod stultum esset existimare Epitritos a Cicerone neglectos, vt rhythmo oratorio parum idoneos, cum & apud ipsum in clausulis passim deprehendātur, & Terentianus, eruditus artis metricæ scriptor, ac rhythmicæ facultatis non imperitus, Epitritos e Pæanum genere esse affirmet. & res ipsa palam ostendit, horū pedum diuisionem a sesqualtera, quæ Pæanica est, parum admodum abesse. nam cum in Epitritis diuidendis hinc quaterna, inde terna poni tempora sit necesse: si quaternis ita accedat vnius temporis dimidium, vt altera in parte sint tempora quatuor semis, in altera tria, diuisio, ac proportio fiet sesqualtera.

nam

nam quatuor semis, & tria cõplectuntur, & dimidium trium, hoc est vnũ semis. Sed hoc commentum alicui nimis argutũ, aut potius ineptũ videbitur: propterea quod metricici in hac diuisione tẽpus vnũ, & partes duas secare non solent. verũ, vt hoc nihil sit, Terẽtiani tamen de hac ipsa Pæanũ diuisione versus sunt hi:

Impar numerus Pæanicis vtrisque coget
Aptare duobus tria, vel quaterna ternis
Sesqualtra fere, quod numeros pars secat istos.

Vbi Pæanicos appellat, non Pæanas solos, sed etiam Epitritos: in quibus quaterna tempora ternis aptari dicit. atque ibidem vides satis caute non sesqualtram partem absolute dictam, sed cũ adiectione fere: quia sesquitertiæ non multum deest ad sesqualteram implendam. quo tamen hodie loco non sesqualtra, sed sesquata simplici voce, ab eo, quod est sesqui, deducta, legitur. quæ nouitas verbi etsi dura est, tamen rem manifestius & verius significare existimatur, vt sesquata pars dicatur, quæ sesqui recipit, & sesquitertia nominatur, eo modo, quo & sesquiquartã, & sesquiseptimã, aut sesquioctauã dicũt musici. omnis enim numerus, excepto binario, ad statim præcedentem collatus, sesquatam habet proportionem. nã binarius solus ad vnũ duplam habet, ternarius autẽ ad binariũ sesqualteram, quasi dicas sesquisecundam, quartus ad ternariũ sesquitertiã, quinarius ad quaternariũ sesquiquartã, & deinceps omnes eodẽ modo. quod ex Seuerini de musica libris, qui volet, facile intelliget. huc accedit, quod Augustinus, vir aliqui

musi-

musicæ scientissimus, Epitritos ad hoc munus non modo admittit, sed etiam laudat. solus Amphibrachus ex omnibus nullam prorsus harum diuisionē admittit, ideoque nec metris nec numeris aptus existimatur. nanque eius tempora in arsin, & thesin distributa nimis longo interuallo distant: cum alter diuidi non possint, quam vt vnum tribus opponat: quod in nullo alio pede fieri posse deprehendas quam re Terentiani sunt versus:

Septimum pedem loquemur, quem vocant amphibrachum,
Cum duæ breues vtrinque, media longa ponitur:
Quale si velis, amœnus, aut amicus, dicere.
Arsis hinc sumat necesse est tria priora tempora,
Et thesi relinquat vnum: vel licet verta vtro.
Arsis vno subleuetur, deprimant thesin tria.
Par pari figura non est, pugnat vnum cum tribus,
Nec modum dupli rependit, nec tenetur sesquiplo.

Exigunt idcirco talem qui sequuntur musicam. Sed Augustinus quoque post Terentianum ea de re diligenter, & erudite disputauit. Cum igitur e pedibus decem æqua, sex dupla, septem sesquipla, quatuor sesquitertia ratione per arsin & thesin diuidantur, & hos omnes ad numerum, quem habere oratoria dicta

dictio debet, adhiberi Cicero dicat, atque ex eisdem metra & rhythmicorum cantica, ac versus, quos in oratione esse non oportet, confici videamus: non ab re fuerit exquirere, quonam tandem hæc modo inter se differant. eam rem ab alijs nimis breuiter, & obscure indicatam, ab Augustino nimis longa oratione tractatam, nos quam paucissimis fieri potuerit verbis dilucide explicabimus. hoc enim si recte intellectum fuerit, alia erunt longe faciliora perceptu. Quamobrem (vt rem manifestius intelligas) ab eo numero, qui omnium minutissimus est, incipies: & vt primū duo tempora deprehenderis, numerum esse musicū intelliges: qui est ordo vel temporum, vt Philoxenus, vel motus, vt Plato inquit, & sine vlla voce articulata, atq; adeo etiam sine syllabis esse potest, vt in motu corporis, & lyræ sono, qui cum aliqua vel audientis, vel spectantis voluptate sentitur, nec dum tamen est aut versus, aut metrum, aut rhythmicorum, aut saltem oratorum rhythmus: nondum enim est in ijs connexio syllabarum, aut syllabicorum pedum, quam esse in illis oportet. neque tamen hos rhythmos, etiam si nullam dictionem aut syllabam habeant, carere suis pedibus putauit Augustinus. sed hi pedes non e syllabis, sed ex temporibus solis constant. duo enim breuissimi, quamuis sint inarticulati soni, nec scribi queant, apud musicos Pyrrichium faciunt, tres Tribrachum, quatuor Proceleumaticum, duo longi, quasi duæ longæ syllabæ, Spondeum, tres Molossum, quatuor Dispondeum constituunt. ijdem

ſoni breues, vario modo, atque ordine cum longis cõiuncti, alios atque alios pedes, ijs, qui e ſyllabis fiunt, ſimiles creant. idemque fit, vt iam dictum eſt, in quouis motu, & pulſu. ex his igitur pedibus fieri poteſt muſicus rhythmus, ſine vllo articulatæ vocis, aut ſyllabarum vſu. nam tempora non ſolum ſyllabas, & dictiones, ſed omnes plane ſonos, ac motus metiuntur. & hic quidem rhythmus parum admodum ad eum, quem quærimus, attinens fileri non debuit: ne fonte nominis, & rei ſimilitudo erroris cauſam alicui præberet. At enim, cum iam peruentum eſt ad ſyllabas, pedes ex ijs fiunt alij diſſyllabi, alij triſyllabi, alij tetraſyllabi, &, vt quidam putant, etiam pentaſyllabi. e pedibus autem connexis naſcuntur rhythmi. quorum alij e paribus membris, ſimiliter vel deſinentibus, vel cadentibus, conſtant: neque in ijs quantæ, ſed quot ſint ſyllabæ, obſeruatur. horum alij ſenas, alij ſeptenas, alij octonas, alij etiam plures ſyllabas habent. cuiuſmodi ſunt in ſacris ſolennibus notiſſimi illi,

Pange lingua glorioſi
Corporis myſterium: & illi,
Recordare Ieſu pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ: &
Aue maris ſtella, his oratores aut certe ſimillibus vtuntur, vt,
Domus tibi deerat:
At habebas.
Pecunia ſuperabat:

At egebas. item:

Et inimico proderas:

Et amicum lædebas:

Et tibi ipsi non consulebas.

Et fere vbicunque paria, aut prope paria membra alio denuo membro excipiuntur. quod genus exornationis ἰσόκωλον & παρίσον vocant. ad horum similitudinem fictos arbitror rhythmos istos Gallicæ, Siculæ, & Hetruscæ linguæ, quos in honorē Petrarca, & Dantes Aligerius adduxerunt, in quibus præstitui certum syllabarum numerum, & similem mēbrorum finem videmus, syllabarum vero quantitatē negligi, quam veteres Græci pariter & Latini diligenter seruandam iudicarunt. itaque in pedibus religiose tria considerarunt, temporū numerum, eorū diuisionis in arsin, & thesin proportionem, & dignitatis ordinem. e singulis prope pedibus singula rhythmorū genera excogitarunt, ea lege, vt qualibet rhythmus posset admittere solos pedes amicos, hoc est ei pedi, a quo esset ipse dominatus, temporum numero pares, ratione diuisionis in arsin ac thesin similes, dignitatis, & naturæ ordine posteriores: inimicos autem, hoc est vel ijs omnibus rebus vel eorum aliqua parte discordes, prorsus repelleret. nos, vt, hoc totum quale esset, agnosci posset, ex Augustini libris, quæ ad eam rem intelligendam vtilia putauimus, huc transtulimus. ex quibus diligens lector facile intelliget, qui pedes quibus rhythmis apti atque inepti sint. Pirrhichiaco igitur rhythmo, qui primus omnium est,

nullus alius pes recte miscetur. nec vero pro Pirrhichio vnica syllaba lõga ponitur: quia vt pro lõga duas breues ponere licet, non ita pro duabus breuibus longam ponimus. nam, vt recte ait Terentianus,

Non ita, est vt longa dissolubilis,
Breues vicissim contrahi in longam valent:
Quia solida findi magnitudo non vetat:
Diuisa iungi rursus in vnum non queunt.

Ac si maxime liceat longam pro duabus breuibus ponere, iam non pes pro pede, sed syllaba vnica pro pede poneretur: quod omnino inauditum est. alij porro pedes non miscentur: quia sunt temporum numero impares: nullus enim alius duorum potest esse temporum. Tribrachio rhythmo neque Iambus, neque Trochæus inseritur: quamuis sint & temporum numero pares, & plausu, id est ratione diuisionis in arsin, ac thesin, consonantes, quia cum numeris metrisque ac versibus imponi nomina debeant ab his pedibus, qui natura priores sunt, si Trochæum aut Iambum miscueris. Trochaicus, aut Iambicus numerus dicetur, quod omnes dissyllabi pedes trisyllabis natura priores sunt: itaque, ne & rhythmus, & rhythmi nomen mutetur, non miscentur. Proceleumaticus quoque rhytmus nomen amittet, si quem alium, quamuis temporibus parem, & diuisionis in arsin, & thesin, proportione similem, miscueris, & aut a Spondeo Spondaicus, aut a Dactylo Dactylicus, aut ab Anapæsto Anapæsticus, vt vnum quenque illorum forte inserueris, appellabitur. sunt enim bi

hi omnes ita natura priores Proceleumatico, vt duo, & tria priora sunt, quam quatuor. Iambico rhythmo nullus pes recte admiscetur præter Tribrachum: qui temporibus simul, & plausu cum Iambo conuenit, & quia posterior est, numeri nomen sibi vendicare non potest. At Trochæus quanquam temporibus par, tamen, quia plausu discrepat, & oppositus illi est, misceri non debet. Trochaico rhythmo Tribrachus miscetur, quia & temporibus par est, & diuisione similis, & dignitate posterior. Iambus non admittitur: quia inimicus, & illi oppositus est, & plausu discrepat. Spōdaico Anapæstus, & Dactylus, & Proceleumaticus recte misceri possunt, Spondeo temporibus pares, plausu similes, ordine posteriores. Dactylico recte iūgitur proceleumaticus natura posterior, tēporibus & plausu cōueniens. Idē Anapæstū quoque inseri posse dicit. sed tamen illi contrarius est, vt Iambus Trochæo: ideoque dubitari potest, an recte misceatur. Anapæstico Proceleumaticus inseri potest, natura illo posterior, temporibus vero, & plausu concors. Bacchiaco Creticus & Pæanes duo, primus & secundus, Bacchio temporibus, & plausu similes: nam tertius & quartus Pæan plausu discrepant. Antibacchiaco Creticus, & Pæanes tertius & quartus, Antibacchio non solum temporibus, sed etiam plausu concordes. eius exemplum apud Charisiū hoc legitur, Baccare, lætare, præsente Frontone. Cretico Pæanes omnes plausu similes, quantitate pares: quippe Creticus duobus diuidi potest modis. prior

modus est, vt tria in arsi habeat, duo in thesi: qua sectione similem se primo, & secundo Paanibus exhibet. posterior est, si idem rursus it alaudatur, vt secundam & tertiam syllabam, hoc est temporatria in thesi ponat: arsi duo relinquat. qua diuisione tertio, & quarto Paani similis est. Molossico iungitur sunt, omnes enim temporū pedes, illi quantitate pares, natura posteriores, plausu concordes. Pergit ille per alios quoque rhythmos ratione pari, ostendens qui quibus rhythmis pedes vel vtiles sint, vel inutiles eam rationem, qui volet, ab Augustino petet. nos ad indicandam rem satis rati, vlterius progredi noluimus. atque illud tamen potius monendū putauimus: ex ijs, quæ ab eo scripta sunt nullū certum finē rhythmis esse præfixū, quāuis enim, quos pedes vnusquisq; rhythmus admittat, accurate explicarit: non tamen etiam, quot constet, adiecit. denique hunc rhythmū, qui ex complicatione pedum conficitur, in quinto de musica libro ita definit. Rhythmus est legitima pedū connexio: quæ sine vllo certo fine prouoluitur. ex qua definitione colligitur, oportere duos saltem esse in rhythmo pedes. neque enim fieri potest pedum connexio, vbi non sint pedes, vt minimum, duo. quod autem adiecit, prouolui sine vllo certo fine: ostendit rhythmum esse numeranti numero aliqua parte similem. vt enim ille ab vnitate duplicata incipiens, quousque libuerit, progreditur: ita hic rhythmus, a duobus orsus pedibus, sine fine procedit: atque ideo, vt arbitror, a Latinis numeri nomen accepit. metrū autem

autem dicit esse legitimam pedum connexionem, certo fine terminatam. Versum ait esse legitimam pedum connexionem, certo fine terminatam, & suis quibusdam commatibus, quæ incisa & cæsuras vocant, distinctam aut vno loco, aut pluribus: vt, si velis, breuius posſis hoc modo definire: Rhythmus e vocibus articulatis constitutus, est legitima connexio pedum, quæ sine vllo certo fine prouoluitur: Metrum est numerus, certo pedū numero terminatus: Versus est metrum, suis commatibus vno loco aut pluribus distinctum.

Ex quibus descriptionibus iam patet differentia inter tria hæc.

Nam omne metrum numerus est, non autem contra. Item, omnis versus est & metrum, & numerus, non autem contra. ita metrum, si ad numerum respiciat, species est: si ad versum, genus. metrum commata non requirit: versus sine ijs esse non debet. denique metrum ac versus certo pedum numero terminatur: rhythmus ea in re nullum habet sibi lege præfixum finem, nullam in contextu, vt ait Fabius, varietatem, & qua cœpit arsi ac thesi ad finem vsque decurrit, ac pari semper digitorum percussione descendit, donec ad μεταβολὴν perueniat, hoc est ad transitū in aliud genus rhythmi. Denique rhythmi spatio temporum constant, metra non solo spatio, sed etiam ordine. itaque illi quantitatis sunt, hæc & quantitatis, & qualitatis. quam differentiā expressit Terentianus illis versibus.

Nam metrum certique pedes numerusque coercet:

Demensa rhythmum continet lex temporum.

Idem non solum spatium temporum, sed etiam ordinem pedum necessarium esse metro docet, cum ait:

Varijs loquimur pedibus sermone soluto:
Nec metrum facimus: quia fungimur ordine nullo.

Quasi tum demum metra sint, vbi est ordo pedum. Sed quoniam ratio pedum, ex quibus rhythmi metraq; ac versus fiunt, vsque ad tetrasyllabos tantum progreditur: quæsitum est, an ex pentasyllabis & hexasillabis pedibus, quos non nulli veterum, & quidam e recentioribus quoque collegerut, atque inditis nominibus distinxerūt, rhythmi ac metra & versus possint confici. cui quæstioni respondet breuiter Augustinus, sensu aurium, quo minus id fiat, nō prohiberi, certa tamen, & recepta lege disciplina prohiberi: nec enim inueniasrhythmum vllum, aut metrum, versumue e pedibus quatuor syllabas excedentibus vnquam vel contextum fuisse, vel denominatum. nam nec Dochimus ille pentasyllabus, apud Ciceronem, & alios laudatus, Dochimicum rhythmum, aut metrum versumue constituere dicitur: quamuis incisa, membraque, & periodos bene incipiat, bene etiam claudat. nec alius quisquam etiam pentasyllaborum & hexasyllaborum numero, vel rhythmum, vel metrum aut connexione sua efficere, aut nomine potuit insignire. quamuis enim pentasylla-

syllabi, & hexasyllabi numeri esse possint: ex alijs tamen pedibus, natura prioribus, & syllabarum numero minoribus, constituti dicuntur, & ab illis nomen acceperunt. Atque adeo hunc ipsum Dochimum, qui est ex breui, & duabus longis, quarta breui, & vltima longa, vt, reipublicæ, alij Bacchium, & Iambum, alij Iambum, & Creticum esse dicunt: nec tam pedem, quam numerum putant, qui sit ex Iambi, & Cretici, vel Bacchij, & Iambi connexione prognatus. Quin & tetrasyllabos omnes in dissyllabos secant; & pentasyllabos, non tam pedes, quam vel numeros, vel, ex parte longe maxima tetrasyllaborum, pedum vicarios existimant: vt, si pro Ditrochæo longam, & quatuor breues ponas, diuisa, vt fieri licet, tertia longa in breues duas; numerus quidem syllabarum crescit, ac Dactylopyrrhius fortasse ab aliquo dicetur: sed cum sit reuera Ditrochæus, auctoritas imponendi nominis & constituendi rhythmi non transferetur, sed penes Trochæum, qui natura præcedit, relinquetur, ac rhythmus non Ditrochaicus, nõ Dactylopyrrhichiacus, sed Trochaicus dicetur. Verum iam satis, opinor. Augustini auctoritate dictum est, qui quibus pedes in rhythmis paulum a metro distantibus misceri queant, qui non queant; tum vero a quibus nec confici soleant, nec nominari; ac demum, quantum & quo modo inter se differant numeri seu rhythmi, metra, ac versus. Atque adeo vererer, ne quis putaret me nimis multa ex doctissimi viri libris descripta huc transtulisse, nisi plane perspi-

cerem hæc omnia huic nostro instituto prope fuisse necessaria; tum vt hoc genus rhythmi, temporum incuria desiti iam & incogniti, in vsum reuocari posset; tum vt ex huius similitudine, qualis esset oratorius ille, quem quærimus, apertius cognosceretur. Apud veteres autem in vsu fuisse rhytmos istos, qui verborum contextum, & connexionem pedum, vt versus ac metra, postularent, nec tamen aut versus, aut metra essent, aut oratio soluta; non solum Augustinus ostendit docens, quos pedes reciperent, quos non reciperent; sed grammaticorum quoque adstipulatio declarat; qui etiam, quo modo fieret, quadamtenus indicarunt. Terentianus certe, grammaticus eruditus, cum de hexametro heroico loqueretur, & in eo frequentem inueniri Dactylum ostenderet, ita inquit,

Hoc sat erit monuisse, locis quod quinq; frequenter
Iugem videmus inueniri dactylum:
Sed non & sextum pes hic sibi vendicat vnquam,
Nisi, quando rhythmum, non metrum componimus.

Ex quibus verbis liquet rhythmum dactylicum ita componi solitum, vt sex locis Dactylus poneretur. Martianus quoque quatuor rhythmorum genera aperuit, æquale, duplum, sequiplex, & epitriton: & quamquam breuiter & obscure, tamen quo modo fieri soleant, ostendit. Quintilianus libro nono reprehensum dicit a quibusdam fuisse M. Tullium, cum dicit hoc

hoc totum constare numeris, & Demosthenis fulmina numeris contorta ferri, quod orationē ad rhythmum alligare videretur. ac si de hoc rhythmo loqueretur, eum non posse defendi ostendit, & se quoque ab illo dissentire profitetur. Diomedes quoq; in tertio libro, Neq; rhythmis, inquit, neque metris oratorem vti decet; nè non dicere, sed carmen canere videatur. atq; idem non ita multo post, cum Amphibrachum ante Trochæum in clausula recte poni dixisset, & eius rei exemplum posuisset, Venite mecum; statim adiecit, quod hæc clausula in rhythmum cadit. quibus verbis ostendit hanc clausulam, et si tolerari possit, sibi tamen non placere, quia in rhythmum cadit, nimirum non oratorium numerum, sed hunc prope poeticum intelligens. Verum quoniam eiusmodi rhythmorum exempla apud doctos, quod sciā, nulla reperiuntur; & res sine exemplis difficile potest intelligi: non pudebit in gratiam discere volentium, ea quoque, quæ indocto sæculo scripta sunt, excutere: vt, si non possumus, quod quærimus, aliquid saltem simile eruamus. Quidam igitur, multæ lectionis homo, cum musicā in harmonicam, rhythmicam, & metricam diuisisset; rhythmicam esse dixit, quæ paritate syllabarum æquiparem reddit lectionē. quæ definitio, si rem non plane distinguit, illud saltem ostendit, rhythmos, a quibus musica rhythmica vulgo dicitur, esse in syllabis, & illis quidem numero paribus, e quibus, vt illius verbo vtar, æquiparantia lectionis oriatur. Alius, vt videtur, paulo eruditior, ita

defi-

definiuit. Rhythmus est certus syllabarum numerus, sine dimensione temporum, in quo consideratur paritas syllabarum, & concentus in fine distinctionum quod in metro non fit. exemplum vero hoc ponit,

Quisquis studet sari verum,
Bonum lætus bibat merum.

hæc definitio multo iam plenior est, & apertior. non solum enim certo syllabarum numero constare membra, & similiter aut cadere, aut desinere declarat; sed illud quoque addit, in hoc genere, vtrum breues, an longæ sint, non considerari: id enim, vt opinor, est, quod ait, sine dimensione temporum. totamque rem appositio exemplo satis explicat. ea porro membra, nec versus esse, nec metra, res ipsa satis ostendit. carent enim commatibus; & nulla certorum pedum ratio habetur: neque saltem ex ijs rhythmis esse possunt, quorum rationem ex Augustino superius tradidimus; cum nullius omnino legem seruent. superest, vt rhythmi tantum sint ex eorum genere, quorum in sacris literis exempla esse, & inde ductos vulgares rhythmos, iam antea diximus. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, satis apparet, præter versum, metrum, in canticis, quæ ex dictionibus constant, duo esse rhythmorum genera, alterum in quo solum par syllabarum numerus, & finis similitudo exigatur; longitudo, aut breuitas syllabarum non consideretur; sublationis, & positionis ratio, atque ordinis in pedibus dignitas negligatur; cuius exempla, vt semel, atque iterum iam diximus, non in latina modo lingua, sed in barba-

bara quoque sint omnibus notissima: alterum, quod quosdam pedes, vt ex Augustini, & Martiani auctoritate ostendimus, admittat, quosdam repellat. cuius exempla nulla adhuc inueni, fieri posse tamen video. & fortasse non imperite dixerit aliquis notissima illa esse rhythmorum exempla, ex Pyrrhichijs quidem, Perit, abit animula: ex Iambis, Deus Deus meus: ex Trochaïs, Lucet alma luna: ex Anapæstis, Venit optima Calliope: ex Dactylis, Indue pallia serica: ex Palimbacchijs, & quos superius quoque posuimus, Bacchare, latare, præsente, Frontone. nullum enim horum exemplorum habet vel commata, vel pedes alios, quam rhythmo suo congruos. Verum, vtcunque se res habent, & versus, & metra, & hæc omnia rhythmorum genera ab oratoria dictione sunt amouenda: nec committendum, vt orator canere potius, quam loqui, aut dicere videatur. neque tamen suo numero fraudandus est. quod vt aptius fieri possit, videndum nobis tandem est, quid sit rhythmus oratorius; deinde, quo modo fiat: vltimo loco, quis improbetur, quis laude dignus habeatur. Primũ igitur, vt a veterum, & doctissimorum hominum auctoritate ordiamur; Aristoteles in tertio de arte rhetorica libro, cum eam solutæ orationis formam, quæ nullis per se terminis clauditur, sed vagatur, quasi dissolutæ oratoribus aptam non esse dixisset, quia insuauis esset, & percipi facile non posset; adiecit, oratoriam dictionem terminari oportere non metro quidem, sed aliquo fine iucundo. cumq; eum finem vel-

let

let ostendere, hæc ad verbum adiecit: Φαίνεται ἀριθμῷ πάντα. ὃ γὰρ ῥήματος καὶ λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμὸς ἔστιν. quibus verbis cuncta res affirmauit finiri numero; qui a Græcis ἀριθμὸς dicitur; eum autem numerum, quo orationis conformatio finitur, rhythmum esse. & quoniã vir bene doctus non ignorabat & versum, & metrum, & cantica poetarum rhythmos esse, ac vocari, ab eisq; oratorium hunc rhythmum separandum putabat; huius ipsius segmenta esse dixit metra, metri nomine comprehendens & versus, & omnia poetarum cantica: qua arcta, & exquisita quadam ratione, & ordine pedum continentur. quibus quasi vinculis oratoriam dictionem eximens ait: ῥυθμὸν δὲ ἔχειν τὸν λόγον μέτρον γὰρ ὅλον: ποίημα γὰρ ἔσται: ῥυθμὸν δὲ μὴ αὐστηρῶς. οὕτω γὰρ ἔσται, ἐὰν μέχρι τοῦ. quibus verbis aperte ostendit, orationem rhetorum non metro, sed rhythmo oportere concludi, & illo quidem non exquisito, & astricto, sed remisso, & laxo, ac soluto lege, ita tamen, vt quadamtenus rhythmi vim obtineat. itaque si libeat, ex Aristotelis sententia posßu iure dicere, numerum oratorium esse rhythmum quendam non exquisitum, neque canorum, qualis est in poematibus, & canticis, sed ita dißimulatum & latentem, vt tamen sentiatur, & orationem iucundo fine concludat. Marcus autem Tullius, quamuis ne ipse quidem hunc oratorium numerum subtiliter, & accurate definiat, tum alijs locis, tum in Oratore ita loquitur, vt facile intelligas eum sensisse, nihil aliud

lind esse numerum, quam modum quendam oratiõ
nis e permistis, & confusis pedibus, e temporum,
quibus constant, apta ratione nascentem. nam cum
de pedibus, deq; Aristotelis, & Theophrasti super ea
re sententia, de Ephori errore multa dixisset; de hoc
numero quid ipse sentiret, expressit his verbis. Ego
autem sentio omnes in oratione esse quasi permi-
stos, & confusos pedes. nec enim effugere possemus
animaduersionem, si semper ijsdem vteremur: nec
numerosa esse, vt poema, nec extra numerum, vt
sermo vulgi est, debet oratio. alterum nimis est
vinctum; vt de industria factum appareat: alterum
nimis dissolutum; vt peruulgatum, ac vulgare videa-
tur: vt altero non delectere, alterum oderis. sit igi-
tur, vt supra dixi, permista, & temperata numeris,
nec dissoluta, nec tota numerosa, Paane maxime,
quoniam optimus auctor ita sentit, sed reliquis etiã
numeris temperata. Quintilianus autem libro nono
ita definit, Numerus oratorius est ea, quæ efficitur e
pedibus æqua conclusio. atque addit, hanc æquam
conclusionem ita numerum oratorium dici, vt en-
thymema rhetoricus syllogismus dicitur: propterea
credo, quod vt enthymema, quamuis imperfectus sit
syllogismus, tamen pro syllogismo perfecto apud rhe-
tores accipitur; ita oratorius numerus, qui apud po-
etas imperfectus esset, oratoribus vim perfecti nume-
ri præstat. Petit idem auctor a lectoribus, vt, quotiesc-
unque numerũ in oratione esse dixerit, de hoc ora-
torio rhythmo loqui se intelligant. difficiliorem vero

esse

esse dicit pedum rationem in oratione, quam in versu: quod non solum ille paucis continetur, hac longiores sæpe habet circuitus; sed quod versus sibi semper similis est, & vna ratione decurrit; orationis compositio nisi varia est, & offendit similitudine, & affectatione deprehenditur. Longinus rhetor metri spiritum, Aristophanis interpres metri patrem esse rhythmum dixit. Plutarchus, vt symphoniam grauis, & acuti soni concordiam, ita rhythmum celeris, & tardi motus dicit esse consensum; sed hunc motum, cum in oratione consideratur, breuis & longi appellationem accipere, in reliquis omnibus, vt superius quoq; diximus, celerem & tardum vocari. Inuenietiam rhetorem non plane indoctum, qui hunc numerum cursum orationis vocaret, & in velocem, & tardum, planum, & asperum diuideret. Sed iam satis, vt arbitror, ostensum est, quid sit numerus oratorius, & quo modo illum ab alijs distinxerint viri doctissimi. videbimus nunc etiã, quo modo fiat. sed prius admonendus mihi lector est, ne, quia etiam verborum iunctura, & concinnitate orationẽ fieri numerosam legit, a nobis quoque expectet, vt de his rebus verba faciamus: sed meminerit, nos illud modo suscepisse, vt de hac vna, quæ ad pedes numerorum pertinet, parte tractemus; cum reliqua omnia, quibus elocutio perpolitur, ab optimis dicendi magistris ita videremus explicata, vt ea nemo non posset intelligere; hanc vero partem hactenus ita tractatam, vt fere omnibus adhuc obscura videatur. De hac igitur ita loque-

quemur, vt, nisi cum rerum similitudo ac vicinitas coegerit, a proposito semel suscepto non recedamus. Numerus igitur oratorius ex omnibus pedibus, in quibus prior pars aut æqualis alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui maior inuenitur, gigni potest, ac solet: quod & Cicero affirmat, & vsus, ac ratio ipsa demonstrat. quo fit, vt plurimis modis variari possit; cur varia illum tot pedum iunctura subinde commutet. itaque in eo maxime differt a metris, quod metra, quæ primigenia, & simplicia dicuntur, plerique nouem tantum generum esse affirmant, nec ex omnibus, sed ex certis quibusdã pedibus singula dicunt esse contexta. rhythmus quoque ille prope poeticus e certis quibusdam, & inter se concordibus, vt superius ostensum est, pedibus, non ex omnibus fieri solet. itaque & metra, & rhythmi isti poetici ab eo pede nomen accipiunt, qui in ipsis principatum tenet: vt cum Iambicum, aut Trochaicum metrum, rhythmumve appellamus; & in eodem genere a principio ad finem carminis ita perseueramus, vt ne vnica quidem syllaba sit vsquam titubare concessum: vt, Arma, virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris: Ibis Liburnis inter alta nauium amice propugnacula: &, Miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci mala vino lauere. At hic oratorius in his, quæ media sunt, negligentiam ferre, atque interim etiam amare consueuit: in principijs modo, & fine diligentiam requirit: & in singulis prope clausulis mutari non solum potest, sed etiam debet. in quo illud mirũ

videri solet, quod, cum horum numerorum compa-
sitio longe liberior sit, & magis obuia, quam versuũ,
atq; adeo exposita, vt ipsi sese pedes vltro offerre vi-
deantur; multo oũ indulgentior his sit dicta lex, quam
aut versibus, aut metris, aut rhythmis illis ab Augu-
stino expressis, aut ecclesiasticis, & vulgaribus illis
notissimis; eos tamen & difficile sine aliquo errore
componas, & in orationibus. ac scriptis non sine lon-
go labore dignoscas. quod tu minus mirabere, quo di-
ligentius consideraris, versus eos, quorum lex artifi-
ma est, nõ sine magno labore fieri, & nullo negotio
soluta oratione discerni: quales sunt endecasyllabi
Sapphici, & vna syllaba longiores Choriambici. as-
clepiadei, & in elegiacis pentametris posteriora com-
mata. quis enim tam rudi, & indocta aure, si quis
forte audiat Horatiana illa:

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuuenes proterui.

Aut illa:

Hunc si nobilium turba Quiritium
Certet tergeminis tollere honoribus.

non ex ipso statim sono versus esse intelligat? nec ve-
ro quisquam tam auersus a musis est, qui simul at-
que audierit, poetica commata esse non dicat hec,
Pallida semper eram; Pendula tela manus: vel, Ra-
pibus ingemuit; Pressit amor pedibus; & quæ cum il-
lis similia sunt. Quis porro id genus carminis, vbi se-
mel cœperit, non facile componat? cum ipsa nume-
ri similitudo animum nescio quo modo ad se trahat;

atq;

atque eadem, & illa quidem recta via progredi sit procliuius, quam vago errore trahi, & huc atque illuc diuertere. At contra, si quos ex his versibus, quorum quæuis propemodum sedes variorum aliquot pedum capax est, continuata serie legeris; maiorem partem audientium ita fallas, vt solutam orationem, non versus legere videaris. quoties enim quisque est, qui versum audire se putet, cum audit, Heri aliquot adolescentuli coimus in Pireo? vel illud, Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat, vti se aspicias; deinde, quod scriptum est, legas: vel illud notissimum, Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. ipsa enim pedum varietas audientis animum vagari, & errare sæpe compellit. quod in soluta multo sæpius oratione contingit: in qua non quatuor aut sex, sed omnes prorsus sunt quasi pernisti ac confusi pedes. Quid igitur, dicat aliquis, post tam multa verba tandem faciemus? aut quonam denique modo numerorum, quos quærimus, cognitionem, atque vsum consequemur? pergendum, qua semel cœpimus; vt omnium opem in re proximorum sæculorum negligentia destituta, atque ideo obscurata, imploremus, & neminem prorsus eorum, vnde sperari aliquid auxilij possit, contemnamus, in primis tamen e Græcis Aristotelem, Demetrium, & Dionysium Halicarnassæum, e nostris Quintilianum, & ante omnes M. Tullium sequamur, quasi ducem; quem & artis musicæ studiosum fuisse legimus, & subtilius, atque vberius, quam alium quen-

quam, de numerorum ratione conscripsisse nouimus. verum, vt eruditus, & ætati suæ vicinus hominibus satisfecit; ita rudes, & indocto sæculo natos prope destituit, neque tamen vsque eo, vt non ex eius scripiis multa vel huius facultatis adiumenta, vel nostra saltem imperitiæ solatia possimus inuenire. igitur quærentibus, quis demum sit numerus oratorius, libera voce respondet, omnem. perinde ac si aperte diceret, nihil referre, quo genere pedum numerum conficias; cum omnes pedes, vt Fabius quoque affirmat, & ratio manifesta declarat, ad aliquem numerum sint accommodati. Verum, quoniam idem Cicero subdit, ex omnibus alium alio meliorem esse, atque aptiorem; operæ precium fore arbitror, vt diligenter quæramus, quænam sit hæc distinctio, & quinam tandem sint isti meliores alijs, & aptiores; atque, vbi inuenerimus, illis potissimum vtamur; deteriores, si non penitus ablegare possumus, quia passim sunt obuij, certe, quod possumus, rarius adhibere tentemus. Primū igitur, cum tantus ille orator, ac dicendi magister nos moneat, ne minutos numeros sequentes, concidamus, delumbemusq; sententias; & nulli possint esse minutiores numeri, quam qui ex omnibus constant breuibus: vitandi erunt Proceleumatici, vitandi Pyrrhichiaci, vitandi Tribrachici. sunt enim omnium prorsus minutissimi. quos et si quantitas syllabarum continenter breuium ita confundit, vt alij ab alijs secerni facile non possint; diuersitas tamen diuisorum in sublationem, ac positionem temporum sta-

statim detegit. nam si, exempli gratia, duodecim breues syllabas sumpseris, non aliter quam plausu dijudicare possumus, sex Pyrrhichij, an quatuor Tribrachi, an tres sint Proceleumatici: verum, vbi vocem tollere ac deprimere, temporaq; in arsin, ac thesin diuidere cœperis, si singula singulis tempora respondebunt, sex Pyrrhichios; si bina singulis, quatuor Tribrachos, si bina binis, tres Proceleumaticos esse intelliges, proportione quidem in Tribracho Sesquipla, in Proceleumatico, & Pyrrhichio æqua. Verum, quoniã numerus adeo licenter vel procurrit, vel subsistit, vt temporũ, ac syllabarũ multitudine sit tum par versibus, tum minor, tum longior: de eo maxime, qui versu minor est in oratoria dictione, ita sciamus esse considerandum, vt semper meminerimus, pedes retrorsum ab vltima clausulæ syllaba, neque plures tribus, neque pauciores duobus dissyllabis excipiendos esse: in quibus præcipue numerus hic, de quo loquimur, oratorius obseruari solet: non quia præcedentia quoque, ac præsertim initia non debeant esse aliquo pacto numerosa: sed quod illud sine vllæ propemodum nostræ cura sit. (quid enim obstat, cur non fiat? cum ex quibuslibet pedibus vtcunque positis fieri possit) in extremis autem nisi cura est adhibita, vt aliquanto melior sit numerus, ac suauì quadam pedum iunctura, & ad versum latenter accedente claudatur oratio; audientium quamuis indoctorum sensus offenditur. Cauebimus igitur, ne multæ breues syllabæ orationis sensum terminent:

quale est ea, quæ, amat, habet, &, animus, habet. nam continuatio breuium nimis concisos, & tremulos reddit sonos, & poeticum rhythmum, quem vitare debemus, efficit. Qua ratione ductus Aristoteles Iambum, & Trochæum, ab oratoribus vel abiegauit, vel certe parum frequentes adhiberi iussit; quod minutiores ac celeriores, quam par esset, viderentur, & Iambum quidem vulgarem, & aptum sermonibus putauit: Trochæum nomine, prope dixerim, ignominioso, κορδακικώτερον nuncupauit, & lasciuis saltationibus aptiorem, quam seuerè orationibus iudicauit. verum hi quoq; tam frequenter in sermonem incidunt, vt non modo imperiti in Iambicum & Trochaicum metrũ passim incidant, sed ne summi quidem oratores integros trimetros, vel Iambicos, vel Trochaicos euitare potuerint. nam & Hieronymus peripateticus multos in Isocrate reprehendit; & Latini Rhetores quosdam apud Ciceronem notarunt: ideoq; factum crediderim, vt Asiatici, cum hospedes vix euitari posse cernerẽt, duobus Trochæis orationem claudere pulchrum putarint; & Asianos æmulatus Cicero membra, & periodos Ditrochæo frequentissime clauserit; Iambicum vero numerum, vbi celeritatẽ orationũ opus fuit, nemo contempserit. Illud modo vitandũ, ne frequentius, quam par sit, admissi fastidium afferant. sunt enim adeo insignes illorum percussiones, vt eas quiuis facile dignoscat. neque hic modo, sed vbique parendum Ciceroni, monenti, ne in eodem genere numerorum se

ne vlla mutatione versemur: qui etsi laudabiles sunt, tamen non sine fastidio continenter repetuntur. Ex trisyllabis Amphibrachus ijs rationibus, quas iam antea expressimus, a numerorum contextu arcetur. & quoniam de ijs numeris dicere cœpimus, qui solutæ orationi minus apti esse dicuntur; diligentes agricolas, qua parte possumus, imitemur, & vt illi prius, quam serant, sensibus, & noxijs graminibus arua liberant, atque ita fore sperant, vt semina præculto solo commissa, vberiori fruge læta consurgant: ita nos discentium ingenia ijs, quos eruditi notant, erroribus qua possumus parte purgemus: vt disciplina rectiori instituta præceptis, numerosæ orationis laude felicius eniteſcant. Non solum igitur versus integri, sed hemistichia quoque fugienda sunt: non quod ibi mali numeri sint, sed quia nimis manifesti, nec oratori, sed poetis vtiles. illa tamen adhibenda distinctio est, vt versus quidem integros vbique vitemus; hemistichia vero, quibus claudi versus solet, in fine vel commatis, vel membri, vel periodi fugiamus. nam in Bruti epistola reprehensum illud est a rhetoribus, Dicunt placuisse Catoni. Rursus vero, quæ priorem partem versuum implere solent, in membrorum, aut commatum principijs deprehensa culpantur. sic certe reprehensum Liuium nouimus, quod historias scripturus in heroicum hemistichium primis statim verbis impegerit. sic enim in præfatione legunt: Facturusne operæpretium. minus autem vitiosum fore dicunt, si in orationis solutæ princi-

pȳs, finem versus, in clausulis principium locauerus. Sed & illud sciendum, tum versus ipsos, tum hemistichia tanto vitiosius inseri, quanto notius fuerit id versuum genus, vnde sumuntur. nam qui laxatis modulis in sermonem prope soluuntur, facillime latent; vt comicorum dimetri senarij, & quadrati. Verum nos omnes prorsum versus, si licuerit, sed heroicos in primis, & elegiacos, & endecasyllabos omnes, ac præsertim Sapphicos, & si quos præterea vulgo notos existimabimus, diligenter cauebimus. insignes enim istos & poeticos clausularum plausus, adeo refugiendos putarunt, vt Quintilianus euitare nos velit in clausulis non ea modo pentasyllaba, in quibus Dactylus Spondeum præcedit, & finem heroici versus, ac metrum Adonicum facit, INSONVERVNT; sed ea quoque, quæ vel Creticum, vel Tribrachum Spondeo præponunt; qualia sunt, ARCHIPIRATAS, BALNEATORI, FACILITATES, TEMERITATES. nimis enim mollem eiusmodi clausulam indicat. Quin idem duos Spondeos in vna, vel in duabus dictionibus vitandos duxit; qualia sunt, CONDEMNARVNT, aut, ANTENNARVM, &, NOSTROS CVLPANT. nam ex tribus vocibus compactos Spondeos duos non contempserunt: propterea credo, quod apud Crassum legerant, Cur de profugis nostris copias comparant contra nos? quin vsque eo processerunt, vt Dactylo non Trochæum modo, qui

qui dissimilis plausui est, sed Spondeum quoque, quē paritas temporum, ac similitudo plausus prope inuitat, male præponi in clausula dixerint. Anapæstus quoque, vel Bacchio, vel Spondeo præcedente, culpatur, vt, Vbi libido dominatur, leue innocentiae praesidivm est: &, In calamitate de SPONDENT ANIMOS. clausulam enim mollem, & versui similem eius modi pedum iūcturis fieri crediderunt. Quin Pæan quoque ille quartus, in clausulis ab Aristotele laudatus, in oratione Quintiliano displicet, nullam aliam ob causam, nisi quod Anapæstus propemodum sit vna tantum syllaba longior: eundem vero aptum philosophorum sermonibus non negat. Trochæo etiam præcedente, vt, NOSTRA FACILITAS. &, ne quid fileam, quod vsquam legerim, fuere, qui, cum vellent ostendere, quæ in clausulis vitanda essent, hunc ordinem sequerentur, vt de monosyllabis primum, mox de dissyllabis, vltimo loco de trisyllabis tractarent. eas igitur ij clausulas improbarunt, in quibus vnius syllaba vocem vltimam vel breuem breuis, vel longam longa syllaba præcederet: vt, res MEA SIT, & eum priuare vi TAVIS: at, si contra fiat probant. In dissyllabis etiam multo plura reijciunt, & in primis Spondeum, & Iambum, vt, si dicas, SERVOS TVOS: Spondeum, & Pyrrhichium, vt, CONSVLVIDET: Iambos plures, vt, PARENTIBVS SVIS: Pyrrichios duos, vt, BONA MEA: Pyrrhichium, & Trochæum, vt, conqueritur

SVA FATA: Pyrrhichium, & Spondeum, vt imputet SIBI DEMENS: Trochæum, & Iambum, vt, omnia NEMPE VIDES: Trochæum, & Pyrrhichium, vt, aspice FACTA MEA. in quibus vt ab vltimis ad prima recurramus, nemo non intelligit elegorum commata esse, Omnia nempe vides, Aspice facta mea: illa vero, Imputet sibi dement. Conqueritur sua fata, posteriora Priapei carminis hemistichia esse: Bona mea, Pyrrhichios duos: qui negliguntur propter nimis minutas percussiones, & rhythmum, vt diximus, poeticum: Parentibus suis, Consul videt, fines esse Iambicorum. In trissyllabis ab eisdem repellitur Molossus præcedente Spondeo, vt, in RVPES INCVRRVNT: credo quia hexametri versus comma esse suspicantur. Pyrrhichio quoque præpositio culpatur, vt, MARE PROPELLVNT. Quin etiam, si, vltima Molossi in duas breues soluta, Ionicum a maiori facias, numerum tamen improbant, vt, ad meas CAPSAS ADMISERO. Nam, quod Bacchium præcedente Trochæo respuunt, quis miretur? cum videat, & Adonica esse metra, & fines hexametrorum, LITVS HERILES, SENTIT AMORES? desunt, qui Trochæum præcedente Amphibrachio improbent, & dicant in poeticum rhythmum cadere. VENITE MECVM, DOLETE CASVM. Ex eodem Trochæo, si præcedat Anapæstus, aut Tribrachus in eadem dictione, nimis mollem fieri clausulam putant, vt, PARICIDARVM, & FACILITATIS, aut AGILITATIS. idem fie-

putant, si Trochæus Anapestum procedat, vt, TOLLIT ANIMOS VICTOR HVMILES. Atque hi quidem de ijs pedibus, qui syllabis quatuor cõstarent, nullam prorsus mentionem fecerunt, propterea credo, quod nullum pedem tribus syllabis longiorem putarunt. Quidam omnes voces multarum syllabarum improbant, ac nimis fluere aiunt, vt, Excogitaueritis, Arbitrabimini, & quæ eiusmodi fuerint. Quæ ego omnia in vnum locum cogenda, & oculis subijcienda iudicaui, vt, qui legent facilius, si libuerit, ea possint euitare. Illud sane vt illuer monent, non esse continuandos pedes: e quorum continenti serie tum rhythmi poetici, tum versus etiam fieri possint: quales sunt Iambi, Trochæi, Dactyli, aut Anapæsti. Nam, qui vel e breuibus, vel e longis omnibus constant, præter ea, quæ diximus incommoda, hanc insuper afferunt Molestiam, quod eiusmodi numeri, si ex omnibus longis fuerint, æquo tardiores, si e breuibus, iusto celeriores sint, necesse est. quin si maxime sint ex pedibus longa, breuique temperatis, ipsa tamẽ cõtinuatio vel similitudinis tædiũ, vel affectationis inuidiã parit. Par fere huic vitio vitiũ fuit Heroclis, & Meneclis, qui copia, & facultate laudati, tamen, quia omnia eodẽ propemodũ fine claudebant, reprehensionẽ effugere nõ potuerunt. Reprehẽditur etiã numerus strepitu quodam heroico intumescens, & quasi confragosus, ac vastus. Sed vel in primis reprehẽdi iure possũt fracti, & incõcinni numeri, & in abiectũ genus incidentes: qui fieri solent, cũ,

nulla

nulla periodo interiecta, cæsim omnia, membratimque dicere gaudemus. quod vitium fere nascitur, vbi crebris, & nudis, ac breuibus sententijs scriptor vel sibi ipsi nimis placet, vel alijs ineptam quandam subtilitatem ostendere lætatur. quo vitio apud Græcos laborasse Egesiam legimus. nec quærentibus apud alios exempla deesse possunt. eam nos culpam vitabimus, si pro rerum, ac sententiarum ordine, nunc breues, nunc longas periodos incisis, ac membris interponemus. quod non difficile fuerit, si nonnullis putabimus nudas, & affectatas sententias ostentare, sed illarum quoque rationem, vel vnam, vel plures, iustis membrorum spatijs comprehendimus, &, vt res exigere videbitur, in orbem suum redigimus. Nec vero minus reprehendendum, quod multi studio compositionis, & ostentandi numeri affectatione, verba de loco suo violentius, quam par sit, auferunt, & in alienū adeo turpiter traiciunt, vt omnes affectationē illam odiosam ridere merito debeant, in quod vitium incurras, si tritum illud. Hunc librū ad te L. Aeli misimus, traiectione nimis absurda sic mutes, vt dicas, Hunc ad te librū Aeli misimus, Luci vel in finē hexametri heroici incidēs scribas, ad te Luci misimus Aeli. in quo Cœlius Antipater historiarū scriptor est a Cicerone sane perquā vrbane derisus. is enim, cum se traiecturum verba nō nisi necessario scripsisset, tamen in id vitium sæpe incurrebat. simplicem enim se, simul & insipientem probabat, simplicem, quod artem, quæ latere debet, non celaret, insipien-

sipientem, quod trita, ac iam vulgata quasi noua iactaret. Asiaticorum quoque loquacitas, vel impudentia potius fugienda: qui nimis compositioni seruientes, inania quædam verba, quasi complementa numerorum, inculcabant, nec, quid dicerent, attendebant, modo numerum complerent: cum cauendum vbique sit, Ne quid nimis: idque in oratione vel in primis fieri oporteat: vbi, si quid pueriliter redundarit, vix ferri possit. Hæc igitur, quæ iure ab omnibus reprehenduntur, animo sæpe repetemus, &, quantum suscepta materiæ ratio feret, euitabimus, dum sciamus, ea, quæ ad pedes, & syllabas attinent, leuiora esse vitia, quam vt magnopere formidari debeant. Demosthenes certe, ac Cicero ita numerose locuti sunt, vt subtiliorem istam, & nimis anxiam obseruationem temperasse potius, quam non intellexisse videantur. Illa igitur potior cura adibeatur, vt ijs numeris, qui communi omnium consensu laudantur, assuescamus, nec tanta sit solicitudo effugiendi leuiusculæ istæ vitiæ, quanta, vt, quoniam penitus euitari vix possunt, virtutibus illa compensemus, vel magna saltem ex parte contegamus. vt enim, quod ad mores attinet, vitijs nemo sine nascitur, & optimus ille est, qui minimis vrgetur: ita in hac ratione numerorum, minuta illa vitia, quæ sese crebro vel imprudentibus, vel inuitis ingerunt, post Gorgiam, & Isocratē penitus effugere nemo magnopere curauit. Maiora illa, & quasi capitalia facinora omnes cura summa refugerunt, ne in versum frequenter incederent,

vent, ne verba nimis importune, & pueriliter trajicerent: ne inania, & otiosa verba, quasi rimas explentes, interponerent: ne minutis numeris sententias concluderent: ne sine commutatione versarentur in eodem genere numerorum: neue, contempta varietatis gratia, vno modo vel omnia, vel multa concluderent: ne membra, & comprehensiones frequenter iusto fine fraudarent: denique ne aut parum plena essent, quæ proposuerant, aut redundarent: quæ peccata adeo sunt insignia, vt quiuis illa dignoscere, pariter & declinare possit, ac debeat. Satis iam demonstratum arbitror, quid sit numerus ille, qui ἀριθμὸς dicitur: quid porro ille alter, qui ῥυθμὸς nominatur: deinceps, quam multa & qualia sint eius genera, & in ijs quodnam tandem, & qualis illud, quod oratores sequuntur: tum vero, quibus oratorius numerus pedibus, & qua ratione gignatur: quid, quantumque a cantorum & vulgi rhythmis, quid a metro denique, & versu differat: quique ex oratorijs numeris deteriores, & improbati: qua, & quam multa orationis numerosæ sectatoribus vitia fugienda. proinde iam ad virtutes, & meliores, vt promisimus, numeros transeamus.

IOVITAE

IOVITAE RAPICII, DE NVMERO ORATORIO, LIBER SECVNDVS.

SED quoniam, vt laboriosius, ita pulchrius est, laudem mereri, quam culpa vacare: pergamus, atque aperte simul & breuiter explicemus, quonam demum pacto numerosæ orationis laude digni esse possimus. Totum igitur hoc, quod in oratione numerosum dicitur, Aristoteles e pedibus confici proculdubio iudicauit, quibus & ipsa subnixa inoffenso gradu procedant, & adiutæ periodi iucundo fine claudantur. Dionysius Halicarnasseus & Tullius id non in pedibus modo, sed interdum in schematibus quibusdam, interdum etiam in sola vltimarum in membris syllabarum concinnitate consistere crediderūt. Hermogenes numeros oratorios orīri ex membrorum compositione clausulaque contendit, & nomē putat abeo pede ducere, qui fuerit in clausulis & tota mēbrorum cōpositione frequentior. Nos de tota bene dicendi ratione, ac præsertim de omnibus elocutionis partibus, præterquā de numeris, ita & a Græcis & a Latinis scriptoribus tractatū semper iudicauimus, vt non tā nouū aliquid quærendū desiderandūue esse putaremus, quā curandū & veterū scripta recte intelligeremus. quid enim apud Græcos in hoc genere vel Aristotele docti°, vel Dionysio accuratius

vel

vel Demetrio distinctius, vel Hermogene scrupulosius? cui porro apud nos vel Ciceronis copia & eloquentia, vel Quitiliani eruditio ac diligentia, vel aliquot aliorum sedulitas non satisfaciat? adsit modo intelligendi cura, & discendi desiderium. itaque subit interdum tacita quædam miseratio eorum, qui tam apertos fonteis, tamque veres lacus fastidiunt, & exclausis riuulis, & arentibus lacunis, quod opus est, haurire tentant, vnde nihil nisi exiguum, & illud ipsum etiam turbidum haurire queant. quod non ideo dicimus, vt eorum, qui nostro seculo scripsere, commentarios vel de tota arte vel de elocutione, e manibus hominum excutere tentemus, sed vt omnes ad veterum scripta diligentius perlegenda excitemus, simulque etiam amicos hortemur, vt eloquentiam ab ijs potius discant, qui re vera eloquentes fuere, quam ab ijs, qui tradendis eloquentia præceptis mira quædam pollicentur, scribendo infantiam suam consitentur. itaque cum de iunctura, concinnitate, ac schematibus ad oratorium rhythmum, vt magni auctores putant, pertinentibus, hoc loco non sine iusta causa tractare possemus: facere tamen id noluimus: sed studiosos hortamur, vt ea discant auteribus, qui de verborum electione, de iunctura, de sono, de antithetis, de similiter vel cadentibus vel desinentibus, de paritate, vel quasi paritate membrorum, & alijs ad banc rem facientibus non minus dilucide quam copiose tractarunt. ab illis igitur sument, quæ vtilia esse intellexerint. Nos ea tantum,

quæ

quæ ad oratorij numeri pedes atque vsum pertinent, quia magnis videbantur tenebris obuoluta, ab antiquis non satis explicata, a recentioribus prope neglecta, a paucis prorsus intellecta, vt cũque possumus explicare tentamus: itaque ad euoluendum quod nobis ipsi pensum sumpsimus alacri animo redimus, de ijs numeris iam locuturi, quos bene dicendi magistri & auctores grauissimi comprobarunt, & quasi meliores atque oratoribus aptiores obseruandos iudicarunt. Verum, vt ab omnibus tota res percipi facilius possit: quoniam modo id ab antiquis rhetoribus obseruatum, & quo pacto in consuetudinem sit adductum, paulo altius repetam: quod facturum me, priore libro promiseram. Quamuis igitur (vt iam inde ab horum librorum initio diximus) naturæ ratio, numerum esse quauis in oratione, demonstret: is tamẽ numerus, quia nullis artis musicæ lenocinijs erat expolitus, delectare nõ poterat audientes, ac ne oratorij quidem numeri nomine dignus putabatur. illũ enim qualiscunque syllabicorũ pedum iunctura procreabat. nam cum nihil possent homines loqui, nisi quod verbis constaret: verba porro ex syllabis essent: atque hæ seu binæ, seu ternæ, seu plures iunctæ varij generis pedes constituerint: sequebatur necessario, vt quorumuis pedum ordo ac iunctura numerum aliquem faceret: is tamen non, nisi casu quodam raro, auditu poterat esse iucundus: quippe qui nulla esset arte constitutus: nec sæpe contingeret vt aptus esset. itaque huiusmodi sermones diu nemo literis

committendos putauit: cum tamen poemata etiam ante Troiana tempora multi scripsissent. quod non ob aliam, vt arbitror, causam factum est, quam quod imperitas etiam aures ita mulcebat poeticus ille concentus, vt eam modo orationem, quæ lectis & præfixis pedibus molliter flueret, scriptione dignam iudicarent. contra vero solutum sermonē tum Cadmus Milesius, tum Pherecydes & Syrus multis post annis primi conscripsisse dicuntur. Legebantur igitur, & audiebantur carmina non sine mira quadam voluptate: quod vel Iambis, vel Trochaïs, vel etiam Heroicis pedibus certo quodam numero, ac ordine contexta, blandos, & plausibiles edebant sonos. Oratio autē soluta, quæ nullas id genus illecebras adhuc receperat, cum seueritate quadam ac tristitia incepti videbatur itaque, vt superiori quoque libro diximus, Thrasimachus Chalcedonius, & Gorgias Leontinus, & post illos Gorgiæ discipulus Isocrates poetas imitati, numeros quosdam paulo iucundiores orationi ita iunxerunt, vt concentus nō quidem ille poeticus, sed iucundus tamen, & nescio quid poetico simile habens, audientium fastidia tolleret, & animis ita quiddam nouæ voluptatis afferret, vt adhuc oratio soluta quidem, non tamen errans esset atque ga quod ipsum quo modo factum sit, facilius intelligemus, si eorum versuum, quos optimos putauit antiquitas, naturam ac rationem intuebimur: &, quo modo ab initio facti sint, quo modo postea paulatim vitiari, & in solutam prope orationem redigi potuerint,

vint, considerabimus. Quod ad naturam igitur primam, eorum compositionem pertinet, Terentianus, artis metricæ scriptor longe peritissimus, Iambicum senarium, & hexametrum Heroicum in illa Apollynis aduersus Pythonem demicatione, cuius nomen Pollux in partes quinque distinguit, ortos asserit: & illum quidem ex adhotantium celeri sono sex Iambos, hunc ex metuentium lentis vocibus sex Spondeos accepisse prodit. Proinde Iambicos senarios ab initio tales fuisse credēdum est, quales illi sunt ex continuatis & solis Iambis Catulliani.

Quis hoc potest videre, quis hoc potest pati?
Nisi impudicus & vorax, & aleo.

Heroicos autem e Spondeis omnibus tales nimirum fuisse intelligimus, qualis Ennianus ille:

Olli respondit Rex Albai Longai.

Iambici igitur ita primum corrumpi cœperunt, vt, qui prius e sex Iambis continuis erant constituti, locis imparibus Spondeum admitterent: & vt antea singulis Iambis in arsin & thesin dupla proportione diuisis sonos ictus reddebant, & ex eo senarij dicebātur: ita deinceps, admisso in sedes imperes Spondeo, ac mutata dimensione in eas, quas Græci dipodias & συζυγίας vocant, e nostris nonnulli combinationes aut cogitationes nominarunt, ter duntaxat feriri cœperunt, & trimetrorum nomen aterna percussione sumpserunt, nec duplā, vt antea, verū etiā sesquitertiam aut æquam proportionem receperunt, Iambū tamē adhuc in posteriori singularum combinationū

parte retinentes: quod Horatius his verbis expressit.

Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus,
Pes citus: vnde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen Iambeis, cum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi non ita pridem
Spondeos stabiles in iura paterna recepit,
Commodus & patiens: non vt de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter.

Eo vero paulatim licentia progressa est, vt omnes, qui temporibus Spondeo pares essent, quanquam numero syllabarum maiores, eisdem in locis ponerentur, qui iam Spondeo patere cœpissent. Comœdiarū porro scriptores, vt personarum, quas introducebant, verba, de medio sumpta, & sermoni propiora viderentur, in dimetris, trimetris, & tetrametris Iambicis vltimam tantum sedem inuiolatam ac propriam Iambo reliquerunt: alias omnes contaminarunt, illas non Spondeo tantum, ac Tribracho sed omnibus quaternorum temporum pedibus aperientes. itaque versus ab integris & sinceris Iambis ad eos, quos cacometros Iuba vocat, transierunt: actū parum admodum a soluta oratione differunt. Hoc & in Heroicis hexametris fere contingit, si metrica artis indulgentia velis vti, & solutis, quas volueris, longis in binas breues, vt metri ratio permittit, non minus frequentes Anapæstos, & Proceleumaticos, quam Spondeos, ac Dactylos adhibeas, atque vltimam tantum sedem Spondeo propriam relinquas.

Quam

Quam ob rem cum fieri videamus, vt versus, quos expræfixo pedum numero constare, & commata sibi mutuo respondentia desiderare dictum est, ita soluantur, vt, cum versus sint, verius tamen esse non putentur: quis dubitet facile fuisse rhetoribus antiquis, non modo rhythmos illos poeticos, in quibus nec vllæ cæsuræ, nec finitus, vt in versu, pedum numerus exigitur, sed ipsos etiam versus ita laxare ac soluere, vt incisorum modo, & membrorum, ac comprehensionum principia, atque aliquanto etiam magis fines numerum aliquem non insuauem retinerent? media vero, vtcunque positis, modo non aspere coeuntibus, aut negligenter hiantibus verbis, pedibusque procurrerent? atque hoc demum pacto seueritatem, & tristitiam solutæ orationis modesta numerorum iucunditas temperaret? Cæterum cum ne sic quidem fastidiosis auribus satisfacerent, quod nec omnia, quæ tractarentur, cæsim ac membratim recte cohærere videbantur: nec soluta illa, & inelaborata verborum effusio satis delectare poterat: alio quoque remedio huic malo occurrendum putarunt. nam cũ in poetarum versibus diuersa sibi commata inuicem suauiter resonare perspexissent: & apud lyricos odas nunc vnius, nunc duorum, nunc trium, aut plerunque quatuor membrorum circuitu terminari, & summa cum voluptate audiri, animaduertissent: ipsi quoque, quod postea latius explicabimus, oratoriam periodon, vel monocolon, vel dicolon, vel tricolon, vel tetracolon, atque interdum etiam, vt quidam

dam putant longiorem excogitarunt. itaque factum est, vt orator poetas, quemadmodum sentit Cicero, imitatus, laxatis miro modo numeris variarit orationem. id quoniam quo modo & tunc factum fuerit, & hodie fieri possit, satis iam ostendimus: qua primum via pergamus: ac iam tandem recenseamus, qui meliores, & aptiores ad oratorium numerum pedes a doctissimis viris sint existimati. Primum igitur, quod nemo rhetoricæ artis vel mediocriter studiosus ignorat, Heroum numerum, Dactyli, Anapæsti, ac Spondei, ab Aristotele quasi oratoria dictioni aptissimum laudari, & aliis omnibus anteferri, multi falso putauerunt. quos in errorē traxit male perpensus, nec satis, vt opinor, intellectus Ciceronis locus in tertio de oratore libro, vbi L. Crassum de numero cum Q. Catulo ita loquentem inducit. Nam illum numeri plures: Iambum, & Trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles Catule vester: qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem seruntque nostrum. sed sunt insignes percussiones eorum numerorum & minuti pedes. quare primum nos ad Heroũ Dactyli, & Anapæsti, & Spõdei potius inuitat. Quibus verbis adducti sunt viri alioqui doctissimi, vt crederent a Cicerone, cum hæc scriberet, Aristotelis verba non satis fuisse percepta. sunt autem hæc in tertio illius de rhetorica libro posita:

Τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικός.

Putant enim Heroũ numerũ his verbis ab Aristotele laudā-

laudatū, quasi amplū, ac sonorum, & dictioni oratoriæ accommodatū: cum tamen & Demetrius Phalereus, & Dionysius Halicarnasseus, viri græcæ linguæ peritissimi, & rhetores doctissimi, hunc ipsum Aristotelis locū interpretantes, lōge aliter senserint: & Heroū numerū ita laudatum ab illo dicāt, vt tamen ab oratorū oratione remouendū censeat, vel certe non frequentandū, ob hoc ipsum, quod grādis, & sonorus, & nimis poeticus sit, atque ideo minus aptus oratoribus: quod & Cicero videtur intellexisse: qui cum reprehenderet Ephorū, quod Dactylū sequeretur, quasi alijs pedibus anteponi meretur: statim intulit: Aristoteli longe secus videri, qui iudicaret Heroū numerum gradiorē, quam desideret soluta oratio: & Dactylicū rhythmum hexametrorum magniloquentiæ accommodatiorē, quam oratoribus, esse diceret. quæ sine dubio contraria videtur ijs, quæ in tertio de oratore, vt diximus, libro leguntur: vbi ad Heroū Dactyli, Anepæsti, & Spōdei pedē inuitari oratorē Crassus affirmat. quod Petrus Victorius, bene doctus ac diligens Aristotelis interpres, curiose, vt omnia, animaduertit, & quæ hominis modestia ac verecundia est, Ciceronē tamen nō reprehendit, sed miratur potius, & quærit quānā causa Ciceronē in tantū errorē traxerit, vt sibi contraria dicere videatur. ego vero, quāuis, verba hæc inter se contraria esse, nō queā negare: Ciceronē tamē sibi ipsi contrariū nō esse, iure, vt opinor, affirmarim. quædā. n. per introductas in dialogis personas lōge aliter dicūtur, quā scriptores ipsi sentiant:

tiant: neque tamen ideo sibi ipsis contradicere auctores existimantur, sed seruare personarum, quas introducunt, decorum creduntur. nam in libris de Natura deorum multa Balbus, multa Velleius, ille vt stoicus, hic vt Epicureus, longe aliter dicunt, quam Cicero sentiat. nec tamen eius dialogi auctorem Ciceronem sibi ipsi contrariū dicemus. quod in dialogo quoque de oratore factum esse, mirum videri non debet. Quod igitur Cicero per Crassi personam dicit, Nos ad Heroum Dactyli, & Anapæsti, & Spondei pedem ab Aristotele inuitari, & eos pedes carris anteferri: non ideo dicit, quia ita sentiat Cicero ipse, sed vt decorum personæ loquentis seruetur. amauit enim Crassus membra, & periodos Heroo numero claudere: & eum numerum putauit aliis anteponendum. quod vt videretur aliqua ductus auctoritate fecisse, Aristotelis verba ad opinionis suæ confirmationem trahere poterat, aut forsan trahebat: ideoque a Cicerone hæc loquens introducitur. proinde, si quid peccatum est in verborum Aristotelicorū interpretatione: id Crassi culpa, nō Ciceronis, intelligamus esse cōmissum. gauisum autē Heroo numero Crassum si quis forte nescit, is legat, quæ de Cicero, de quadā Crassi periodo in Oratore tradidit, in hæc verba scripsit. Sequitur non longa: ex duobus enim versibus, id est mēbris, perfecta cōprehensio est, & in Spondeos cadit. ac Crassus quidem sic plerumque dicebat: idque ipse genus dicendi maxime probabat. Si igitur Crassus ita dicebat, vt in Spondeos ple-

raque

raque illius periodi caderent; & id dicendi genus maxime probabat: apparet Heroum numerum ab illo fuisse maxime probatum. Spondeus enim primus omnium pedum Herous est: & inde hexametros Heroicos primum compositos fuisse constat; vt iam antea dictum est. cum vero postea, resolutione longarum in breues, migrasse tum in Dactylum, & Anapæstum, tum in Proceleumaticum, omnes sciunt. ideoq; hos omnes in Heroicis hexametris, quasi vicarios Spondei, positos inuenimus. Spondeum vero ipsum vt principem ac dominum cognoscimus, quippe cui nullus non locus in eo versu pateat, & a sexta nunquam sede repellatur. Proinde vero suspicari possumus, ac debemus, non Ciceronem, sed Crassum Aristotelis verba aliter, quam oportebat, intellexisse, atque ideo spondeum, quasi grandem & amplum numerum, in clausulis vsurpasse. quod cum intelligeret Cicero, & Crassum de numeris disputantem fingeret; sermonem ei dedit conuenientem structuræ, qua ipsum gaudere nouerat. Potuit autem moueri Crassus, vt crederet ab Aristotele numerum Heroum approbari, quod σεμνὸν καὶ λεκτικὸν appellauit. quæ verba ita Crassus putauit intelligenda, vt σεμνὸν, grande & amplum; λεκτικὸν, dictioni oratoriæ aptum interpretari oportere. In Oratore vero, vbi non L. Crassus, sed Cicero ipse loquitur, verba illa non, vt Crassus intelligebat, sed, vt Aristoteles ipse intelligi voluit, explicantur. qui cum pedes in tria genera diuisisset, & in alijs, vt iam an-

te diximus, rationem seu proportionem aequam annotasset, in alijs duplam, in alijs sesquiplam; Heroos, in quibus esset aequa diuisio, non vt malos et abiectos, sed vt nimis sonoros grandesq; reformidauit potius, quam abiecit: dispari vero ratione Iambum & Trochæum, in quibus dupla est, frequenter adhiberi noluit; quoniam eorum alter vulgaris, & abiectus, alter nimis celer, & quasi saltator esset. Pæana autē, in quibus sesquipla est, in primis laudauit. in ijsdem, vt ipse credidit, orationis ornatus ita seruatur, vt ea neque grandior, neque abiectior fiat, quam oportet, sed medium quiddam, & laude dignum tenere videatur, atque ita existat ampla oratio, vt meiratamen, & poeticum canorem euitet, neque contra in abiectum & humilem sermonem recidat. Haec ita discutienda putauimus, ne homines, aut Aristotelis verba a M. Tullio non satis fuisse percepta, suspicarentur, aut non solum Crassum, sed Aristotelem quoque & Ciceronem sensisse Heroos pedes oratori esse aptissimos; cum Aristoteles eos quasi nimis grandes, & plus iusto canoros reformidet, Cicero ab illo haud intrepide dissentiens inanem illam formidinem culpet, & hos pedes ita admittat, vt tamen illis Paeana anteponat. Quare facile intelligimus, Crassum solum in ea haresi fuisse, vt membra, & periodos Heroo numero optime concludi, atque id Aristotelis auctoritate posse comprobari existimaret: cum tamen longe aliter Aristoteli placuisse videamus, ideoque illum a Cicerone culpatum, quod hunc numerum

rum parum prudenter ab oratoria dictione alienum putarit. qua de re copiosius in parte libri huius vltima loquemur. Nunc illud constet, Heroum istum numerum ab Aristotele nimis grandem existimatum, a Cicerone tamen, vt commune & indifferentem, admissum, a L. Crasso reliquis omnibus fuisse prælatum. quam opinionum varietatem minus mirabimur, si considerabimus diuersis oratoribus diuersas placuisse structuras. nam & Cato eam probasse, quæ confragosa dicta est, existimatur: & M. Antonius fluxa delumbiq; vsus fuisse dicitur: Ciceronem vero Asiatica delectatum nouimus. Sed, vt ad rem veniam, laudat Aristoteles sine dubio Pæanas, & alijs anteponit; quod ijs vitijs careant, quibus Heroici Trochæi, & Iambi laborant; & quod poetici non sunt, atq; ex ijs metra fere non sunt; & quod omnium maxime latere possunt. sed, cum plures sint Pæanes, duos tantum nominatim ponit, primum, & quartum, illum principijs, hunc clausulis aptum esse confirmans: aliorum nullam omnino mentionem fecit. sed tertium in membris periodiq; claudendis vsque eo Tullius adamauit, vt illo frequentius, quam par esset, vsus existimetur. homines certe proxime sequentis illum sæculi tantum virum, si dijs placet, irriserunt, quod tertio quoque sensu. quasi sententiæ loco, poneret illud suum, ESSE VIDEATVR. hoc certe numero membra & periodos adeo sæpe clausit, vt Probus grammaticus hunc Tullio peculiarem fuisse structurã scripserit. Sed ne secundum

dum quidem Pæana ab eo contemptum, ostendunt tum alia plurima, tum hæc ex oratione pro Quintio, exempla.

Si res opinionem meam, quam de vobis habeo fefellerit.

Negat Alphenus æquum esse, procuratorem satisdare.

Iste postulat, vt procurator solui satisdaret.

Et sane omnium Pæanum crebra exempla in Ciceronis orationibus licet inuenire neque existimo ab Aristotele duos illos nominatos solos, quia pro sua contemneret alios, in quibus est eadem ratio diuisionis; sed quod eos ipse magis probaret. Quartum Pæana Cicero non laudat, & ab Aristotele apertè dissentit; non tamen reijciendum putat. Creticum omnibus locis, ac præsertim in principijs laudatur: de quo Terentiani versus hi sunt:

Optimus pes & melodis, & pedestri gloria
Plurimum orantes decebit: quando pene in vltimo
Obtinet sedem beatam, terminet si clausulam
Dactylus, aut Spondeus imam: nec Trochæum respuo.

Cretico & Pæanibus duos Bacchios, & ratione diuisionis, & temporibus pares, addi posse non dubitauerim. Dochimus quoque, quinq; syllabarum pes, quarto loco, vt Messalinus post Ciceronem ait, recte ponitur, dum non continetur: quoniam sic asperum reddit numerum. de quo sic Rufinus:

Prisc-

Principium, finem, ac medium tibi Dochimus ornat.

& rursus de eodem alibi Rufinus idem sic:

Rhetoricas pulchre structuras Dochimus ornat.
Principium Bacchius erit: concludet Iambus:
Aut, vice mutata, nomen mutabitur vni:
Primus Iambus erit, tum finem Creticus explet.
Prima breuis longæq; dua, breuis, vltima longa.
Exemplum ἁρτίου dabitur respublica nobis:
Quam Cicero casu genitiuo ponere gaudet.
Omnibus iste locis numerum pes efficit aptum,

Hæc seorsum dicenda putauimus de ijs pedibus, quos, quasi meliores, & alijs omnibus antepositos, a magnis auctoribus fuisse celebratos noueramus. Nūc operæpretium fore iudicamus, obseruationes quasdam eruditorum hominum vtili ordine, & ad id, quod quærimus, vel in primis apto recensere, atque ante oculos ponere quos numeros ac pedum structuras viri eloquentes frequenter vsurparint. Verum illud præfari libet; non oportere hæc, quæ vel ex rhetorum commentarijs sumpsimus, vel ipsi nos ex oratorum pertinaci lectione collegimus, quasi leges & plebiscita seruari, sed tanquam monitus amici & seduli hominis, ac, si modo queat, prodesse cupientis, alacri animo accipi, nec prius, quam intelligantur, negligi: nam si quis numerosæ orationis cupidus hæc diligenter legerit: næ ille se perdidisse operam nunquam queretur. Quoniam igitur non solum clausulas diligenter obseruare sed principijs quoque ac me-

dijs

dijs non nihil curæ iubemur adhibere; naturæ sequamur ordinem; ac primum de principijs, mox de mediis, vltimo loco de clausulis verba faciamus. Principia igitur non modo periodorum, sed etiam membrorum curam, diligentiamq; postulant, ac pedes quosdam præ cæteris diligunt. Aristoteles a longis incipiendum iudicauit, ideoq; Pæana primum principijs aptum dixit: quod is pes a longa incipit, quam uerbi nues sequuntur: vt, NAM QVID EGO, &, POSTVLAT VT. Creticus quoq; in principijs laudatur, vt, CREDO EGO IVDICES; &, QVOD PRECAtus sum; &, NEMINEM vestrum: tamen sciendum etiam, a breuibus quoque recte incipi, vt, ANIMADVERTI IVDICES. Quamuis autem omnes fere pedes positis in principijs inuenire, tamen hi uel in primis laudem merentur, e trisyllabis Creticus, & post illū Anapæstus, et Molossus, e tetrasyllabis Pæan primus, e pentasyllabis Dochimus, hoc est, Iambus, & Creticus. Media quoq; vti inter se apte cohæreant, diligenter videndum, ne quid vel hiulcum sit, vel asperum. id quo modo queas consequi, ex ijs, quæ de iunctura præcipiunt rhetores, facile intelliges. Illud id quoq; non minus accurate prouidebis, ne comites & breues ac subsultantes edant sonos, & quanquam media omnia, quia sine vlla mora profluunt, plerumque fallunt, ideoq; promiscuos accipiunt pedes: tamē sciendum, Pæanas, primum, & quartum, vel etiam alios, Creticumq;, & Bacchos, ac Dochimum hac in parte

parte laudari. Verum cautio illa erit adhibenda, vt, vbi volueris orationem currere, crebros Trochæos, & Iambos inseras; vbi lentius incedere, frequētes Spondeos interponas; vbi vero medium quiddam concupieueris, iis pedibus vtaris, qui ex mixtis breuibus ac longis temperantur. Atq; hæc quidem de principio ac medio breuiter, vt oportuit, dicta sint. Define vero, atque ea parte, quam clausulam vocant, multo iam fusius ac diligentius tractare nos oportet. quamuis enim orationis structura per totum corpus suum iis numeris, qui non offendant, debeat esse expolita: hoc tamen loco iucundior syllabarum concentus exigitur, vbi apertius orationis & virtutes, & vitia dignoscuntur. neq; enim sensus est vllus, qui non certo fine claudatur, & interuallo naturali a sequentis initio distinguatur: ideoq; fit, vt auditor cursum fluentis orationis intento secutus animo seuerius iudicet, vbi iam dicendi stetit impetus, & iudicaturo considerandi tempus indulsit. quo magis laborandum est, ne videri possit abruptum, quod audientis animū debet instaurare. hæc est enim, vt Fabius ait, sedes orationis: hoc auditor expectat: hic laus tota declamat. Pergamus igitur, & vt superiore libro non incuriose clausularum vitia collegimus; ita in hoc qua possimus diligentia de illarum laude tractemus. Probus grammaticus ostendit a nonnullis culpatā fuisse structuram, quæ in monosyllabam vocem desinat. quos ille Ciceronis auctoritate redarguit; sicut eos quoq;, quibus displicuit structurā disyllaba dictione fini-

finiri: cum tamen id vitiosum non sit, nisi cum Dactylus Spondeum, aut Trochæum præcedit, & Adonicum metrum facit: qualia sunt, TERRVIT VRBEM, VISERE MONTES. quin etiam innuit fuisse, qui structuram, dissyllabo finitam, non sine magna cautione admittendum putarent, quamobrem, ne quem vana ista superstitio timidiorem in dicendo faceret, placuit a monosyllabis usque ad pentasyllaba laudabilium clausularum exempla ponere, partim a nobis obseruata, partim sumpta ex Fabio Quintiliano, Cæsio Basso, Valerio Probo, Fortunatiano, Diomede, ac Martiano: ex quibus poßit intelligi, quid hac in re tum a nobis fuerit, tum aberuditis hominibus obseruatum. Primum igitur, si in fine fuerit monosyllaba vox longa, præcedente Trochæus laudatur, vt, non scripta, sed NATA LEX: debet esse legum in republica PRIMA VOX. Sed illud etiam quidam aiunt, Creticum Cretico in hoc vtroque exemplo videri posse recte præpositum fuisse; vt numeri senarum sint syllabarum, denum vero temporum, hoc modo, SCRIPTA, SED NATA LEX: in re PVBLICA PRIMA VOX. At si monosyllabon illud vltimum correptum fuerit, Iambus recte præcedet, aut Anapæstus, vt, APVD MEOS SIT; vt, ANIMO DAT. Spondeus Spondeo præcedente in duabus aut pluribus dictionibus recte apud L. Crassum, qui Spondeos adamauit, sensum claudit, vt, clandestinis consilijs NOS OPPVGNANT? cur de nostris pro-

profugis copias comparANT CONTRA NOS? In vna nimis mollem facere clausulam putatur, præsertim si Dactylus præcedat, vt virtus INCLITA GERMANORVM. item recte claudit Spondeus Cretico præcedente, vt, depellendi CRIMINIS CAVSA; Anapæsto, vt, muliere non solum nobili, verum ETIAM NOTA; Iambo, vt, MEOS CIVES; Trochæo, vt, ARMA SVMPSI. Trochæus Trochæo præcedente, vt, O MARCE DRVSE; Spondeo præpositio, vt quod ille potest, NOS POSSEMVS; Pyrrhichio, vt, CAPE VOTA; Cretico, vt, PRODITIS REBVS; Anapæsto, vt, ANIMOS SVME; Tribracho, vt, REFERO CAVSAM. Iambus Spondeo præcedente, vt, IVSTA FIDE; Dactylus Cretico præcurrente, vt, stetit Prætor populi Romani soleatus, mulierculæ NIXVS IN LITTORE; &, gladium ab ipsis PORRIGI LEGIBVS. factum suum CVM MEO CONFERAT; Pyrrhichio, vt, BENEDICITVR; Trochæo, vt IVRE FECIMVS; Spondeo, vt, CAVSAS AVDIAT; Tribracho, vt, RECOLE NOMINA; Anapæsto, vt, REPETES CAETERA; Palimbachio, vt, SEPONE CAETERA. Molossus breui syllaba præcedente frequentissimus est, & optime claudit, vt est illud, scimus, vbicunq; sunt, ESSE PRO NOBIS; Dactylo præcedente, vt, rure nutritos, ESSE SENATORES; præcedente Amphibracho,

vt, DOLORE COMPVLSI; Antispasto, vt, COHAEREDE DECEPTO. Tribrachus precedente Cretico, vt, de CAETERIS AGITE; Epitrito tertio, vt, DE PRAELIIS REDEO. Bachius præcedente Cretico, vt, HOSTIBVS REPVLSIS; Antibachius Antibachio præmisso, vt, DETRVDIT HAEREDEM; Diurnachæo, vt, VINDICATVR ELECTVS; Trochæo, vt, SVME DECRETVM ESSE DELECTVM; Bachio, vt, quod ille, POTEST NOS POSSEMVS. nam hunc numerum hoc modo quidam metiendum crediderunt. Trochæus præposito, vt, istius furorem, ac TELA VITEMVS; Amphibracho, vt, DOLORE DERISVS; Molosso, vt, sanguine GERMANI RESPERSVM. Creticus Cretico præcedente, vt, possessor VARE QVAMPLVRIMOS; Anapæsto, vt, nisi homines VIOLENT MAXIMOS. Anapæstus Anapæsto præcedēte, vt, LEVE PRAESIDIVM; Cretico præcedente, vt, o CALLIDOS HOMINES. Diomedes grammaticus Amphibrachum quoque illum, qui ab alijs formatur, admittit. præcedente Spondeo, vt, RECTE LOCVTVS; item Trochæo, vt, veterum morem iudicIORVM REQVIRIT; &, ingressum iam in BELLVM VIDEBAM: vbi, sicut hic auctor putauit, Trochæus est posteriore quidē syllaba natura breui, posittone tamen longa: nam spondeo nulla fuisset, vt, IVSTA QVERELA, Adonius

fiet

fiet metrum: quod in primis vitari Probus iubet. & sane tam raro deprehenditur, vt prudentis sit euitare. Fuere & apud Græcos, & apud Latinos, qui non putarent vltra dissyllabos, & trisyllabos pedes in numeris considerandis progredi oportere, ideoq; nullam aliorum pedum mentionem fecerint: vel quod non plures quam duodecim pedes esse posse crediderunt; vt Censorinus in libro de Natali die scriptum reliquit: vel quod tetrasyllabis, & pentasyllabis dissyllabos, ac trisyllabos ineſſe animaduertebant: vel quod longiores istos pedes rhythmos, vt sunt, esse credebant: vel certe, quod videbantur omnia posse facilius obseruari, si ad paucos, & breuiores pedes hæc dimensio redigeretur. id autē fieri posse non est quod quisquam dubitet: nihil enim obstat, quo minus vnam, atque eandem orationem diuerso pedum genere metiamur. endecasyllabos certe Sapphicos quidam in pedes ita diuidunt, vt apud Horatium primum faciant Trochæum, I A M S A-; *secundum Spondeum,* T I S T E R-; *tertium Dactylum,* R I S N I V I S; *quartum Trochæum,* A T Q V E; *& quintum item Trochæum,* D I R A E; *in quo quia versum claudit, iure suo longa pro breui sit posita. alij in Creticum,* I A M S A T I S; *& Spondeum,* T E R R I S; *& Pæana tertium,* N I V I S A T Q V E; *& vltimum Trochæum,* D I R A E. *Hephestion primā syzygiam Trochaicam seu aut septenum temporum, secundū Chorambicam, tertiā ex Iambo, & syllaba indifferente fieri ostēdit. ex quo*

patet, quartam in hoc metro syllabam breuem esse posse, vt apud Catullum:

Otium Catule tibi molestum.

& apud ipsam Sappho metri inuentricem,

*

Alij Epitritum secundum primo loco posuerunt, IAM SATIS TER: *secundo Choriambum,* RIS NI VIS AT; *tertio Amphibrachum,* QVE DIRAE. *sic certe diuidendum putant Ausonius poeta, qui de Sapphicis endecasyllabis tractans ita scripsit:*

Sunt & quos generat puella Sappho;
Quos primos regit Hippius secundus;
Vt claudit Choriambon Amphibrachus.

Neque, opinor, eundem versum male diuiserim in Trochaicam hephthemimerim, & duos Trochaeos, hoc modo, IAMSA, TISTER, RISNI, VIS, ATQVE DIRAE. *verum, quando & Aristoteles Paana primum, ac quartum laudat: & Cicero non Paanas modo, sed Dochimum etiam pentasyllabon laudat; & Augustinus Epitritos omnes soluta orationi putat aptissimos: recenseamus & eos, qui ex tetrasyllabis pedes sint a veteribus commenti; ne quid, quod studiosis vtile esse possit, scientia mittamus. Paan tertius, vt,* VIDEATVR. *talis est,* CAPE VOTA. *Paan quartus, vt,* DOCVERANT. *Dichoreus, vt,* COMPROBAVIT. *quem & Asiatici frequentarunt. & Cicero*

maxi-

maxime adamauit in periodorum fine, tale est illud, MARCE DRVSE. *sed cum in vna dictione fuerit, nescio quid habet longe suauius, vt temeritas filij* COMPROBAVIT. *Antispastus, vt,* VIDEBATVR. *Ionicus a maiori, vt,* DEPONITE. *Epitritus primus, vt,* SENATORES. *ei simile est,* MEOS CIVES. *secundus, vt,* OPTIMATES. *huic simile est,* ARMA SVMPSI. *tertius, vt,* SEPONERES. *tale est,* IVSTA FIDE. *quartus, vt,* LEGIS-SETIS. *tale est,* NOS POSSEMVS. *hos Augustinus solutæ orationi aptos iudicauit, propterea credo, quod auctore Terentiano e genere sunt Pæanicorum, quos ab Aristotele atque aliis laudari nouimus. Verum, antequam ab hoc loco digrediar, in quo de iis pedibus disputatur, quibus vel periodi, vel membra clauduntur; placuit ex M. Tullij orationibus exempla apponere, quibus ostenderemus non Pæanas modo ab Aristotele laudatos, & Dichoreos Asiaticos, sed omnes prorsus tetrasyllabos, præsertim si ex tetrasyllabis dictionibus sint constituti, in clausulis esse frequentissimos, vt tamen alium alio frequentiorem possis agnoscere. Proceleumaticus omnium primus, quia multas habet breues, rarius inuenitur. huius tamen exempla sunt hæc:*

Quod socium tibi eum velles adiungere, NIHIL ERAT.

Postulat, vt ex edicto bona possideRE LICEAT.

Qua exre intelligi faci LE POTVIT.
præsertim cum hæc res plurimas gratias. firmissima
amicitias, maxima studi A PARIAT.

Dispondei exempla.

Omnium mortalium sententijs CONDEM.
NARI.
Fidem meam SPECTAVERVNT.
Offensionem vitat æqualitate DECER-
NENDI.
Nam quid ego dicam populum atque imperitum vul-
gus ludis magnopere DELECTARI?
Non possum non mirari Probum inter laudabiles
structuras posuisse Dactylum sequente Dispondeum,
LVMINA DEPONEBANT. *Sic enim*
fit trimeter Heroicus, qualis est ille, por REXE-
RAT AMPHITRITE.

Dijambi.

Pugnet vestra integritas cum illorum PECV-
NIA,
Testium constantia cum illius patronorum milliis
atque POTENTIA.
Quid habent illorũ inimicitiæ PERICVLI?
Aliquid de supplicio REMITTERES.

Ditrochæi.

Non ferrem omnino molestè, si ita ACCI-
DISSET.
Ineunte adolescentia maximi ipse exercitus IM-
PERATOR.
Fore se tutos ARBITRANTVR.

Ad

Ad quos conſcientiæ contagio PERTINE-
BAT.

Præcedente Ionico a maiori, vt, DEPELLE-
RE CASTITATEM.

Proceleumatico, vt, VOLVERIT IVDI-
CARE.

Pæane primo, vt, IVDICIA SVSTI-
NEBIT.

Trochæo, vt, DIRA MACHINA-
TVR.

Antiſpaſti.

*Innocentium miſeria com*MOVEBA-
TVR.

Conſtituta auctoritas iudiciorum VIDERE-
TVR.

Ita diſſident a nobis animo & VOLVN-
TATE.

Inuidiſſe veſtræ laudi VIDERETVR.

Ionici a maiori.

Quem nemo ſit auſus DEFENDERE.

Immo vero adſit, RESPONDEAT.

Immanis atque importuna natura DESI-
DERAT.

In veſtrum iudicium ADDVXIMVS.

Spondeum Baſſus & Trochæum præponi recte putat, vt, ARMIS REPLEVERAT; *&,*
ASTRA COELESTIA.

Ionici a minori.

Vexati ſocij, Dij immortales SPOLIATI.

Omnia tu Deiotaro Cæsar TRIBVISTI.
Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore
TIMVERVNT.
Cum omnibus potius, quam soli perire VOLV-
ERVNT.

Hic operæpretiũ adnotare, duo priora membra prope duos integros hexametros versus esse: atq; id veniam ideo fortasse tolerandum, quod pronunciantis distinctione occultari potuit. sed tutius est huic pedi breuem syllabam præponere. Neque vero probauerim, quod Probus ait, Anapæstum Ionico a minori recte præponi, vt modicos COLVERVNT: *cum hæc quoque structura hexametri finem constituat, quod ipse vitiosum prædicat.*

Pæanos primi.

Quod ad salutem communem pertinet inite, prospicite, atq; alij CONSVLITE.
Ex populi Romani suffragijs ERIPITE.
Horum nos hominum sectam atque institutum
PROSEQVIMVR.
Alterum eorum ex sua sede ac domo SVSTV-
LERIT.

Pæanos secundi.

Si res opinionem meam, quam de vobis habeo,
FEFELLERIT.
Negat Alphenus æquum esse, procuratorem Sa-
TISDARE.
Quis igitur vnquam fuit hoc homine SCIEN-
TIOR?

Iste

Iſte poſtulat, vt procurator ſolui SATISDARET.

Probus Trochæum præcedentem laudat: cuius rei exemplum ponit, VLTVS RECESSERAT.

Pæanos tertij.

Prudentem exitum quæſiſſe VIDEATVR.

In conſpectu legum libertatiſque MORIATVR.

Cum veſtra atque omnium ſalute TVEATVR.

Sed etiam antiquitatis memoriam virtute SVPERARIT.

huic ſyllaba breuis, vel potius Trochæus præponitur, vt finem faciat heroici verſus.

Pæanos quarti.

Etenim ſi tanta illius comitijs RELIGIO EST.

Maximum bellum populum Romanum cum Antiocho geſſiſſe VIDEO.

Cum eſſet, vt ego mihi ſtatuo, talis, qualem te eſſe VIDEO.

Epitriti primi.

Apud eos, qui a me auxilium PETIVERVNT.

Quo animos telliim RETARDARENT.

Omnes meæ curæ cogitationeſque LABORARVNT.

Cæteri fructus vitæ RELINQVENDI.

Epitriti secundi.

Si qui istum iurati sua sententia LIBERARVNT.

Qui vltro citroq; NAVIGARENT.

Vbi noui iudices erunt CONSTITVTI.

Vt ad istos honores PERVENIRENT.

Epitriti tertij.

Amplius centum ciues Romani COGNOSCERENT.

Lacrymantesq; DEFENDERENT.

Non enim metuo, ne tu illi SVCCENSEAS.

Nullæ leges, nullaiura CVSTODIVNT.

Epitriti quarti.

Summo studio potentissimorum hominum DEFENDATVR.

Pecuniam publicam C. Carboni datam AVERTISSE.

Iudices in hunc reum CONSEDISTIS.

Quam in duobus clarissimis religiosissimisq; templis EXPILAVIT.

Choriambi.

Neque, præterea quid possis dicere, INIQVIO.

Quod initium reipublicæ delendæ CONSILIVM?

Ante quam pro L. Murena dicere INSTITVO.

Graue est, vere accusari in AMICITIA.

Vides

Vides omnes tetrasyllabos in clausulis inueniri. Verum, si oratoris scripta diligenter legeris, Paeanas primum & tertium saepe, secundum varius, quartum rarissime inuenies. neque enim dissimulanter ab Aristotele in huius pedis usu Cicero dissentit. quamuis enim hic pes ab illo philosopho magnopere laudetur: huic tamen ita displicet, vt eum fugere videatur. Epitriti omnes frequenter incurrunt: quamuis eos Aristoteles neque nominet, neque saltem innuat: Cicero autem, vt iam antea diximus, non tã videtur excluſisse, quam leuiter innuisse. cur porro non nominet, cũ eis frequenter vtatur, non satis video: nisi dicamus illos, licentia vltimæ syllabæ, pedum rationalium vicem subire, & ad æquã, aut duplam, aut sesqualteram diuisionis rationẽ posse reuocari: quotcunque in fine membrorũ aut periodorum deprehẽsi fuerint. nam e quatuor syllabis, in quibus vna tantũ reuera breuis est, si licuerit vltimam pro breui longam, vel pro longa breuem accipere: ex Epitrito primo, correpta vltima, quæ longa est, fiet Antispastus, ex secundo Ditrochæus, ex tertio Ionicus a maiori, ex quarto, producta vltima, quæ breuis est, Dispondeus. quin Amphibrachus quoque ille apud metricos, & rhythmicos infamis, & ab omni rhythmica ratione alienus, producta vltima fiet Bachius: atque ita pedes isti quinque per ectasin aut systolen vltimæ syllabæ ad diligentissimã rationẽ diuisionis in arsin, ac thesin redigentur: quæ in Antispasto, Ditrochæo, & Dispõdeo æqua in Ionico dupla, in Bachio sescupla deprehen-

henditur. atque ita erunt inter eos rhythmos, qui ab Aristotele ac Cicerone laudantur. id autem fieri posse, Cicero ipse declarat: qui ex C. Carbonis notissima periodo membrum illud, ab omnibus esse ei panas PERSOLVTAS, Dichoreo clausum dixit: tamen dictio illa, PERSOLVTAS, Epitritus sit secundus. sed nihil ad rem putat pertinere, vltima illa longa sit, an breuis. Terentianus quoque nec in commatibus quicquam referre iudicat, longane an breuis sit vltima eius versus sunt.

Omnibus in metris hoc iam retinere memento,
In fine non obesse pro longa breuem. & alibi
Nanque referre nihil, sit quali syllaba fine:

Commatagꝫ hoc ipsum iuris habere volum. quam rationem veram esse illud ostendit, quod in hexametris vltimus Spondeus semper esse intelligitur: quamuis vltima syllaba breuis sit. neque enim, cum sit metri dominus, de vltima sede pelli vllo pacto potest. quod ipsa metricarum figurarum ratio numerusque demonstrat, quae triginta duae tantummodo dicuntur ab ijs, qui de metris scripserunt: duplo plures futurae, si Trochaus vltimum locum tenere potuisset, ac non per ectasin vltimae syllabae de Trochaeo Spondeus factus esset. In Iambicis quoque vltimus esse Iambus, quamuis vltima breuis sit, eadem ratione intelligitur. Hoc modo & Proceleumaticus in fine inuentus, producta vltima, habebitur quasi Paeon quartus, nec quatuor breuium numero molestus fuerit. Ex ijs, quae dicta sunt, satis iam arbitror esse ma-

nifes-

nifestum, nec Augustinum reprehendi oportere, qui Epitritos omnes laudat in clausulis: cum frequentissime apud Ciceronem inueniatur: nec admirandum, illos neque ab Aristotele, neque a Cicerone esse nominatos: cum illi tres tantum proportiones in pedibus agnoscere videantur, æquam, duplam, & sesquiplam: quarum nulla in Epitritis est: ideoque licentia vltimæ syllabæ immutandæ tres ex illa sesquitertia ad æquam, vnum ad duplam auocarint. quæ mutandorum pedum licentia Ciceroni facilius, qui cum metricis omnibus vltimam dicit indifferentem, quã Aristoteli, qui eandem potius longam videtur exigere, concedi potest. Illud tacere nec debeo, nec possum, rhetores existimasse tanti referre ex vnica ne voce an ex pluribus hi pedes constarent, vt Quintilianus Dispondeum, quem vnica vox constituerit, probare quasi nimis mollem non dubitauerit, eundem e pluribus compactum non contempserit, allato ex L. Crassi oratione exemplum, quod iam supra posuimus: cur de nostris profugis copias compaRANT CONTRA NOS? cum tamen passim inueniatur tam in vna, quam in pluribus vocibus: atque vna illa cautio sit adhibenda, ne Dactylus statim præcedat, & fiat hemistichion Heroicum, quale est apud Virgil. maGNVM IOVIS INCREMENTVM: vel apud Catullum, pulCHERRIMA NEPTVNINE. Reliquum est, vt de pentasyllabis quoque pedibus aliquid dicemus: ne quis nos aut immemores promissi existimet, aut eos pedes prorsus

sus neglexisse iudicet. Quamuis enim Augustinus, vt alibi quoque diximus, conetur ostendere, nullum vltra quatuor syllabarum numerum progredi pedē posse: ego tamen neque M. Tullium, qui Dochmium quinque syllabarum pedem laudat: neque homines doctos, qui pentasyllabos triginta duos: ac ne eos quidem, qui hexasyllabos sexaginta quatuor nominatim recensent, crediderim esse culpandos: cum praesertim videamus, quædam ab illis dicta, apud oratores vsitata deprehendi. Sed quoniam tum syllabarū in vno pede multitudo, tum pedum ipsorum nomina, vel parum certa, vel paucis nota, reddūt rem ipsam lectori multo magis obscuram, quam vt facile intelligatur: multoq; prolixiorem, quam vt memoriæ possit sine multo labore contineri: nos hoc totum, qualecunque est, per transennam potius prospiciendum, quam manibus tractandum, aut e propinquo spectandum exhibere tentauimus: vt, si cui forte libuisset, hac progrederetur via, quæ in paucis monstrata, in reliquis quoque pari ratione potest inueniri: adsit modo labor ille constans, qui vincit omnia. Primum igitur Dochimus ille celeber in clausula Palimbachio præcedente laudatur, vt, FORTVNA REIPVBLICAE: *item Spondeo præposito,* REGES POTENTISSIMI. *Antycyprus Iambum præcedentem adamat, vt,* BONI CONSVLEBANTVR. *Antamœbœos quoque Iambum diligit, vt,* RATES REPARABANTVR. *Aegeoscolios Spondeum sibi præpo-*

flagi-

flagitat, vt, NOSTRAM CALAMITATEM, & illud, si per SE, QVA TEMERITATE? Clausulæ in pentasyllabon desinentes apud Ciceronem sunt notissimæ illæ, MAGNITVDINE PERICVLOSVM: ALII CONCVPIVERVNT: VVLGO EXISTIMATVR: VICTORIA RECVPERARE: METV CONCITABANTVR: ESSE PATIEMINI? A SVMMO VIRO EST ADMINISTRATA. Potes apud hunc plurima pentasyllaba, & nõ pauca hexasyllaba obseruare, quibus commata, cola, & periodi clauduntur, & quẽ pedem singula exhibeant, quem præcedentem statim habeãt, diligenter exquirere, & ex hac ipsa obseruatione quandã quasi artem faciendarũ clausularũ tibi comparare. quod si fortasse consequi non potueris, hæc tamen ipsa obseruatio ad cognoscendũ numerum oratoriũ nõ parum te adiuuerit. tu modo perstа, & memẽto nõ recta modo via, sed interdũ per obliquos etiã tramites ad loca destinata nõ incõmode perueniri: nec metuẽdũ, quin, quatã multi præcesserẽ, tu quoq; possis subsequi. nos nullum longæ inquisitionis laborem effugimus: quia hæc ijs, qui diligenter introspexissent, non parũ profutura putabamus. quo nomine ne illa quidem contemnenda duxerim, quæ recentiores vel sophistæ, vel rhetores apud Græcos excogitarunt. homines enim ingeniosi, atq; otio abundantes Demosthenis scripta tã diligenti cura examinarunt, vt ex eius oratoris lectione no solum antiquorum rhetorũ

præ-

præcepta confirmasse, sed nouum quoddam rhetoricæ artis genus inuenisse videantur. sumptis enim ab eodem illo exemplis, & diligenter excussis, adomnes partes vias prius incognitas aperuerunt, & magno labore munierunt. inter eos autem Hermogenes ille Tarsensis, cognomento Xyster, vel in primis videtur esse numerandus: qui puer adhuc tantam de se opinionem excitauit, vt & Musonius philosophus eum studiose audiuerit, & Marcus ille philosophus studiosus Imperator a se auditum honestissimis donis sit prosecutus. Huius scripta ad hanc, qua de nos quærimus, partem artis, & ad totam plane rhetoricam percipiendam non paruum, vt arbitror, prodesse possunt. quamuis enim illum æmuli ita carpserint, vt eum in pueritia senem, in senectute puerum fuisse, & ab eo postea artem & literas quasi pennatas auolasse iactarint: ea tamen non egressus decimum octauum ætatis annum scripsit, quæ illum & eruditum fuisse, & e fertilibus agris messem fecisse ostendant. proinde non defuerunt doctissimi sophistæ, qui hunc illi honorem deferrent, vt eius scripta eruditis, quæ adhuc extant, commentarijs illustrare dignarentur. Is igitur (vt nunc omittam, quæ de statibus & inuentione rara quadam subtilitate disputat) de elocutione ita tractat, vt dictionis oratoriæ Ideas, quas posis formas dicere, septem constituendas censeat: quas nouisse vtilissimum dicit, ijs qui vel de scriptis alienis recte iudicare, vel ipsi, quod lectione dignum sit, scribere desiderant. harum nomina sunt,

σαφήνεια, μέγεθος, ἦθος, κάλλος, γοργότης, ἀλήθεια, δεινότης. e quibus σαφήνειαν, quam non inepte perspicuitatem dixeris, in duas species diuidit: μέγεθος vero, hoc est magnitudinem, in sex: ἦθος porro, id est morem, vel moratæ orationis formam, in quinque. reliquas autem quatuor, vt sunt, indiuisas relinquit. itaque si tredecim illas species, quæ e tribus illis quasi generibus nascuntur, ijs quatuor indiuisis ac posterioribus adieceris: fiunt vniuersæ decem & septem numero. has ille omnes longo duorum librorum tractatu explicat, res in singulis octonas diligenter excutiens, sententiam, methodum, schema, lexin, colon, compositionem, clausulam, ac numerum: &, qualia hæc esse in vnaquaque forma oporteat, conatur ostendere, adductis multis ex Demosthene exemplis: apud quem tamen fatetur nullo loco aliquã e tot formis inueniri, quam posßis integram separatamq; ab alijs agnoscere: sed varia esse omnia, & per partes mixta, atque in se confusa dicit, & dignosci tamen, sed non sine magno labore. Georgius Trapezuntius in quinto eorum librorum, quos de arte rhetorica scripsit, hunc ipsum Hermogenem more suo interpretatus, has formas latinis verbis, & M. Tullij exemplis illustrare tentauit. quod etsi forsan parum præstitisse alicui potest videri: nõ est tamen sua laude fraudandus. ijs enim, qui otio abundãt, quo pacto id ipsi præstare niterentur, iudicauit. nos ex ipso Hermogene, quæ ad pedes, quos numerus oratorius exigit, quiq; a nobis exquiruntur, facere putauimus, in

hunc locū congeſsimus: ſi quis alia deſiderat, fontes oſtendimus, vnde plenius poſsit haurire. Is igitur in ſpeciebus perſpicuitatis, quarum alterā καθαρότητα, id eſt puritatē, alterā λιγύνειαν, quam vel diſtinctionem vel elegantiam dicas, ait, compoſitionem membrorum vel commatum ex Iambis, ac Trochaīs ita fieri oportere, vt Dactyli quoq; & Anapæſti, & alij pedes ita interponantur, ne metrum fiat. Clauſulam vero, quā ἀναπαυσιν vocat, Iambicā, aut Trochaicā eſſe iubet: & tum ex cōpoſitione, qua ſtirps Iambis conſtat, tum ex Iābica clauſula Iambicum fieri numerū aſſerit. Ex frequentibus porro Trochæis ac clauſula Trochaica Trochaicum oriri numerum dicit. Ad orationem vero, quæ grandior ſublimiorq; ſit, cuius formam μέγεθος vocat, & in ſpecie magnificum eſt, ſex diuidit, non ſolum Dactylos, anapæſtos, & Pæanas adhibet, ſed Epitritos quoq; omnes præter quartū ſumit: Iambos nō penitus ablegat: Trochæos, & Ionicos huic orationis generi putat eſſe contrarios. vbi vero aſpera & vehemens oratio fuerit: illi incōcinnos etiā atque incongruos numeros probat. ſplendida vero oratione, quam ipſam quoque magnitudini ſubijcit, eoſdem Trochæos non abigit. at cum celeriter agendum eſt, Trochæos tum in ipſa membrorū, & cōmatum compoſitone, tū in clauſulis laudat: & in hoc orationis genere numerū Trochaicū dicit expetēdum, quod is celeritati ſit aptiſsimus. Et, ne nunc minius ſim in deſcribendis ijs, quæ ille per ſingulas formas obſeruari præcipit: illud animaduer-

ten-

tendum puto, paucos admodum pedes ab eo præteriri, quasi parum idoneos ad orationis numerũ nam e dißyllabis Pyrrhichium, et trisyllabis Amphibrachum et tetrasyllabis Pæanas duos secundum, ac tertium, Ionicum a maiori, & Epitritum quarum videtur nõ nominando improbasse. Pyrrhichium quidem, vt arbitror, ideo præterit, quod nimis celer ac minutus sit: Amphibrachum, quod nec dupla, nec æqua, nec sescupla, nec saltem sesquitertia proportio in illius potest diuisione deprehendi. Pæanas tamen ibi videatur omnes admittere, in ea enim forma, quæ σφοδρότης, itemq; in ea, quæ σεμνοτής dicitur, Pæanas laudat: & nullum ex eis nominatim excipiẽs, omnes videtur laudasse. qua vero ratione Ionicum a maiori, & Epitritum quartũ prætereat, non facile dixerim. Sed vtcunque seres habet, hæc ille, & alia multa in alijs atque alijs elocutionis Demosthenicæ partibus se obseruasse, ac primũ omniũ de Ideis orationẽ scripsisse gloriatur. huius inuẽta si quis profutura sibi cõfidit: atque ijs quæ nos pauca de multis collecta huc congessimus, nõ fuerit forte contentus: is apud ipsum Hermogenẽ diligentius vniuersa consideret: atq; exercitationẽ ac consuetudinẽ capiat vtendi aptis loco & materiæ numeris: ne, si præcepta modo legerit, operam simul & oleũ perdat. nos, vt curiosam istam iuniorũ rhethorũ sedulitatẽ neq; magnopere suspicere neq; despicere sustinemus: ita eorũ iudicia & honestos conatus vel in primis laudãdos existimam°: quivt alijs in reb°, ita in hac quoq; elocutionis parte Cicero

nem conantur imitari. quod facilius consequentur, si illum hac de re breuiter disputantem iterum legere, & diligenter inspicere non grauabuntur. videbunt enim tres de numero isto oratorio antiquorum rhetorum sententias, & quasi sectas, easque inter se longe diuersas, ab eo ita recenseri, vt omnes earum auctores aliqua ex parte reprehendat: e numerorum vero formis, quas illi sequuntur, nullam penitus culpandam aut reformidandam putet: vnamquamque suo loco admittendam iudicet. Harum autem quasi sectarum prima eorum fuit, qui solos pedes duplæ proportionis, vt Iambum, Tribrachum, & Trochæum, & alios eiusmodi probauerunt: propterea quod ea compositio dicentibus esset valde commoda, vt quæ nullo prope negotio pararetur, pedibus ipsis sese vltro offerentibus. Secunda Ephori, & eorũ, a quibus ille didicit. hic enim sesqualteram proportionem in Pæanibus secutus est, & parem in solo Dactylo. tertia Aristotelis, Theophrasti, ac Theodecta, qui de sesqualtera proportione, & Pæane omnes idẽ senserunt, eum pedem reliquis omnibus præponentes. & Aristoteles quidem sescuplam istam pedum rationem ita probat, vt duplam, quæ in Iambo & Trochæo est, reformidare videatur, quasi vulgarem & nimis incitatã: æquam, quæ in Heroico est, quasi nimis grandem, & plus iusto sonoram, oratori parũ conuenire suspicetur. Harum opinionum auctores omnes, sed diuersis singulos rationibus Cicero reprehendit: primos quidem, quod solam offerentium se pedum

pedum commoditatem secuti, duplam proportionem adamarunt, dignitatis in alijs pedibus positæ nullam rationem habuerunt, Pæana mollissimum, & amplissimum numerum negligentes, ac Heroum numerum quasi poeticum reformidantes. Secundos, & ex his Ephorū nominatim ideo culpat, quod dignitatis solius rationem duxerit, quam esse in Pæane solo, & Dactylo indicauit: commoditatem, quæ in Trochæo & Iambo est, neglexerit: & tam imprudēter lapsus sit, vt, cum Dactylum probaret, Spondeum tamen fugeret: intelligeret, esse illum Dactylo tum diuisionū proportione, tum grauitate ac temporibus æqualem. quin eundem Ephorum ob id quoque incesſit, quod syllabarum numero, non temporum interuallo, pedes in soluta oratione metiendos putarit: cum in poeticis rhythmis, atque adeo in metris non tam syllabarum quam temporum paritas exigatur. quod & Terentianus de longa syllabæ in breues duas solutione tractans, his verbis explicat.

Amphimacrus sæpe primam sæpe soluit tertiam.
Quin etiam ambas sæpe soluens, quinque componit breues.
Nulla enim non longa solui per breues potest.
Dum suo pede reseruet præstituta tempora:
Syllabarum nil nocebit longior progressio.

Atque idem hoc genere solutionis alios ex alijs nasci pedes asserit: & vnamquanque pedum solutionem eius, vnde facta est, pedis vicem subire adeo constanter affirmat, vt ipse pro Cretico breues quinque syllabas

bas ponere non dubitauerit: & nemini sit ignotum, pro Spondeo Anapæstum, Dactylum, ac Proceleumaticum poni solere. Vltimos vero, atque in primis Aristotelem, ideo reprehēdit, quod duplicem, & parem proportionem, hoc est Iambum, Trochæum, & Heroos pedes tum contēnens, tum reformidans, ab oratore propemodum segreget: solam proportionē, in qua duo tribus opponuntur, admiretur: alijs aut abiectam sieri orationem, aut nimis grandem putet: & dum Iambum & Trochæum negligit, commoditatem dicendi negligat: dum vero Heroos pedes pertimescit, vt nimis grandes, non agnoscat eosdem etiā dimissis sermonibus vtiles esse. post quem tractatū, & tres trium quasi sectarum duces, vt diuersa ita probabili ratione culpatos, quid ipse faciendum censeat, his verbis explicat. Ego autem sentio omnem in oratione esse quasi permistos, & confusos pedes. nec enim effugere possemus animaduersionem, si semper ijsdem vteremur: quia nec numerosa, vt poema, nec extra numerum, vt sermo vulgi est, debet oratio. alterum nimis est vinctum, vt de industria factum appareat: alterum nimis dissolutum, vt peruagatū, ac vulgare videatur: & ab altero non delectere, alterum oderis. Sit igitur permista & temperata numeris, nec tota numerosa, Paane maxime, quoniam optimus auctor ita censet, sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata. Qui autem numeri cū quibus miscendi sint, & quibus orationis generibus sint quique accommodatissimi, paucissimis verbis in hunc

hunc modum explicat. Iambus frequentissimus est in iis, quæ demisso atque humili sermone dicuntur: Pæan in amplioribus: in vtriusque Dactylus. Vide, quam paucis verbis ostendat nullam numerorum rationem esse negligendam: quod & dupla, quam per Iambum intelligit, sermoni sit accommodata: & sesquipla, quam per Pæana designat, ad amplitudinem pertineat: æqua, quam Dactylus ostendit, & humilibus, & altis inseruire possit. In æqua vero proportione, quæ Heroicorum pedū est, ab Aristotele haud timide dissentit. ille nanque, vt multi opinantur, grandioribus modo, & poeticis rebus Dactylum, hoc est Heroum numerum, conuenire putat: hic noster aperte eandem etiam humilibus sermonibus vtilem esse confirmat. id autem verum esse, vel ex eo probari potest: quod apud comicos, quorum sermo a vulgi sermone solo metro distat, Dactyli, & Spondei, & Anapæsti, & Proceleumatici inueniuntur, crebro quidem apud Græcos, sed multo crebrius apud Latinos: apud quos e pedibus Heroicis prope integros trimetros, ac tetrametros aliquando inuenies, vt,

Excludit, reuocat: redeam? non si me obsecret.

Qua de re Terentiani versus hi sunt.

Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Vt, quæ loquuntur, sumpta de vita putes:
Vitant Iambum tractibus Spondaicis
Et in secundo & cæteris æque locis.
Iidemq; fictis dum procurant fabulis,

In metra peccant arte, non inscitia:
Ne sint sonora verba consuetudini,
Paulumq; rursus a solutis differant,
Magis ista nostri. nam fere Græcis tenax
Cura est Iambi, vel nouellis comicis,
Vel qui in vetusta præcluent comœdia.

Ex his apparet, Terentianum intelligere, Spondaicos tractus, in quibus non Spondeus est solus, sed ij quoque, qui pares sunt ei temporibus, Dactylus, Anapestus, & Proceleumaticus, sermonibus vulgi esse accommodatos. quod ipsum Asconius quoque sensit: qui ait comicos poetas illa quoque loca, qua Iambo debebantur, Dactylicis pedibus occupasse, dum quotidianum sermonem imitari volunt, & a versificationis obseruatione spectatorem ad actum rei conuertere: vt non fictis, sed veris affectibus interesse videatur. Quibus verbis hic quoque Dactylum quotidiano sermoni aptum esse declarat. quare vix adduci possum vt credam non vidisse Aristotelē, quod comici & grammatici viderint, quod Cicero intellexerit, & memoriæ prodendum putauerit, quod denique vsus ipse comprobarit. sed cum Heroū σεμνὸν appellet, & λέκτικον: hoc mihi videtur dicere, quod Cicero ait, & amplioribus, & ijs, quæ demissa sunt, esse idoneum: vt, quamuis sescupla proportione pedes alijs anteponat, Heroos tamen non repudiet, ac ne Iambum quidem, & Trochæū penitus ab oratore segreget, sed frequentē esse vetet. quod Crassus videtur intellexisse, cū in tertio de oratore inquit: Iambū

&

& Trochæum frequentẽ segregat ab oratore Aristoteles Catule vester. Non enim Iambum & Trochæum simpliciter, sed Iambum & Trochæum frequentem dicit: vt Aristoteles non omnino hos ablegarit, sed monuerit cauendum esse, ne crebri essent; ne percussiones illorum insignes versum facerent, & orationem nimis humilem. Relinquitur ergo, vt æquæ, & duplæ, & sesqualterę proportionis pedes ad solutam orationem adhibeantur, sed eorum alij humilibus, alij amplis, alij vtrisque sint accommodati, ita omnes boni, si suo quisque orationis generi accommodentur, & loco apto ponantur. quod Fabius quoque confirmat: qui in nono Institutionum suarum libro mirari se ait, in hac opinione doctissimos homines fuisse, vt alios pedes eligerent, alios damnarent. cum nullus sit, quem non sit necesse in oratione deprehendi. nec enim, si maxime velimus, aut Pæane illo, quem a Thrasymacho inuentum laudat Aristoteles, & illum secuti Theophrastus, ac Theodectes; aut Dactylo, quem sequitur Ephorus, semper vti possumus. Nec vero semper licet aut Spondei tarditatem, quam Ephorus reformidat; aut Trochæi celeritatem, aut Iambi humilitatem, quam contemnit Aristoteles, penitus auertere: si quidem nobis vel conniuentibus subrepunt, vel etiam inuitis in orationem irrumpunt. Verum ne si possemus quidem, facere id semper debemus: ne solutam orationem arctius, quam deceat, alligemus, & versum non tam, vt iubemur, euitasse, quam,

quod non permittitur, feciſſe videamur. nam ſi vel ad Pæanas ſolos, vel ad Dactylos redigetur oratio: quid aliud erit, quam verſus rhythmus ve Pæanicus, aut Dactylicus? ſiquidem verſus & poetici rhythmi ea re præcipue diſtant a ſoluta oratione, quod ad paucos & certos pedes ſunt reducti, vt rhythmi Pyrrhichiaci ad ſolos Pyrrhichios, vt hexametri Heroici ad Spondeum, & eos, in quos diſſolui poteſt, Dactylum, Anapæſtum, ac Proceleumaticum. Iambicus vero ille merus, &, vt ait Flaccus, primus ad extremum ſimilis ſibi ad Iambum, atque eum, in quem diuiſa longa reſoluitur, Tribrachum: quem tamen haud ſatis ſcio, an in vltimo loco queas deprehendere. Orationi vero ſoluta nulla prorſus eſt dicta lex, qua vel ad paucorum, vel ad certorum pedum genus inuita redigatur; ſed omnibus, qui vel dupla, vel æqua, vel ſeſcupla, vel ſeſquitertia ratione diuiduntur, vti permittitur. proinde vna cum Cicerone, nullum pedem a ſoluta oratione prorſus ablegandum, ceſſeamus; verum ita meliores adamemus, vt alijs tamen locum ſuum relinquamus; & ſeſqualteram iſtam, ac vicinam illi & quaſi cognatã ſeſquitertiam proportionem ita veneremur, vt nec æquæ ſua tarditas, ac ſublimitas, nec duplæ celeritas, ac populeritas fraudi fuiſſe videatur; ſed ſoluta, nec tamen vaga, ac diffluens oratio, nulli ex omnibus pedibus locum ſuum deneget, atque vnumquenque, vbi res ipſa poſtularit, ac tempus, admittat. vt autem meliori-

bus

bus vti frequentius facile possimus, id non verba facient, quæ nec augeri, nec minui, nec, sicut a musicis hodie fieri solet, contra poetarum morem produci modulando aut corripi possunt; sed commutatio, & collocatio non inepta præstabit; vt & in humilibus dupla, & in amplis sesquipla, & in vtrisque vti æqua numerorum proportione possimus. Ex his satis iam clarum est, vt non solum cur & quo modo veteres Cicero reprehenderit, verum etiam quid ipse faciendum nobis senserit: ac si nondum penitus aperta & plane munita, certe multo iam minus est impedita ad numeros oratorios consequēdos via. Nobis vero ignoscī æquissimum est, si minus exacte, quam aliquis forsan expectasset, hæc explicauimus: cum Cicero ipse affirmet, multo difficilius esse vti oratione, quam versibus: quod in illis definita sit ac certa lex, quam sequi sit necesse; ad oratoriæ dictionis rhythmum tam multis pedibus locus pateat; ac tam dubijs præceptis ea pars artis sit inclusa; vt vix cuiquam liceat constituere, quibus ingressa pedibus oratio & a versu recedat, & sit erudita verborū collocatione numerosa. qua nos difficultate superata, rem totam multo, quam prius fuerat, his libris apertiorē reddidimus. nam qui vitia quæ ostendimus, effugerit, &, quos meliores numeros suo quenq; loco esse ex veterum auctoritate credidimus, sectari voluerit; ei vel nihil, vel certe non multū ad numerosæ orationis laudem defuerit. Verū quisquis hæc, a nobis summa cura collecta, legerit, & adhuc sibi satis factū nō putarit; is aurē diligēter cōsulet.

cui

cui si, quasi non satis exercitatæ, fortasse diffidet; observabit veterum oratorum clausulas, & quod rarissime fieri deprehenderit, euitabit; quod frequenter factum viderit, id in vsus suos securus admittet. Neque vero te studiose lector huius obseruationis labor terreat; hinc enim tibi & verborum copiam, orationes antiquorum frequentius legendo, comprobabis; & laudabilium numerorum agnitionem, syllabas diligentius intuendo, consequeris. tu modo vide, ne aut timore degeneri animum despondeas: aut præcipiti audacia, quæ sunt ab eloquentissimis viris obseruata, contemnas. neque tamen in numerandis syllabis ac pedibus esse te velim nimis anxium; cum scias incompositos, ac deteriores numeros latere, si bonos circunfudris, hoc est, si principia, ac fines diligenter obseruaueris, media vero non penitus neglexeris. verbis autem tum proprijs, tum translatis, tum nouatis, aut vetustis ita vtere, vt omnia ad rem sint accommodata; & ex ijs deligas tum sonantiora, tum leniora; vt & auris veterum lectionibus exercitata, & ratio ab eruditis rhetoribus tradita, suadebit; ut timere desinas, cum omnia plane tuta videas, & orationem re vera, vt dicitur, solutam esse cognoscas: quando, quod ad pedes attinet, nullus fere sit locus, qui non, eorum quemcunque volueris, admittat. velle autem debes in humilibus duplæ proportionis pedes, in amplis sesquiplicis, & sesquitertia, in vtrisque vero æquæ: nec id tamen diligentissime fa-

cies:

cies: animatur enim hac in re mediocris diligentia, nimis exquisita culpatur: vnica illa cura reliquitur, vt in principijs, ac clausulis numeris quam potes optimis vtare; media vti inter se recte oeant, labores; tum demum, ne comprahensiones redundare, neue debiles ac mancas esse patiaris.

IOVI-

IOVITAE RAPICII, DE NVMERO ORATORIO, LIBER TERTIVS.

QVanquam & ratio naturæ, & rerum ordo monere videbatur, vt, quæ de periodo, commate, & colo dicturi sumus, ea prius explicaremus, quam quicquã eorum, quæ de numeris dicta sunt, attingeremus: ego tamen antiquorum rhetorum vestigijs hærere malui; quos de numeris prius tractasse, quam de his rebus, videbam: haud equidem credo, quod non & ipsi viderent commata, cola, ac periodos quasdam quasi partes esse, ex quibus constaret oratio; numeros vero quasi consequentia, & accidentia quædam partium eiusdem orationis existimari posse, ideoq; ab ea longius distare, ac posterius quam partes, quæ a toto abesse nunquam possunt, debuisse considerari: sed quod animaduertebant, canere instituentem, prius soni dimensiones animo concipere, quam caneret; & poetas nullum verbum prius in versus cõijcere, quam syllabarum omnium spacia considerarent. ita eum, cui numerose libet dicere, prius, quam quicquam contexeret, diligenter intueri oportere iudicarunt, qua quibus locis verba concinne, ac modulate poni queant. hoc autem quid aliud est, quam orationis quasi cantũ, id est, ῥυθμὸν ipsum, prius explorare, quam aut dicere incipias, aut scribere? Huc accedit, quod multi

multi cola ipsa, commataque, & periodos non tam vt partes materiæ, quam vt habitus quosdam, ac conformationes, figurasq; orationis inspici debere sunt arbitrati; ideoq; inter ea, quæ dicuntur χήματα λέξεως, numerare non dubitarunt. quod si ita est; non video, cur reprehendere quisquam hunc ordinem iure possit; cum nemo dubitet numerum, propius ad ea, quæ subsistunt, accedere, quam habitum. hic enim orationem, quasi aliunde allata vestis, exornat: numeri nescio quo pacto magis videntur innati. Huc accedebat, quod studiosum lectorem, ac tituli memorem de numeris intelligere statim velle arbitrabar, & illius desideria longius differre non sustinebam. Verum, vtcunque res se habet; vel nihil, vel certe parum iacturæ fuerit, has quæstiones, quæ plus laboris quam vtilitatis legenti afferunt, suspenso potius gradu transire, quam pertinaci, & nihil prosutura sedulitate sectari. nihil enim prohibet, quin, si cui placuerit, hæc ipsa prius legat, quam superiora. Cæterum, quod ad rem hanc attinet, velim mihi a Latinis hominibus permitti, vt in re multo diligentius a Græcis tractata, quam a nostris, nominibus sæpe vtar Græcis. id enim propterea faciendū putaui, quod in toto hoc tractatu græca & notiora sunt, & minus ambigua. quā latina, comma enim, colon, & periodos adeo apud artiū scriptores vulgata sunt, vt nemo vel mediocriter eruditus non intelligat. at incisum, & cæsura, & cæsum, & articulus, & membrum, itemq; ambitus, et circuitus, et cōprehensio, ac cōtinuatio, et circun-

cumscriptio, etsi latina sunt, & maxima ex parte à Cicerone modificata, & in hunc locũ aliunde translata, nescio quo tamen casu adeo vel ambigua, vel obscura sunt, vt in ipsis non solum imperitiores possint hæsitare, sed ij etiam, qui præ se nihil altos scire crediderunt, in ambitus comprehensionis, ac continuationis, & circuitus significatione ita aberrarint, vt, quas Cicero vnius rei quatuor appellationes statuerat, ijs illi quatuor res inter se longe diuersas significari scriptum relinquerint: quam recte, ipse viderint. nos, quantum possumus, magnorum auctorum vestigia insistentes, hominum studia adiuuare tentabimus: &, quo facilius totum hoc, quicquid est, possit intelligi, a commatibus, quæ breuissima sunt, usq; vsq; ad longissimas periodos, & ea, quæ verè periodi modum excedunt, ita progrediemur, vt, quæ vel ab alijs scripta sunt, vel a nobis non inutiliter, vt speramus, excogitata, quam fieri potuit, breuissime persequamur. Comma igitur & in musicorum cantu, & in poetarum versibus, & in soluta oratione deprehenditur. Et apud musicos quidem Philolaus Pythagoricus, vt refert Boetius, dixit, comma esse spacium, quo maior est sesquioctaua proportio, duabus diesibus, id est, duobus semitonijs minoribus. idemq; in duas partes inæquales diuidens tonum, cuius principium statuebat in viginti septem vnitatibus, qui primus cubus est a primo impari, maiorem toni partem appellauit aptomen, minorem diesin; ita vt aptome quidem quatuordecim vnitates haberet, diesis tredecim.

cim. vnitatem illam, qua duo ista inter se differunt, comma appellauit: idq; in duas partes æquales partitus est, quæ schismata nominauit. & ab hoc quidem musicorum commate vel nulla, vel certe modica ad oratorium comma duci similitudo potest. Apud poetas vero commatum duo genera sunt, alterum, quod, ad versuum modulationem cantumque pertinet, nec ad sensum respicit; quam grammatici iuniores vulgata voce cæsuram, & græca τομὴν appellant: alterum, quod ad sensuum distinctionē spectat, commune omnibus, qui quocunq; modo vel scribunt aliquid, vel loquuntur. quod oratores ad similitudinem, mensuramq; eorum commatum & cæsurarum, quæ in versibus dimetiendis requiruntur, in solutæ orationis paruis quibusdam partibus effingere, atque exprimere tentarunt. Cæsura autem, vt vulgato verbo vtar, est ex integro versu ideo cæsa & suspensa pars, vt canentibus respirandi facultas præbeatur. horum vero commatum, cæsurarumue, quæ ad versuum modulationem sunt excogitatæ, non vnum genus, aut vnus modus est; sed aliæ semipede, aliæ integro pede, omnes vero orationis finita parte clauduntur. atque ea multo arctiori lege, ac certiori pedum, & syllabarum numero constat, quam commata, quæ vel in soluto sermone, vel in poemate posita, ad sensum pertinent. proinde etiam notiores illas esse, quam hæc, dubitandum non est. ideoq; ex rei notæ similitudine eam, quæ minus nota est, inuestigare instituimus. hæc enim, quæ quærimus, orationis

ſolutæ commata vel propter multiplicem pedum varietatem, ac latißime patentem numerorum licentiam, vel propter arctißimum cum membris contextum, ac prope gemellam ſimilitudinẽ, cognitu difficiliora eſſe, certum eſt. Heroicum igitur hexametrũ (a notißimo enim verſuum genere ſimilitudinem libuit ſumere) locis aliquot incidi ſolere, & debere, certum eſt; & ante finem verſus, vel in pluribus locis, vel in vno ſaltem aliquẽ recreandi ſpiritus poteſtatem canentibus fieri oportere. ea porro loca ſunt, vbi tertius, vel quintus, vel ſeptimus, vel nonus ſemipes ita terminat partem orationis, vt idem ſequentis pedis initium fiat. poteſt autem id vnico in verſu vel vno tantum loco, vel pluribus contingere:

In vno, vt,

Magnanimi Iouis ingratum aſcendere cubile:

In duobus:

Littora, multum ille & terris iactatus, & alto:

In tribus:

Italiam fato profugus, Lauinaq́ venit:

In omnibus:

Effigies ſacræ diuum, Phrygijq́ penates.

Hæ verſuum partes commata appellantur, & illud ius habent, vt vltimam ſui ſyllabam, ſi breuis fuerit, poßint producere: propterea quod paruam illam vnius temporis iacturam ſilentij mora compenſat. ſpiritus enim poſt commata pauſa quædam ſpiritus, quæ pro vno illo, quod deſideratur, tempore iure computatur. quod his exemplis facile patere poteſt.

Peſti-

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Omnia vincit amor: & nos cedamus amori.
Munera dehinc auro grauia, sectoq; elephanto.
Tuis hic omnia plena
Muneribus
Tibi Pampineo grauidus autumno.

Est & Trochaicum comma: vbi post quintum semipedem breuis syllaba dictionem terminat, nec produci potest; vt, Fertur equis auriga. quod ideo Trochaicum appellant, quia in tertia sede Trochæum finita dictio efficit: qui deinceps cum sequenti statim syllaba coniunctus Dactylum reddit. Ex his commatibus critici tria tam superstitiose obseruant, Trochaicum, penthemimeres, hephthemimeres; vt eum versum Heroicum negent, in quo non aliquod horum posis inuenire. Sunt & alia duo in hexametris commata. quorum alterum Priapei, alterum bucolici versus proprium est. Priapeum comma est, cum tertius pes Dactylus est, & cum dictione pariter pes ipse finitur, vt, Cui non dictus Hylas puer? cuius commatis vltimam syllabam quamuis longam Priapei carminis scriptores plerunq; corripiunt: & vt manifestius fiat comma, in posteriorib commatis prima sede Trochæum ponunt, vt,

Tectam vimine iunceo, caricisq; maniplis:
& illud Catuli,
Hellespontia cæteris ostreosior oris:
& illud:
O colonia quem periis ponte ladere longo.

Bucolicum vero comma est, vbi quartus pes Dactylus fuerit, & partem orationis terminarit: quales apud Theocritum omnes fere deprahenduntur, & apud Virgilium,

Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Meliboei?
Non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.
Infœlix o semper ouis pecus. ille Neæram.

Hi omnes bucolicum, vt vides, comma habent. Potest quis animo concipere, etiam in primo semipede comma fieri; quod simplex non inepte dici queat; vt, Non, verum Aegonis. erit igitur, vt breuiter, & multo apertius repetam, hic ordo,

Primus semipes, vel simplex comma, & nummeres,
Non.
Tertius semipes, vel comma semiternarium, vel trithemimeres,
Non ego te:
Quintus semipes, vel comma semiquinarium, & penthemimeres,
Non ego te vidi:
Tertius Trochæus, vel comma Trochaicum,
Fertur equis auriga:
Tertius Dactylus, vel comma Priapeum,
Barbatus limit hirculus:
Septimus semipes, vel semiseptenarium comma, vel heptemimeres,
Quid faciat lætas segetes:

Quæ-

Quartus Dactylus, vel comma bucolicum,
Infelix o semper ouis pecus:
Nonus semipes, vel seminouennarium comma,
Iam veniet virgo, iam dicetur.

Sed & posteriores partes, hoc est eas, quæ ad perficiendum versum supersunt, commata appellari posse, quidam crediderunt. Fit tale quiddam & in Iambicis, & in Trochaicis, & in alijs versibus. Sed & illa persequi longum est: & hoc ipsum, quod de Heroicis hexametris diximus, satis, ac fortasse etiam nimium est ad eam, quam quærimus, similitudinem. Quemadmodum igitur in poematibus hæ cæsuræ canentibus respirandi facultatem præbent; & versui tantum gratiæ, & auctoritatis addunt, vt sine illis nõ possit subsistere: sic in soluta oratione sunt quidam articuli, qui illam ita distinguunt, vt & dicenti laxamentum quoddam vocis præbeatur, & audienti, aut legenti ad intelligendum latior aditus paretur. hoc autẽ inter poetica illa commata seu cæsuras, & hæc, de quibus tractare instituimus, interest, quod in illis satis est, posse versum apte incidere, finita, quibus diximus locis, parte orationis; etiamsi nullus adhuc subsit sensus, vt; Hellespontia cæteris, &, Falsa pedum primo: in his autem, quæ non modo ad dimensionem temporum, sed ad structuram tam poeticæ quam solutæ orationis pertinent, sensum aliquem necesse est subesse, siue ille perfectus est, siue imperfectus. Aquila Romanus, quem libertum Mecœnatis fuisse legimus, sic definit: Comma est pars orationis, ex duobus aut

pluribus verbis, nondum quicquam absoluti significans, hoc modo: Etsi vereor iudices. quam definitionem ijsdem prope verbis Martianus in librum de rhetorica suum transtulit. Quintilianus comma dicit sensum esse, numero non expleto conclusum, & plerunque partem membri, Cicero non aperte illequidem definit, sed ita describit tamen, vt intelligi propemodum possit quid esse comma crediderit. nam cum de ea oratione loqueretur, quæ cæsim & membratim, hoc est, per commata & cola, ducitur, & in veris causis plurimum prodest; ita scriptum reliquit. sæpe singulis, sæpe binis vtendum est pedibus; & vtriusq; pedis pars addi potest; sed nunquam fere ternis amplius. ex quibus verbis, commavsque ad septem semipedes progredi posse, intelligimus. nam cũ pedibus singulis, aut binis, aut ternis vtendum dixerit; nec numerum syllabarum, e quibus hi pedes consistent, expresserit. de dissyllabis, ac præsertim Spondeis, procul dubio intelligendum est: quod dissyllabi soli, pedes absolute dicantur. nam tetrasyllabi duplices dicuntur pedes, & numeri existimantur. trisyllabos alterplices quidam nominarunt. illi enim ex duobus dissyllabis pedibus constant, hi ex vno dissyllabo, & aliqua alterius dissyllabi parte. Caterum, quamuis semipes etiam breuis syllaba dici posse videatur: ij tamen, qui de metris tractant, semipedem dicentis syllabam longã sine dubio intelligunt: quod & illorum vsus probat, & Donatus innuit. cum vero duo semipedes integrum faciant pedem; nescio

quo

quo pacto videtur sequi, vt, quemadmodum e singulis syllabis longis fiunt semipedes, ita e binis longis fiant ij, de quibus Cicero loquitur, integri pedes. atque inde possumus suspicari, Ciceronem modum, mensuramq; commatum, a duabus syllabis longis non vltra septem voluisse produci: propterea credo, quod, quæ in honore sunt Heroici versus commata, seu cæsuræ, semiternaria, semiquinaria, & semiseptenaria, intra hunc longarum syllabarum numerum subsistunt. qua ratione adductum crediderim Hermogenem, vt scriberet, comma a quatuor & quinque vsque ad sex syllabas procurrere, ἐπῳδὸν μετρόμενον, hoc est, succensu dimensum ac finitū. &, nisi fallor, per quatuor duos pedes, per quinq; semiquinarium comma, per sex tres pedes intellexit: quibus nos in oratione cæsa vti debere, Cicero docet: & partem pedis adijci posse asserit: quam nescias an hic fortasse ἔπῳδον vocet: quāuis alij κατάληξιν appellent: an, quod vero longe similius est, ob id epodo mensurari comma dicatur, quod, vt apud lyricos poetas breuissimus versus est epodus, ac plerunq; hemistichion, ita solutæ orationis breuissima quædam pars comma intelligatur. proinde affirmat idem Hermogenes, etiam in paucioribus syllabis, vt in tribus, aut duabus inueniri: atque adeo etiam ex Demosthene profert duarum syllabarū comma. ea sunt, ἢ οὔ, id est, necne. ex quo apparet, solutam orationē, vt multo liberiorem versu, non admisisse illa modo commata, quæ semipede clauduntur, sed ea etiam, quæ integris

pedibus absoluuntur. Exempla quoque, qua Cicero affert, & intra paucas syllabas comma sistere, & in pedes integros diuidi posse ostendunt:

Domus tibi deerat:
At habebas.
Pecunia superabat:
At egebas.

Hæc ille quatuor commata ex oratione sua esse dixit: quorum secundum, & quartum quaternis, primum septem, tertium octo syllabis partim longis, partim breuibus constat, & ex integris pedibus esse possunt. Ex alia item sua oratione comma trium syllabarum affert: Diximus. Illa quoque ex L. Crasso appellat commata, Missos faciant patronos: ipsi prodeant. quorum posterius quinque syllabis, prius octo constat. Verum, cum Demosthenicum illud commatis syllabum, superius citatum, non aliam ob causam comma esse Hermogenes dicat, quam quod illis duabus syllabis perficitur sensus; sequetur, vt, si vera est ea ratio, in vna quoque syllaba, quæ sensum perficiat, comma esse posit. quæ cum ita sint; arbitror iam patere, comma oratorium ab vna ad septem syllabas longas progredi, neque in ijs commatibus vitiodatur, si pro longa duas breues posueris; cum id in versibus quoque, qui seueriori lege coercentur, sciamus esse permissum. quamuis autem passim sibi quisque reperire possit exempla, nos tamen in gratiam eorum qui vel rudes sunt, vel quærendi labore nō sustinent, ex Rosciana Ciceronis promemus. & vnius quidem

syllabæ

syllabæ comma est, cum Erucium interrogans, atque vrgens, ait: exhæreditauit ne? ac mox sibi ipse respondens inquit, Non. quo monosyllabo sensus perficitur. sit ergo exemplum monosyllabi commatis. Non: dissyllabi, Quid hoc? trisyllabi, Quid ergo? tetrasyllabi, Quid oppugnas? pentasyllabi, Quid primū querar? hexasyllabi, Patri non placebat, heptasyllabi, Innocens est quispiam. Vides septem comatum exempla ex Cicerone sumpta: quorum primum monosyllabo verbo perficitur, tria ex integris pedibus constant, tria semipede clauduntur, nullum septem syllabarum aut decem temporum numerum excedit. neque hoc ideo dictum quisquam putet, quod non & longiora fieri posse existimem. Sunt & vndecim temporum, vt,

Ea multitudo, quæ erat?

Sunt & duodecim, vt,

Quid, quæso, eius intererat?

Sunt & tredecim, vt,

Fateor me sectorem esse.

Sunt quatuordecim, vt,

Quid hic incredibilis cursus?

Quæ iam potius membra videntur appellanda: præsertim cum apud non indoctum Hermogenis interpretem legamus, quosdam fuisse, qui, comma & colon idem esse, hoc modo probari posse iudicarint. si comma epodo mensuraretur, & colon est epodos: comma quoque colon est. comma vero mensurari epodo, testis est Hermogenes: & epodum colon esse

docent lyrici poetæ, qui eas odas, quæ strophe atque epodo constant, δικῶλους vocant: qualis est illa.

Diffugere niues: redeunt iam gramina campi,
Arboribusq; comæ: & illa,
Ibis Liburnis inter alta nauium
Amice propugnacula.

Et fere omnes, quæ eodem libro continentur. Hermogenes, & Demetrius Phalereus commata, ac cola in eo tantum differre aiunt, quod hæc breuiora sunt, illa longiora. atque ideo mirum videri non debet, quod quidam scriptum reliquere: breuissimum colon interdum comma nominari: ac contra longissimum comma, nonnunquam colon appellari. siquidem quæ in confinijs sita sunt, plerunque ambigua esse consueuerunt. In quarto rhetoricorum ad Herennium comma articulum dici puto. est autem articulus, vt ibi scriptum est, cum singula verba interuallis distinguuntur, cæsa oratione, hoc modo. Acrimonia, voce, vultu aduersarios perterruisti, inimicos inuidia, iniurijs, potentia, perfidia sustulisti. In eodem libro videtur articulus a membro non longitudine, & breuitate, sed celeritate, & tarditate distinguj: quod articulus celerius, vt ibi legitur, & crebrius veniat: membrum, tardius ac rarius. apud Aristotelem cõmatum nulla, quod sciam, mentio est. videtur enim magnus ille vir existimasse, hæc a membris non magis esse distinguenda, quam Thraxa Pygmæo in eo, quod homo est, distinguitur: sed magnitudine

sola

sola distingi oportere: vt hæc parua, illa magna esse membra videantur. Verum, vt opinor, operæ pretiũ fuerit, hoc loco eorum cogitationibus occurrere, qui possunt iure mirari, Aquilam & Martianum putasse comma esse partem orationis, quæ ex duobus, aut pluribus verbis constet, nihil adhuc absoluti significans. videntur enim dicere, sensum non solere aut posse absolui ac perfici cõmate. quod vtique falsum est. nam commata non imperfectum, & suspensum modo sensum, sed perfectum quoque & absolutum habere possunt. quod & Demetrij & Hermogenis auctoritas, & res ipsa per se ostendit. Cicero quoque, cum laudaret vsum eius orationis, quæ cæsim fit, ostendit, incisis, hoc est commatibus sensus solere summa cum vtilitate causarum perfici. quanquam igitur dubitari potest, doctissimos homines diuersa sentire: tamen, qui rem paulo diligentius inspexerit, dubitare ac mirari desinet, atque illos neque labi neque dissentire intelliget. Comma enim, si, tanquam pars a toto suo auulsa, consideretur: non prius, quã cum alijs partibus in totum suum redigatur, sensum perficiet. si quidem vt nullæ partes, nisi iunctæ, totum perficiunt: ita nec commata quidem, nisi cum alijs sui totius partibus iuncta, possunt sensum integrum absoluere, atque perficere. quod ipsum & de membris est dicendum: at si hæc eadem non vt partes, sed vt proloquia quædam absoluta, & ad nullum omnino totum relata acceperis: sensum per se absoluunt, ac perficiunt. Quod si quis molestius ac pertinacius

instet,

insteret, ac dicat, commata & cola partes semper esse, idq; ipsis nominibus ostendi affirmet: quod commata alicunde abscindantur, & cola sint alicuius corporis cola, hoc est membra: illud responsum volumus, potentia semper partes esse, actu non semper. &, quemadmodum Aristoteles caput & manum, si diuellas a reliquo corpore, iam non rationis, sed vocis communicatione sola caput manumq; dici putat: ita credi par est, & cola, quæ nullam compositam periodum constituant: & commata, quæ nequa periodi neque membri partes sint, sola nominis, nulla rationis communicatione sic dici, & aequinoce cola commataque nuncupari. Vsum vero commatum minantibus, ac terrere volentibus, vtilem esse ostenderunt Lacedæmonij, missa ad Philippum Macedonem epistola: in qua nihil aliud erat scriptum, præterquam, ὁ διονυσιος εἰς κορίνθῳ. quibus verbis minabantur futurum, vt, nisi ab inceptis desisteret, victus ac fugatus in eas calamitates incideret, in quas Dionysius a Siculis eiectus olim incidisset, & apud Corinthios propter inopiam literas docere coactus esset. Eadem compositio est apta sapientibus, qui paucis verbis magnas & graues sentẽtias cõplecti amant: vt, Nosce te ipsum, Nihil nimis. nam vt in minimis seminibus maximarum sæpe arborum vis continetur: ita breuissimo verborum contextu late patentium sententiarum virtus sæpe cõprehenditur. Ad hæc, commatum breuitas enunciandi ἀποφθέγματα græce dicuntur, aptissima existi-

existimatur: itemq; ijs, quæ Latini dicta nominant. Altercationes quoque oratorum, & poetarum dramata solent commatibus magna ex parte cõstare. Proinde stultum est dicere, ijs sensum nullum perfici, quibus tam graues, & acutæ sententiæ: quibus tantæ in iudicialibus causis altercationes, tam multæ poeticorum dramatum partes solent enunciari. Denique, cum cola a commatibus sola mensura differre, & Aristoteles sensisse videatur, & Hermogenes ac Demetrius aperte dicant, &, vt mox dicemus, singula plerunque cola sententiam ac periodon etiam perficiant: nihil dubium est, commatibus quoque sensum sæpe perfici: quamuis tunc imperfectum habeant, cum membrorum vel periodorum partes sunt: & eo, vt ad totum quoddam suum solent referri. Sed iam de colis quoque tractemus: vt deinceps aptius ad periodos veniamus. Colon ab artium scriptoribus varie describi video: & quamuis eodem pene omnes tendant: mihi tamen faciendum putaui, vt, quas legi descriptiones, eas propemodum omnes in hunc locum conferrem: vt vnusquisque, quam maxime probasset, eam sequeretur. Colon igitur, vt quidam aiunt, est portio orationis, verbis absoluta, sensum aliquem exhibens. Alij sic. Colon est oratio vno spiritu prolata, quæ totam sententiam vel partem eius breuiter absque interualla absoluit. Aristoteles, cũ de periodo verba fecisset, eam ita diuidens in formas duas, vt alteram diceret esse ἀφελῆ, hoc est simplicem, quam & monocolon vocant: alteram vero in

ro in colis positam, quam e colis constare intelligimus: statim hanc coli subiecit. Colon est altera huius periodi pars: sit autem colon ipsum aliquando periodus. Archedemus vero, vt ait Demetrius Phalereus, apertius ac perfectius colon definiuit: in vnum enim coegit Aristotelicam definitionem, & id, quod post definitionem statim ab eo erat illatum, hoc est, colon etiam esse simplicem periodum: atque ita definiuit. Colon est aut simplex periodus, aut compositae periodi pars. quam tamen definitionem non ita intellexit Phalereus, vt omne colon periodum esse crediderit, sed id tantum, quod longitudinem pariter haberet ac flexum quendã circa finem: ex vtraque enim re, non ex altera harum periodum fieri putat. Quintilianus sic: Membrum est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore orationis abruptus, & per se minime efficiens. Cola vero translatione, a membrorum animantium ducta, dicuntur. nam vt in corporibus animantiũ caput, & pes, & manus, sic a corpore seiungãtur, quamuis, quod ad aspectum attinet, perfecta sint membra, nullo tamen ministerio fungũtur: ita hae, quae rhetores orationis cola ac membra dicunt, seiuncta a suo toto, etsi suapte forma perfecta sunt, vires tamen suas non prius possunt ostendere, quam totum eius orationis, cuius membra sunt, corpus & extrema conclusio venerit. quod Quintilianus vt verum esse ostenderet, tria illa membra notissima ex Ciceronis oratione adduxit: O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda. qua ad hunc

modum

modum prolata, integra quidem sunt, sed tamen, quia a reliquo corpore, atque a sua periodo separata sunt, nullam vim per se obtinent: at, si ad reliquum argumentationis corpus accesserunt, tum denique viribus suis funguntur: &, quantum adiuuent orationem, tum demum declarabunt, cum mutuo iuncta efferentur, hoc modo. O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda: Diximus: Testes dare volumus: Quem, quaeso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos? In quarto rhetoricorum ad Herennium libro ita colon describitur: Membrum est res breuiter absoluta sine totius sententiae administratione, quae denuo alio membro excipitur. continuantur igitur interdum duo membra hoc modo: Et inimico proderas: & amicum laedebas. Interdum tria, hoc modo: Nec reipublicae consuluisti: nec amicis profuisti: nec inimicis restitisti. vt hic quidem auctor videatur dicere, nos, cum membratim loqui volumus, vel tria vel saltē duo breuia membra ita nectere oportere, vt suum sensum perficiant singula, & argumentationem quidē ita adiuuent, ita respirandi copiam faciant, vt tamē totius rei, hoc est perfectae sententiae administrationē non exhibeant: & in hoc a periodo differant, quod argumentionem nō concludunt, periodus vero, si Hermogeni credas, vbi vera est, id semper facit. haec porro, quae commata, cola, & periodos Graeci nominant, ipse articulos, quasi paruos quosdam artus, & membra, & cōtinuationes vocat, atque inter verborū exornationes ac figuras numerat.

quod

quod & Aquila recte fieri posse consentit. quin & apud Graecos Hermogenes idem videtur credidisse, & sane, si haec forma membris debetur, vt, quod primo loco est, denuo a secundo excipiatur, &, quod secundum est, a tertio, ac deinceps tertium a quarto: tum vero, si etiam breuiter absolui rem sine totius sententiae administratione oportet, vbi vel resplurib⁹ verbis explicabitur, vel membrum a membro nō erit continenter exceptum, vel illata fuerit totius sententiae administratio: haec figura & exornatio dissoluetur, ac peribit, nec colon recte nominabitur. sic enim aliae quoque verborum exornationes, mutato vocum ordine, ac contextu, pereunt, & figura nomen amittunt: cum tamen sensus maneat integer, quod vtique etiam de commate & periodo posse dici videtur. si quidem & Demetrius notissimam ex Demosthenis aduersus Leptinem oratione periodon ita dissoluit, verborum ordinem mutans: vt, seruato eodem sensu, periodus esse desinat. modus autem, & mensura, qua sola distare colon a commate Demetrius & Hermogenes affirmant, est, opinor, vt colon, quod ὀρθὸν, id est rectum vocant, a septem longis syllabis vsque ad trimetrum Iambicum, vel hexametrum Heroicum, hoc est a tredecim aut quatuordecim temporibus ad quatuor & viginti possit progredi. nam si ex omnibus Iambis fuerit trimeter versus, decem & octo erunt tempora: si locū imparibus Spondeum admiserit, vnum & viginti. quod si hic senarius ex ijs fuerit, qui Spondaicis trochaeis quin-

quinque locis vitiatur: quales Plautus & Terentius non paucos, vt antea diximus, fecerunt, vltimum modo Iambicum illa sum seruantes: viginti tria tempora computabis, & versum hexametro Heroico minorem vno tantum tempore deprehendes. quo fit, vt minus mirum videri debeat, quod, cum M. Tullius de periodi mensura in Oratore hæc ad verbum scripserit: E quatuor igitur hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio: Quintilianus tamen libro institutionum nono affirmet, periodum, hoc est, comprehensionem a Cicerone quatuor senarijs versibus terminari. vidit enim vir alioqui prudens & eruditus, parum admodum interesse, hexametrisne Heroicis, an Iambicis senarijs quatuor terminaretur: cũ tantulo temporis vnius momento distent, ac fortasse vel memoria lapsus, trimetrũ apud Ciceronem se legisse credidit: vel hexametros ipsos senarios dici posse iudicauit. Iustus ergo membri modus erit temporum viginti quatuor: vt si instar versus hexametri: breuissimus vero ad vndecim vsque descendet. & eius quidem membri, quod sit temporum viginti quatuor, notissimum est illud exemplum ex L. Crassi oratione.

Cur clandestinis consilijs nos oppugnant?

Aliorum vero, quæ breuiora sunt, hæc erunt tibi exempla, a temporibus viginti tribus ad vndecim.

O portentum in vltimas terras exportandum.

Quo tempore igitur iudex aures erigeret?

Antea vel iudicari primo poterat.

Ee Testi-

Testibus editis ita mittam in consilium.
Qui Romam multis annis non venit.
Nec reipublicæ consuluisti.
Custodem Tullio me apponite.
Quis tam inimicus huic ordini fuit?
Quæro, seruosne, an liberos?
Vnde eos nouerat Roscius?
Nec amicis profuisti.
O ingenia metuenda.
O callidos homines.

Vides, exempla, ex Cicerone sumpta fere omnia, a vigiti quatuor temporibus ad vndecim descendentia. infra quem numerum temporum quæ sunt, ab ipso Cicerone incisa appellari video: quæ autem vel vndecim sunt, vel maiora, membra dici. Illa enim, O callidos homines, o ingenia metuenda: quorum alterum vndecim, alterum duodecim esse temporũ vides: membra nominat. Illa vero,

Pecunia superabat?
At egebas:
Domus tibi deerat?
At habebas:

quorum duo senis temporibus contenta sunt aliorum neutrum ad vndecim peruenit: vocat incisa. quale si fixa esset, videri posset Cicero voluisse commata parum admodum vltra pentemimerim protendi. sed cum idem nos in oratione cæsa modo singulis, modo binis, nonnunquam ternis pedibus, quibus, pars pedis addi queat, vti solere affirmet: ad sep-

septimum semipedem comma progredi posse proculdubio significat, vt superius conati sumus ostendere, id ad similitudinem poeticorum commatum factũ esse existimantes: quod si verum esset, quatuor decim temporum cõma esse posset. quam re vereor, ne, si Ciceronem sibi ipsi non constare suspicatus fuero, audax merito iudicari possim: sin optimum omnium patronum defendere tentauero, ridiculus videar, cum defendẽs, qui patrono nõ indiget. sed bene, quod qui alios sæpe defendit, raro accusauit, hoc quoque loco se ipsum suis verbis abunde tuetur. num cum ait, sæpe singulis sæpe binis vtendum pedibus, quibus vtrisque pedis pars addi potest: ostendit commata tertio semipede ad quintum sæpe peruenire: cum vero addit, non fere ternis amplius: rarissime ad septimum progredi posse demonstrat. cum enim ait, nõ fere: non penitus negat. sed rarissime fieri significat. quod autem raro fit, perinde propemodum est, ac si semel tantum, aut nunquam fieret. sic Crassum, raro ridentem semel in vita risisse, eius seculi homines dixerunt. Ex quo existimare par est, Ciceronem, quod frequentissime fieri videbat, inter commata computasse: quod raro, id vix computandum credidisse. nisi illud potius dicimus, Ciceronem, at si subtiliter didicerat, quæ ad incisorum & membrorum mensuram pertinent, tamen arctiores istas, & molestas leges non tam nescisse, quam de industria contempsisse: nec valde curandum putasse, si quando vel cõma productius, vel colon esset forte cotractius: cum

præsertim hæc omnia cola sint, sed hæc maiora, illa vero minora. In oratione certe Crassi duo commata esse dicit, MISSOS FACIANT PATRONOS: IPSI PRODEANT. quorum prius tredecim vel quatuordecim temporum est, & vsque ad septimum semipedem producitur: posterius vero nouem sed & Hermogenes apud Demosthenem illud quasi comma agnoscit, τὸ δὲ ἑξῆς κλείταρχον. quod vtique nouem syllabarum est, & temporum tredecim. item illud fere par, καὶ καταλαμβάνων ὡρεόν. Et tamen idem auctor e sex septem syllabis constare comma scripserat. sed, vt puto, hæc non tam exacte metienda iudicarunt: verũ, quod in confinio commatum ac membrorum fuerat, modo membrum, modo incisum vocari posse statuerunt. Nam Cicero, qui apud L Crassum comma esse dicit, Missos faciant patronos: in quo vides septem simipedes tredecim temporũ: in sua ipsius oratione membra illa nominat, O callidos homines, o ingenia metuenda, o rem excogitatam. quorum nullum excedit duodecim tempora: supremum tantummodo decem est. sed hæc in re statuat vnusquisque, quod volet: dum meminerit, etiã hic bonis numeris vtẽdum. sunt etiã membra quædam hexametris longiora, & quorum nulla certa perhibetur mensura: quæ Hermogenes χοινοτομῆ vocat: perinde ac si in modum funis protensa, ac prælonga dicas: quæ ille exordiorum circũductionibus accommodata existimat. atque ex iis omnia fere exordia apud Ciceronem constare credun-

dun-

duntur. Membra vero, vt superius quoque ostendimus, cum de cōmatibus loqueremur, interdum tota plenam sententiam complectuntur, vt, Nostra omnis vis in animo & in corpore sita est. integra enim sententia integro membro absoluitur. Interdum totum atque integrum membrum non totam sententiā sed sententiæ partem cōprehendit, vt, Larinas quadā fuit Dinea plenum quidem membrū, & plena etiam sententia videri potest, quod Dineam quandam Larinatē fuisse intelligimus: sed quod attinet ad causam, quā susceperat orator, suspensa adhuc est, nec prius integra, quam subieceris, Socrus Oppianici, quæ filios habuit Marcum & Numerium Aurios, & Cneum Magium, & filiam Magiā nuptā Oppianico. nam hæc posteriora ad rem, de qua agebatur, iam propius accedunt. iam enim intelligimus vnius filios tres fuisse, & filiam, quæ Oppianico nupserit, vnde Oppianici propter pecuniæ cupiditatem scelus eruperit. Vt autem incisa, & breuia membra diu continuari non oportet, ne oratio arida sit, & dissoluta: ita curandum est, ne prælonga membra longo tractu continenter frequententur, ne fiat compositio immodice profluens, & plus iusto redundans: quæ ridicula est: cum præsertim poeta hexametrū versum nunquam excedant: credo, ne videantur modi esse sine modo. satis enim longum putarunt hexametrū: ideoq; eum a longitudine, vt Demetrius putat, Heroicum nuncuparunt: quod conscribendis magnorū virorū rebus gestis conuenire videretur. Latini quoq;

eiusmodi versus, auctore M. Varrone, longos nominarunt. & omnes fere grandes materie, & longo tractu dicta, hoc metro, vt apud Aristotelē legimus, conscribuntur: nec quisquam sana mentis aut Iliada aut Aeneida Catullianis hēdecasyllabis, vel Septimij dimetris scribere tentauit: his enim magis breuesiorici, & rursus opuscula, quam bella sunt explicanda. Illud non opinor omittendum, membra quadam ita per se solida esse, vt non constent ex vllis commatibus, sed continenti ductu, nusquam incisa, ad finem sensus perferantur, vt, Verresne habebit domi sua candelabrū Iouis Opt. Max. gemmis, auroq; perfectū? quanquam enim mēbra versibus aliqua parte adeo similia sunt, vt a Cicerone aliquando versus nominentur, ac metricis appellatione κώλων versus ipsos sæpe intelligant non tamen tam arctis legibus tenentur, vt semper necesse sit ea ita, vt versus, e commatibus constare: sed vt e commatibus sæpe constāt, ita etiam per se sine oratorio vllo commate possunt esse absoluta. Quoniam autem de commatibus ac colis iam satis, ac fortasse etiam supra quam satis fuit, dixisse videri possumus: superest, vt, quam varia fiat ex ijs structura, dicamus. Omnis igitur oratio aut in ambitum quendam, quā periodon vocant, oratoris arte formatur: de qua sequenti libro tractabimus: aut natura duce sine vlla periodi specie, tractu quodā perpetuo pendens ac suspensa profluit: & nūc cæsim, nunc membratim, interdum cæsim pariter membratimq; procedit, nec vlla artificio, sed sola se-

uiti

niti sensus necessitate terminatur. Nunc igitur, vt natura longe prior est arte, ita nos quoq; prius de hac orationis specie tractemus, quæ citra periodum per cõmata, aut cola progreditur, nec tam ab arte quã a natura profecta creditur. Huius autẽ, vt video, species fecerunt duas: atque alteram quidem earũ εἰρομένῃν vocat Aristoteles, de qua posterius loquemur: alteram διηρμένῃν nonnulli nominarunt: quã Aquila solutam interpretatur. & hæc quidem nullis coniunctionibus nectitur, neque est aut certo commatum ac membrorum numero composita, aut certa partiũ circũscriptione terminata, sed sine vllis copulis disiuncta procurrit. hac in narrationibus, vbi celeritate opus est, vtimur: siue illa recta, siue obliqua sint talis est narratio illa in Verrẽ: seruos suos ad se vocat: ijs imperat, vt se ipsum negligant, filiã defendant: excurrat aliquis, qui hoc tantum malum filio nunciet. clamor interea fit tota domo inter seruos Rubrij atq; hospitis: iactatur domi suæ vir optimus: pro se quisque manus affert: aqua denique feruente a Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Item illud: Veniunt ad Chelidonem: domus erat plena: noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur: mihi det possessionem, mihi ne adimat: in me iudicium ne det, mihi bona addicat. alij nummos numerabant: aliqui tabulas obsignabant: domus erat non meretricio conuentu, sed prætoria turba referta. Hac elocutionis forma omnia apud Terentium comœdiarum argumenta narrantur. hac non minus, quam

continenti illa, de qua statim loquemur, narrationes posse, atque interim debere fieri, & Hermogenes docet in eo libro, quo rhetorica progymnasmata complexus est: & frequentissima apud eruditos scriptores exempla facile demonstrant. Alteram vero illã, quam, vt diximus, Aristoteles εἰρομένην appellat, e nostris quidam pendentem, alij perpetuam, alij continentem iugemq; transtulerunt. eam magnus ille philosophus ait continenter vno complexu tamũ, atque cursu esse coniunctam: ita porro necti, vt praecedentem elocutionem elocutio proxima semper excipiat, ita copulis nexa, vt rerum seriem longo tractu explicet, & fiat vi copularum vna. hanc formã fuisse dicit elocutionis antiquae. hac Herodoti Thurij historias affirmat fuisse conscriptas: hac denique vsos omnes eos fuisse quiante Gorgiam & Thrasymachũ scripserunt. Addit Cicero, quos dã tam pertinaciter in hoc genere dictionis perstitisse, vt, cũ vniuersa haec quae ad numeros ac periodos pertinent, discere facile possent: nouam tamen hanc numerosa, & conuersa orationis curam negligerent: & cum possent Gorgiam, & Thrasymachum, & Isocratem imitari, eum laborem suscipere non sustinerent. Hac igitur antiqua elocutio in nullos orbes recurrebat. nec vllo certo rhythmo claudebatur: sed membra membris, & casa casis, vt vel sors tulerat, vel natura iusserat, coniungens, tum demum finem sortiebatur, cum res ipsa substiterat, & sententia erat expleta. quod genus orationis quale esset, cum vellet Aristoteles,

propo-

proposítare símili, ac tunc omnibus nota, demonstrare, símilem eam dixit ijs esse, quæ in Dithyrambis appellantur αἰσθολαὶ. verum hæc símilitudo ijs potuit rem explicare, qui nouerant quales essent Dithyrambi, & quid in ipsis esset αἰσθολὴ: hodie aut nihil, aut parum admodum ad hanc rem aperte demonstrandam prodesse cuiquam potest. nam quo rhythmo aut metro cõstaret Dithyrambus, aut quæ ac quales demum eius carminis essent αἰσθολαὶ, sciri posse vix arbitror: cum eorum, qui Dithyrambos fecerunt, scripta perierint; aut, si quis vsquam Dithyrambus adhuc extet, carminis tamen ratio ac metrum non satis agnoscatur. nam qui hodie leguntur grammatici, ita Dithyramborum mentionem fecerunt, vt illud modo sciisse videantur, Dithyrambum fuisse hymnum, qui in laudem Bacchi caneretur, & ab eo Dithyrambopœos, ac Dithyrambodidascalos appellatos, qui id genus hymnorum aut scriberent, aut docerent. Sed, nec quo genere metri, aut rhythmi constarent, vsquam, quod adhuc sciam, legitur, & vix vnicum eiusmodi hymnorum certum exemplum inuenitur. Illud tamen non omittendum; id carmen denominationem ab ipso Deo, cui canebatur, traxisse. Bacchus enim Dithyrambus dictus, quod per duas quasi ianuas in lucem prodierit, alteram materni vteri, alteram paterni femoris. quam fabulam mythologi ad situm Nisæi antri retulerunt: cuius duas fuisse ianuas aiunt, & in eo nutritum liberum patrem, ab ijs, per quos ingressus egressúq; esset, foribus

bus nomen inuenisse. Arion Methymnaeus, vt ait Herodotus, apud Corinthios primus omnium fecit, & nominauit, & docuit Dithyrambum. nec desunt auctores Graeci, qui scribant Dithyrambū fuisse chorum apud eosdem Corinthios circularem. Poetas autem ipsos Dithyramborum scriptores de sublimibus rebus multa loqui solitos, compositoq; ac nouo, & audacibus verbis gauisos, legimus, atq; inijs fuisse Iona quendam Chium, qui poema id genus conscripserit, cuius initium apud Suidam legitur. In hunc vocatur Aristophanes: huius meminit & Callimachus in Coliambis. apud eundem inter multa poematum genera a Pindaro relicta numerantur etiã Dithyrambi: & Horatius scribit Pindarum noua verba per audaces Dithyrambos deuoluere, & numeris lege solutis ferri, propter licentiã mutandi rhythmi in eodem asmate numeri. Plutarchus Democritum quoq; Locrensem, & Lasium Hermionensem, et Melanipidem Dithyramborum scriptores fuisse auctor est. rhetores vero inflatam poeticis verbis, & audacter nouatis orationem διθυραμβοδῆ appellant. sed grammatici quoque verba quaedam διθυραμβοδέστερα esse dicunt, & ideo parum apta sermonibus, aut orationibus, quod grandiora sint quam oporteat. Quin eos, quos volebant insanos appellare, prouerbiali figura minorem Dithyambis mentem habere veteres dixerunt; vt vel ex hoc ipso prouerbio appareat, insanum quoddam genus poematis Dithyrambos fuisse, atque ita factum, vt repentino quadã furo-

furore potius effundi, quam vlla arte componi videretur. quod vtique bacchantibus conuenire, nemo nō intelligit. Sed hæc ad id, quod quærimus, nihil nos adiuuant. at illud mirum in modum adiuuaret, si Dithyrambum illum Pindari, qui apud Halicarnesseum Dionysium legitur, apte possemus in metra. & versus suos certa ratione diducere. quamuis autem vir ille diligens perquam subtiliter non solum cola, & partes orationis sed singula propemodum elementa eius carminis consideret, & ad austeram, de qua tractat, harmoniam apta esse ostendat omnia: non tamen, quale sit aut metri aut numeri genus, explicat: atq; etiam vltro fatetur se, cum cola nominat, ea nolle intelligi, quibus aut Aristophanes, aut aliquis alius ex ijs, qui metrici dicuntur, odas distinxerit, atque ornarit; sed ea, quibus natura ipsa orationem diuidat, & in quæ rhetores periodos suas partiuntur. quibus verbis aperte declarat, se, cum primū, aut secundum, aut tertium colon dicit, nō versus intelligere, quos metrici nonnunquam cola nominant, sed ea membra, quibus non minus soluta, quam poetica constat oratio. Quamuis autem huius Dithyrambi scriptura ita confusa sit, vt difficile queas aut principia aut fines versuum, si modo versus sunt, dignoscere: tamen sic quoque rem maxima ex parte declarat, ac diligenter intuentibus ostendit, quale sit hoc, de quo loquimur, orationis soluta genus. vt enim Dithyrambus, mutato frequenter, quod Dionysius ait, rhythmo, sine vllis strophis, & antistrophis ad finem

quem vsque defertur: ita haec, quae caesim ac membratim struitur oratio, mutato saepius numero, sine ulla in orbem versa comprahensione decurrit. Est & in Oedipode tragaedia apud Senecam longus ille e grandibus atque inflatis verbis hymnus, quem ego semper Dithyrambicum esse duxi; quod neque per strophas & antistrophas certas ac sibi vicissim paresecurrit, nec eisdem epodis stabilitur, sed rhythmi ac metri genus subinde mutat. in eo turba & grex ad sumendos thyrsos & coronas duobus Heroicis hexametris excitatur, sic:

Effusam redimite comam nutante corymbo:
Mollia Nisaeis armate brachia thyrsis.

Dehinc statim mutato rhythmi ac metri genere, demum chorus ita adorat.

Lucidum caeli decus
Huc ades votis,
Quae tibi nobiles
Thebae Bacche tuae
Palmis supplicibus ferunt.
Huc aduerte libens virgineum caput:
Vultu sidereo nubila discute.

Et non iam multo post Sapphico metro sic canit:

Qualis iratam metuens nouercam
Creueras falsos imitatus artus,
Crine fluenti simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.

Atque vt non solum principium, sed totum hymnum a furentibus prodire dignoscas, huc atque illuc incerto,

certo. & mutato genere metri fertur; & orsus ab Heroico hexametro, in Trochaicos, & Choriambicos, atque in Sapphicos quoque hendecasyllabos procurrit, mox vero in Anapæsticos etiam prolabitur; neque certum finem sibi præfigens eodem redit, vt in antistrophis Sapphicu, Horatianúq; fieri videmus; sed, quasi furore, non ratione ducatur, nusquam pedem fortiter figit. atque ideo, si locus est vllus diuinationi, has Bacchiaci hymni diuersas partes, & membra longo ac iugi prouentu suspensa, ab Aristotele ἀναβολὰς dici, non inepte augurari possumus; ideoque ijs similem veterum compositionem ab eodem existimatam, quia, nulla numeri ac periodi ratione habita, ea excurrebat, qua tulerat impetus. adiuuat hanc opinionem nostram illud quoque, quod, vt apud Aristotelem legimus, Democritus Chius Melanipedem irridens, qui inepte pro antistrophu faciebat ἀναβολὰς, longam ἀναβολὴν facienti dixit esse pessimam. Vt autem hoc fiducia maiore credamus, facit Dionysius Halicarnasseus: qui Dithyrambum prius certa apud veteres lege ordinatum fuisse scribit; postea vero vsque adeo solutum ac liberum esse cœpisse, vt ij, qui id genus poematis scriberent, licenter in vno atque eodem cantico non modo melodiam ita mutarent, vt nunc diatonico, nunc chromatico, nunc enarmonio genere vterentur; sed modos etiam vtcunq; libuisset, verterent; & interdum Dorio, interdum Lydio, interdum Phrygio canerent. in rhythmis porro tanta licentia sunt abusi, vt, quasi nullis

rhyth-

rhythmicæ disciplinæ legibus tenerentur, sed plane soluti ac liberi essent, nihil prorsus metuentes alio magis alio numero impune ferrentur. Primus autem Melanipedes, vt apud Pheræcratem Plutarchus legerat, hanc musicæ partem corrupit. illum porro secutus est Cynesias Atticus, Cynesiam Phrynis, Phrynim Timotheus Milesius; qui hoc genus cantici ad minutissimos & mollissimos modos deduxisse dicitur. quod ipsum Theophrastus quoque significasse nescio quo pacto mihi videtur; qui, auctore Cicerone, iudicauit orationem, quæ sit polita, & ornata, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere; & ex illis modis, quibus hic vsitatus versus efficitur, post Anapæstum quendam proceriorem numerum efforuisse; atque inde illum licentiorem & diuitem fluxisse Dithyrambum: cuius pedes ille ac membra putauit esse in omni locuplete oratione diffusa. ex quibus manifestum est, voluisse Theophrastum non minus liberos esse in oratione soluta numeros, ac totum ipsius cursum, quam liberum erat Dithyrambopæi, quocunque tulisset furor, excurrere. quod vtique in hac maxime, de qua loquimur, compositionis specie verum arbitror. quamuis enim omnis prosa oratio sit libera, ac multiplicem varietatis recipiat gratiã: nulla tamen illius forma magis, quam hæc, videtur esse libera: ideoq; Dithyrambopæorum cantici ab Aristotele est iure collata: quod, vt Dithyrambus reliquis poematibus est multo solutior, ita hæc multo sit liberior, quam ea, quæ in periodũ est constituta.

Vtri

Viri apprime docti non sine aliqua ratione sunt suspicati, αὐλοδολὰς fuisse prolusiones quasdam, quæ ante legitimum carminu sonum fieri solerent, non absimiles ijs, qui citharœdi, vt ait Fabius, ante, quam legitimum certamen inchoarent, emerendi fauoris gratia canebant, & προοίμια nuncupabant: a quæ re ducta similitudine, proœmia in orationibus hodie nominantur. αὐλοδολὰς autem id significare, ex eo possumus coniicere, quod Pindarus in Pythijs aureã illam Apollinu citharam inuocãs inquit, ἀγυσιχόρων ὁ πότνια προοιμίων ἀμβολὰς τυχὰς ἐλελιξομένα. & apud Homerum, quod ad hanc rem facit, de citharœdo legimus αὐτὰρ ἔπειτα καλὸν ἀείδμ. ijs igitur prolusionibus, & quasi proœmijs Dithyramborũ, similẽ videri posse hanc pendentem orationem, ideo putarũt, quod, quemadmodũ hæ prelusiones, licet minus apte reliquo carmini cohæreãt, tamen res vna cum Dithyrambo ac toto hymno solæ coniunctione dicuntur; ita in hac pendenti oratione illud vnũ coniunctione dicitur, quod vnum est ratione vnius illius rei, qua de agitur, non autem ratione contextus, & cõprehensionis, ac periodi, quæ in hoc orationis genere nulla omnino est. hic enim aut membra membris, aut comma commatibus, aut vtraque vtrisque ita subnectuntur, solis coniunctionibus aut dialysi adiuta, vt oratio non prius pendere desinat, quam res ipsa tota iam expleta non tam artificioso, quam necessario fine sententiã clauserit. Siue igitur

hoc

hoc quod illi sunt opinati; siue id, quod nos diuinare tentauimus, siue neutrum placuerit: illud proculdubio scire expedit, hoc genus compositionis non esse contemnendum. nam, praeter altercationes, & sermones, & magnam tum narrationum ac descriptionum partem, pulcherrimas etiã exornationes orationis inde constitui videmus, πνεῦμα, itemq; eam, quae ἀνιμὴ dicitur, & tertiam illam, quae vocatur τάσις: nos vix habemus quibus nominibus appellemus: nisi spiritum, & vigorem, atq; intensionem extensionemue dicamus. Quid autem, & quale sit vnumquodque eorum, vtcunque poterimus, ex Hermogenis traditione nitemur explicare. Est igitur πνεῦμα, vt ille in tractatu de sententia figurã ait, orationis compositio, quae solis commatibus, & colis sine artificiosa vlla periodo sententiam perficit, & eo vsque porrigitur, quo dicentis spiritus ac latera proferre possunt. Ἀνιμὴ aut verborum est, aut sententiarum. & verborum quidem ἀνιμὴ nihil aliud est, quam transmutatio figurae ab vno spiritu in alterum; cum tamen sententiam non mutes: sententiarum vero, cũ ab aliqua spiritus productione in aliam atq; liã transimus, sententia subinde mutantes. τάσις porro, cum vlterius, quam ferre possit pronunciantis spiritus, connexio membrorũ protenditur; & quamuis tum commata, tum cola continenter conferantur, nulla tamen ex ijs iusta veraq; periodus contexitur. neque enim eam facit membrorum numerus,

sed

sed certus quidam illorum habitus, & nexus, ac constitutio, in qua proposita redditis, & reddita propositis plerunque respondent: ac siue opposita sint, siue non, ita in quendā quasi orbem fertur oratio, vt sensus principium & finem propemodum simul ostendat. In his autem exornationibus longe alius solet esse progressus, & orationis forma diuersa. res enim tota longo tractu cæsim ac membratim ducitur; & vbi iam penitus est expleta, orationem secum ipsa concludit. De his multa Hermogenes. nos è multis pauca in hunc locum contulimus: vt, si quis forte desiderat noscere, quantum possit interdum forma illa orationis, qua citra omnem periodum e solis cæsis membrisue contexitur; & aut continentibus copulis nexa procedit, aut omnibus prorsus coniunctionibus soluta labitur; id ex harum exornationum exemplis facilius intelligat. Eius igitur exornationis, quod hic scriptor πνεῦμα appellat, duo ponit genera, alterū, cum vnum sensum sumentes atque explicantes, rem totam ampliorem reddidimus, & in alia atq; alia membra dispertimur: alterum vero, cum breuiter multa dicturi, singulis singula membris complectemur. ac prioris quidem exemplum illud ponit ex Demosthene: Ὅπερ γὰρ πρεῖαμ ὁ Φίλιππος ἐλυμαίνετο καὶ τριβαλλοὺς, λιμένας δὲ καὶ τοὺ ἐμπολίου μα πεζῇ φέρεσθαι, καὶ δωρόμενος πολλοὺς, καὶ μεγάλας ἐποιεῖτο ὑφ' ἑαυτῷ. καὶ ἔνιοι τοὺ ἐν τοὺ πολέμου ἐπὶ τῇ τελευτῇ ἀχρεῖα βαδίζοντος ἐκεῖσε διε-

φθείρουσ, οὐρεὶς ἄτομον ἐμ. *tale nimirum apud oratorem nostrum est illud in Verrem: Tantane tua Verres libidines erunt, vt eas capere, ac sustinere nō prouinciæ populi Romani, non nationes exteræ possint? itane, quod videris, quod concupiueris, quod cogitaris, nisi ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidinituæ cupiditatiq; paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo pacatæ, verum etiam sociorum, atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, vt a se atque a liberis suis legati populi Romani scelus atque libidinem propulsare possint? neque ineptum, opinor, huius rei exemplum fuerit, si quis, illato nobis repente bello, & maximis periculis imminētibus, e republica esse censeat, defendendæ libertatis gratia aliquid audere aduersus leges, & ciuitatis consuetudinē; & periodo quidem vtens dicat: Vt pax nihil non legitimum ferre consueuit; ita belli necessitas silere leges plerunque compellit: proinde quæ in otio cauenda existimarem, hæc in tanto rerum discrimine faciendæ censeo. ac mox idem multo liberius ac copiosius hunc sensum tractet, hac, quæ perspiritus productionem sit, exornatione ad hunc modum vtens. Si esset quieta respublica, patres conscripti; si in otio cum dignitate esse possemus; si nihil atrox, nihil formidolosum bellis minarentur; si libertate frui nobis nostra liceret; si res essent, vt solebant, in tuto constitutæ; si denique hoc statu Reipublicæ honeste viuere possemus: nihil de veteri administratione mutandum, nihil nouandum*

dum esse censerem: veteres omnes leges, decreta, instituta, maiorum mores, ac consuetudines seruandas iudicarem. cum vero bellum graue, ac periculosum inferatur; cum intra muros, atq; in ipsa curia, atque adeo in oculis omnium patriæ proditores insultent; cum potens atq; atrox hostis in propinquo, atque ad ipsa quoque mœnia visatur: tantaq; sit rerum omnium perturbatio, tanta totius ciuitatis trepidatio, quanta post hominum memoriam non fuit: quis iure nos improbarit, si retinendæ libertatis, si defendendæ salutis gratia aliquid nouemus? immo vero quis nos in parentes, in vxores, in liberos, in patriam denique, atque ipsos deos, quorum aræ ac foci, & fana sanctissima periclitantur, impios fuisse non prædicabit, nisi omnia tentemus, omnia moueamus, omnia moliamur; nec solum quæ fieri possunt, ac de more solent, sed ea quoque, quæ insolita, & moribus ac legibus nostris contraria sunt, re ipsa postulante faciamus: vt vxorum & liberorum nostrorum pudor, vt parentũ salus, vt patriæ libertas, vt nostra ipsorum incolumitas in tuto collocetur; cum præsertim ea sit belli natura, vt non vnius modo ciuitatis, sed magnarum sæpe gentium ac nationum mores immutet, leges euertat, iudicia tollat, vetera instituta contemnat, noua semper inducat. Posterioris autem ex eodem Demosthene ponit hoc exemplum: ΑΛΛὸ ὁτιὼ βοιαρ ὀμεῖν σφετεριξόμενος, ἐπαισθυάζωμ ἐπιτείχισμα ἐπὶ τὼ ἀπικὼ, ἢ μεγαφοις ἐπιχειρῶμ, ἢ καταλαμβάνωμ ὡρεόμ, καὶ κατα-

ταυτηὶ πᾶσαν πρᾶξιν, καὶ κατάστασιν αὐτῆς μὲν ἀρετῆ φιλισίδιον τυράννου, αὐτὴ δ' ἐρεχθία πλείταρχος, ὃ τὸν ἑλικῶνα ζῶμ ὑφ' ἑαυτῷ ποιούμενος, ἡβυζαΐλιον πολιορκοῦμ, καὶ τὸλφς ἑλλωίδας πὸ μὲν αἰμιερῶμ, εἰς τὰς δὲ φυγάδας καπάγω, τὸτορ ταῦτα παίταπιᾶμ, ἠδίκηκ ἡπᾶσιδῆ, ὃ ἔλυε πὶ ἑρμίλιῶ ἢ ὄ. καὶ τὸτορ φαίναι ἵνα δὲ ἑλλιώμ ἐμ ταῦτα κωλύσαντα πρεῖμ αὐτὸμ ἐχθῖν, ἢ μή; *Verum harum exornationem longe pulcherrimum atque illustre exemplum insignis illa in Verrem actionum peroratio potest exhibere, in qua deos deasq; implorans atq; appellans orator, & ad ταῖσιν vsque progredens inquit: Nunc te Iuppiter Opt. Max. cuius iste domus regale, dignum Capitolio, atque ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum, tibi dicatum, atque promissum, per nefarium scelus de regijs manibus extorsit. Vbi videmus pendere orationem, & spiritum produci vsque ad illum locum: Vos etiam atque etiam imploro & appello sanctissima dea quae illos Ennenses lacus lucosq; colitu. atque inde rursus eadem propemodum figura vsque ad illud: Vt, si in hoc reo, atque in hac causa. Vbi, mutata paulum figura, spiritum rursus ducat, donec tandem conuersa penitus verborum conformatione, brevibus periodis oratio clauditur. Talia passim, & tam crebra veterum orationes legentibus occurrunt: vt stultum videri possit, librum, qui sic quoque iam est*

aequa

æquo longior, superfluis harum rerum exemplis onerare. Illud autem obseruasse ac meminisse nos oportet, hoc genus compositionis atque exornationis, numero non esse obnoxium, sed his legibus solutũ, quocunque tulerit impetus, procurrere, & in hoc a periodo differre, quod periodus aut duobus, aut tribus, aut summum quatuor membris perficitur, & raro vltra procedit; hæc longissimo tractu, & catenata ac pendenti serie protenditur, &, quot cunque libuerit, membris aut commatibus constare potest: nec refert, pariane, an imparia sint: nec semper in membrum, sed sæpe in breuissima desinit incisa, nullũ exquisitum numerum desiderans, sed eo, quem vel natura, vel sors tulerit, plerunque contentum. Illud seruandum, vt, quandiu spiritus sustinet, in eadem dicendi figura continẽter perseueres, membra membris, comma commatibus subinde connectens: at, vbi respirandi necessitas accesserit, poteris, quocunque libuerit modo, dicendi schema variare. harum enim compositionum figuræ tot esse possunt, quot sunt orationis. quæ res miram quandam affert varietatis gratiam, & dicendi copiam. enunciatur enim per rectum, & affirmationem, vt, Hic & Eubœam sibi vindicauit, & aduersus Atticam muros extruxit, & Oreum occupauit. Enunciantur & per interrogationem, vt, quis Eubœam sibi vindicauit? quis Oreum occupauit? quis aduersus Atticam propugnaculum extruxit? Fit & per redarguendi modum, vt, An non hic Eubœam sibi vindicauit? non Oreum occupauit?

non aduersus Atticam muros extruxit? Fit & per demonstrationem, & quasi ostentationem, vt, Ego me ac meos vestris hostibus obieci: Ego mei capitis periculo patriæ libertatem defendi: Ego furorem sceleratorum hominum a vestris iugulis in me conuerti. Fit vero per apostrophen longe pulcherrimè, vt, An non tu & Euboeam tibi vindicasti; & Oreum occupasti; & aduersus Atticam muros extruxisti? Fit & per negationem, vt, si Philippus dicat: Non Euboeam mihi vindicaui: non Oreum occupaui: non aduersus Atticam muros extruxi. Fit & aliis modis, prout rationis figuram variare libuerit. Illud autem sciendum, in ijs ipsis, quæ diximus, & in alijs similibus toties figuram variari, quoties vel numerum, vel genera, vel casum, vel modum verbi mutauerit. ac si rem totam diligenter consideraris, præclaram quandam atq; in primis efficacem orationis acrimoniam ac vehementiam in ijs locis deprehendes, qui distracta & pendenti locutione, per cola & commata producto, vehementi, ac prope iam deficiente spiritu sæpe tractantur: propterea crediderim, quod orator, comprehensionum legibus solutus, naturali impetu fertur, & oratio in morem fluminis nullis obicibus impedita procurrit; nec prius subsistit, quam sibi ipse, quemcunq; vel ratio dederit, vel fors obiecerit, finem sumpserit. Quin & apud proœmiorum circunductiones longiora illa membra, quæ Heroici versus mensuram transgressa χοιναὶ dicuntur, vtilia atque in primis accommodata creduntur. quæ si quis exa-

Cius desiderat, tum Hermogenis ipsius, tum Dionysij Halicarnassei. & iuniorum Græcorum de arte rhetorica libros diligenter euoluat. sic enim intelliget, quanta oratoribus hoc structura genus præstet adiumenta. de quo nos hæc pauca diximus, vt homines nosscerent, non periodicam modo illam, membris mutuo sibi respondentibus & numeris obnoxiam, orationem, sed hoc quoq; distractum, profluensq; ac pendens dicendi genus oratoribus diligenter esse spectandum. quod etsi multi putarunt numeris plane solutum esse; non tamen incondito penitus numero debere concludi arbitramur; cum præsertim Cicero, quem maxime sequi nos oportet, hoc, quod numerosum non putatur, affirmet in primis numerosum esse oportere: idq;, adductis ex L. Crassi oratione, atque adeo etiam ex sua commatibus, ita demonstrat, vt vel ex vno illo loco satis constare possit, nusquam non aliquam oratorij rhythmi habendam esse rationem.

IOVITAE RAPICII, DE NVMERO ORATORIO, LIBER QVARTVS.

PRoximo libro, de commatibus, & colis, quæ cognitu digna videbantur, diligenter quæsita, & excogitata tradidimus. adiecimus etiam multa neque protrita, neque, vt speramus, iniucunda, de genere antiquæ illius elocutionis; quæ a periodis remota, vel sine vllis coniunctionibus soluta procedit; vel alijs, atque alijs subinde copulis ita nectitur, vt iugis, ac perpetua fiat; & continenti, ac pendenti nexu prolapsa, nullo prius loco terminetur, quam res ipsa, quæ agitur, tota plane iam absoluta, finem orationi attulerit. Sequitur, vt iam de eius quoque elocutionis genere dicamus, qua quasi intorta, non suapte natura, sed arte oratoris in orbem rediens, finem sibi imponit; & per circuitus quosdam, quas περιόδους appellant, quasi flexa, quamuis nondum tota re penitus explicata, per se tamen terminatur. & quoniam hac dicendi forma non parum ad eloquentiam conferre existimatur, ac numeroso debet fine concludi: operam dabimus, ne quid omittamus, quod ad huius rei cognitionem pertinere videatur. primum igitur dicemus, a quibus, & quando sit inuenta periodus; tum quid sit, vnde nomen duxerit; quanta illi cum poematibus cognatio ac similitudo; quæ porro mensura

suraillius: per quos casus efferri soleat: quibus potissimum figuris ornari debeat: quot illius species sint: vbi demum, & quo modo ea sit vtendum. quæ singula ita explicabimus, vt neque affectatæ breuitatis obscuritas, neque superflua prolixitatis mora cuiquam esse molesta debeat. proinde lecturos etiam atque etiam obtestamur, ne, quæ a nobis fideli studio disposita sunt, prius vel culpent, vel negligant, quam penitus inspexerint, atque intellexerint. Vt igitur rem quo posuimus ordine persequamur: ab eisdem illis, qui rhytmum oratorium excogitarunt, periodus quoque inuenta existimatur. id autem apud Latinos multo serius, quam apud Græcos factum, M. Tullius ostendit. is enim in Oratore, cũ de periodo, & rhythmo, ac conclusione loqueretur, Anni, inquit, prope quadringenti sunt, cum apud Græcos hoc probatur. In Bruto vero, cũ de Isocrate verba faceret, ita scripsit. Ante hunc verborum quasi structura, & quadam ad numerum conclusio nulla erat: aut, si quando erat, non apparebat eam debita opera esse quæsitam quæ forsan laus sit. veruntamen tunc quoque natura magis, aut casu nonnunquam, quam aut ratione aliqua, aut obseruatione fiebat. In tertio autem de oratore ad Quintum libro, L. Crassum, quem ipse adolescens audierat, de periodo sic loquentem inducit. Veteres illi, sicut hodie multos videmus, cum circuitum, & quasi orbem verborum conficere non possent: (nam id quidem nuper vel posse, vel audere cœpimus) terna, aut bina, aut non nulli singula

etiam verba dicebant. Ex quibus verbis apparet, facilè
ndæ periodi rationem, vel L. Crassi temporibus vel
paulo ante apud Latinos cœpisse cognosci. quæ quo-
niam postea non casu tantum, vt prius solebat, sed
exquisita quadam arte ab oratoribus & facta est,
& frequentata: quid sit, explicare tentemus: atque
id, non tam noua aliqua opinione, quam vetu gra-
uissimorum hominum sententia fieri, præstare vita-
mur. hanc, tu, si forte Ciceronis verbis vti volueris,
ita definias licet. Periodus est oratio, in quadã quasi
orbe inclusa procurrens, quoad insistat in singulis,
absolutisque sententijs. quam definitionem facile col-
ligas ex ijs, quæ in Oratore ad hunc fere modum scri-
pta sunt. In historia, & in eo, quod appellemus
ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Isocrates Theo-
pompeoq; more, illa circunscriptione ambitúq;, vt
tanquã in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat
in singulis perfectis absolutisque sentẽtijs. quibus ver-
bis sine dubio periodũ descripsit. In quarto rhetori-
corum ad Herennium libro (vt alios Latinos interim
omittamus) continuatio, qua sine dubio periodus in-
telligitur, hoc modo definitur: Continuatio est den-
sa, & continens frequẽtatio verborum, cũ absolutio-
ne sententiarũ. Aristoteles autẽ, vnde ij fere omnes
acceperunt, qui hac de re probabile aliquid scriptum
reliquerunt, affirmat, orationẽ aut sine periodis esse,
quã εἱρομένη vocat, de qua suo loco satis multa di-
ximus: aut ex periodis cõstare, quã κατεστραμμένην
nominat post hãc autem orationis distinctionẽ, defi-
nitio-

nitionē periodi in hunc modū statim subiecit: λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. hanc definitionem Demetrius, vetus auctor, vt elegantem, & aptā laudat: quod ipsa statim periodi appellatio ostendat, hanc orationē, a certo principio ortā, certo etiam per se fine terminari. nam quēadmodum in stadio cursores, e carceribus demissi, & ad metas contendentes, cursus sui principium pariter & finem vident: ita in hoc orationis genere statim & principiū comprehensionis, & finē pariter videre possumus. periodum denique similem dicit circularibus, & in orbem suum redeuntibus vijs. atque ad extremum addit, nihil aliud esse periodum, quā compositionem, & quasi conformationē orationis. cuius formam si quis dissoluat, & aliter verba disponens ordinem mutet: futurū ait, vt sensus quidem, ac res eadem maneat: periodus autem nulla relinquatur. id autem probat, Demosthenicam quandam periodū, mutata compositionis ratione, dissoluens. ex qua mutatione liquido apparet, manere sensum, periodum non manere: & sublata forma, quæ periodum efficiebat, periodum euanescere, originem tamen, & semina quædam periodi adhuc extare. quæ ratio facit, vt, quemadmodum supra quoque scripsimus, non male sensisse videantur, qui periodum κῶλα λέξεως esse crediderunt. idem enim omnibus eiusmodi schematibus euenire certum est: vt, turbato verborum ordine, schematū nomen amittant. eandem definitionē

Georgius

Gorgius Trapezuntius ita traduxit. Periodum appello compositionem, quæ ipsa per se ipsam principium habeat, & finem, magnitudinemq; mediocrē. quo loco βύσωόπ pro modico, & mediocri accepit. quod quamuis non sine aliqua ratione factum videri potest: multo satius tamen fuerit vim vocis exprimere, quod Demetrius fecit, ac dicere: Cum principium simul & finis in conspectu est, & vno intuitu facile spectari potest: quippe cum oculis mentis vtrunque statim offeratur. hoc enim pacto a vetere illo incondito, ac pendenti genere orationis periodus melius distinxisset. illius enim structuræ magnitudo ac prolixitas non facile vno simul intuitu spectari potest: cum plerunque pendeat, & in modum fluminis longo ac perenni tractu feratur, nec, nisi explicata tota, finem vllum ostendat, sed, quasi catena quadam, subinde protēdatur. Idem Georgius in hac ipsa Aristotelica periodi definitione ἀρχὴν καὶ τελευτὴν pro ijs intelligi debere existimat, quas iuniores Græci προθέσεις καὶ ἀποδόσεις, hoc est propositiones, & redditiones vulgo dicunt: quæ vel singula singulis, vel binæ singulis, vel binæ binis oppositæ ferè periodos constituere putantur. Hermolaus vero, vir longe doctissimus, eandem definitionem paulo longiore paraphrasi ita complexus est. Periodum vero circumductam orationem, quæ per se ipsam principium habet, & finem, quæ circuitus, atque orbis speciem a amplitudine facile ferit audientium aures. Nimirum putauit intellectu faciliorem fore definitio-

tionem, si non orationem absolute diceret, sed adderet circumductam, hoc est contortam, ac versam, & in qua circumducta membra sibi mutuo respondent, ac vicissim se sustentant, vt ij lapides, qui in fornicibus ædificiorum ita opponuntur, vt sibi mutuo sint adiumento, ne aut in hanc, aut in illam partem queant recumbere, sed illa ipsa oppositione pariter librati firmissime consistant, & vtrinque structuram terminent pariter, atque confirment. nam membra, vagæ illius, & sua sponte fusæ orationis, qua olim sola veteres vtebantur, quasi lapides in aceruum temere coniecti, ac nullo interiectæ calcis glutino, nullaq; ingeniosi artificij iunctura cohærentes, iacere videbantur ignaua, nec vllem structuræ orationis firmitatem, aut certum finem per se afferebant, sed labare illam, & dissolute serpi permittebant: donec tandem res ipsa iam expleta sibi finem attulisset. contra vero huius orationis partes plausibili numero clausæ, ac firmiùs inter se nexæ vinculo, in quendam quasi poeticum cantum conueniunt, & has, quas periodos dicimus, efficiunt. denique, vt intelligas illum dedisse operam, vt intelligibilior esset definitio, διοσωσπον illud, quod Georgius mediocre transtulerat, pluribus verbis explicandum censuit: & metaphoram, quam Aristoteles a videndi sensu ad intellectum traxerat, aliquanto latiori modo enarrans, dixit, Quæ circuitus atque orbis sui spectata amplitudine facile ferit audientium aures. quibus verbis periodicæ orationis suauitatem simul & vtilitatem expressisse mihi videtur:

detur: vtilitatem, quod circuitus sui amplitudinem statim ostendat, nec auditoris animū diu suspensum teneat: suauitatē, quod aures numero suo ita ferat, vt quasi carmen facillime disci possit, atque hoc etiā nomine vtilis sit. nam contra, quæ diutius, quā par sit, pendent, & a rhetorico numero aliena sunt, ea discere vix possumus: ideoq; nulli vsui solent esse. & hæc quidem finitio qualemcunque periodum describere, & complecti mihi videtur. Demetrius vero periodum his verbis definit: περίοδος ἐστὶ σύστημα ἰκανῶν καὶ κομμάτων εὐκατασκόφων πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ἐκκειμένῳ ἀπαρτισμάτων, ἐὰν μάλιστα μὲν ἔννεα τὸ νομίζειν συμφέρῃ τῇ πόλει λελυθαι τὸν νόμον, εἶτα καὶ τὸ παιδὸς ἀνενεκτὸν χαρίσιον ὁμολογήσαι τούτοις ὡς αὐτοῖς τε ὦσιν αἱρεταί. Quæ definitio aliquāto apertius explicat, quid sit periodus: primum, quod non simpliciter λέξιν genus ponit, quod late patet, sed σύστημα, quod contractius est: & addit ex colis, & commatibus, & ijs quidem, quæ facile conuerti possint, & ita sensum perficiant, vt ad subiectam sententiam accōmodentur. apponit, & Demosthenicæ periodi exemplum: & vt plus lucis rei afferat, tricolon esse dicit, & circa finem habere flexum, ac conuersionem. ex quibus omnibus res magis magnq; illustratur. Atque ne quis eorum errorem sequeretur, qui periodum & enthymema idem esse crediderunt, hanc ab illo differre ostendit, quod periodus, compositio, ac structura quædam sit circumacta, ac circumiens: a qua circu-

lari

lari forma nomen ipsum periodi deducitur: enthymema vero vim, constitutionemq; in sententia habeat: periodus item sit circulus & cōprehensio quædam enthymematis, sicut cæterarum quoque sensuū esse solet: enthymema vero sententia quædam, quæ contentiosæ consequentiæ figura enunciatur. cuius rei satis magnum putat argumentum, quod si enthymematis periodici, hoc est formam periodi habentis, compositionem dissoluas, periodus euanescit, enthymema nihilo minus remanet. Huc accedit, quod enthymema syllogismus est rhetoricus, periodus vero neque syllogysmus est, neque quicquam ex præmißis, ac conceßis colligit, sed tantum vt elocutio enthymemati adhæret. Ad hæc, periodum in qualibet orationis parte ponimus, enthymema, non ponimus. Quod vero contingit, vt enthymema, cui periodus adhæret periodus videatur id propterea fit, quod structura periodica & circulari compositū est: quam tamen formam vsque eo potest deponere, vt nullam periodi retineat imaginem. demq; vt paries, cui albus color contigerit, albus recte dicitur, albedo tamen dici recte non potest: ita enthymema, cui periodus adhæserit, periodicum optimo iure dixeris, periodum vero esse nullo iure dixeris. at Hermogenes Tarsensis, cum de verborum figuris tractaret, in hūc fere sensum periodum definiuit. Periodus proprie est totius argumentationis vrgens, ac cogens collectio, & quasi clauis quædam: atque ea demum vera periodus putanda est, quæ argumentationem perfi-

perficit, & in vnum agit, ac concludit. nam qui aliter dicit, ac non concludit, potest ille quidem compositioni formam periodi adhibere, periodum tamen non facit, sed περιοδικῶς loquitur, hoc est similitudinem quandam periodorum structura orationi effingit. Caterum vera periodus non sola verborum cõformatione, ac figura, sed sententia quoque argumentationem in vnum cogit, ac colligit, atque concludit: ideoq; a nonnullis enthymema dicitur. non potest autem periodus enthymematica esse, nisi fuerit eadem sententiosa, & aut, quod vniuersale est, ad proprium, ac particulare deducat, aut contra, quod particulare ac proprium est, ad vniuersale retroducat. ex qua Hermogenis descriptione satis omnibus clarum fieri arbitror, quanam demum illi videatur vera ac proprie dicta periodus. & praeter eam tamen idem auctor innuit esse quandam compositionis in sermone formam: quae etsi argumentationem non concludit: quia tamen non sponte fusa, non tractum fluens, aut perenni nexu pendens procurrit, ac in modum verae periodi sensum qualicunque circumscriptione claudit, vulgo periodus, non proprie, sed largiori quodam modo nominetur. ac de ista intelligendũ arbitror, cum Demetrius ait, omnia Alcidamantis, Gorgiae, & Isocratis scripta ita perpetuis, & continentibus periodis, vt hexametris heroicis Iliada, contexi. atque item cum in Oratore Cicero placere sibi asserit, in historia, & in eo genere orationis, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, dici omnia Isocrateo,

Theo-

Theopompeoq́ more, illa circunscriptione ambituq́, vt tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis, absolutisq́ sententijs. atq́ addit, posteaquam nata est hæc vel circunscriptio, vel comprehensio, vel continuatio, vel ambitus, neminem, qui aliquo in numero fuerit scripsisse orationem generis eius, quod esset ad delectationem comparatum, remotumq́ a iudicijs, forensiq́ certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumq́ sententias. Et hæ quidem duæ periodi formæ ita sunt ab arte progressæ, vt ab eadem certa quadã mensura, de qua mox loquemur, cohiberi soleant. Earum altera, vt dictum est, conformatione sola verborum speciem periodi exhibet. hæc qui vtitur, non periodum veram facere, sed περιοδικῶς tantum loqui videtur Hermogeni, propterea quod argumentationem non concludit. altera vero illa, quam idem auctor veram putat, non figuram modo periodi accipit, sed id præstat, quod ille periodi proprium putat; vt quasi clauis quædam epichirema concludat. Est & tertia quædam periodi forma, quam non ars vlla, sed natura ipsa metitur. ea tantum verborum complectitur, quantum volui vno spiritu potest; & hoc facit, cum longissima est. nam & breuior solet esse, & rhythmum non magnopere curare, atque interim plura commata, ac cola, sed suspensa tamen, & vsque ad perfectum sensum pendentia recipere. hæc non apud rhetores solos, sed passim in omni genere scriptorum inuenitur. Verum, quando iam de-

Eliſimorum hominum ſententijs ſatis oſtenſum eſt, quid ſit periodus; videamus etiam, vt poſſumus, rationem nominis. Periodon igitur nemo non videt, vocem compoſitam eſſe ex περὶ *præpoſitione, quæ circum ſignificat, & nomine* ὁδὸς, *quod viam notat; propterea quod ſit circuitus quidam orationis, & quaſi circularis via in ſeipſam rediens; vnde etiam deductum verbum* περιοδεύειν, *quod circuire eſt. Cicero latina periodo dedit multa nomina: quæ tamen omnia oſtendunt, nihil aliud eſſe periodum, quam formam quandam orationis, quæ non profluat, & vagetur, ſed ſenſum numeris aptis aſtricta concludat. nam circuitum & ambitum, & comprehenſionem, & circunſcriptionem, & continuationem dici poſſe affirmat, quod & Quintilianus probat, quo magis mirum eſt, quenquam extitiſſe, qui inter hæc tantam differentiam prodiderit, vt comprehenſionem genus ſtatueret; circuitum, ambitum, continuationem, atque id quod* περίοδον *Hermogenes appellat, eius generis ſpecies crederet: cum non ſolum Cicero & Quintilianus, ſed omnes, qui pure ac latine locuti ſunt, nihil referre putauerint, ambitumne, an circuitum dicerent. itaque terrarum, inſularumque, & ædium tum ambitum, tum circuitum, vt locus tulerit, dicere nemo paulo eruditior dubitauerit. Hanc vero ipſam, de qua loquimur, periodum Rufinus grammaticus, ſi non doctiſſimus, certe latini ſermonis non imperitus, & circuitum, & ambitum dici notiſſimis illis ver-*

ſibus

sibus testatur. Ambitum quoque seu circuitum in febribus stato quodam temporis spatio redeuntibus, periodon medici vocant, qua ratione ducti veteres scriptores, eos athletas, qui olympia, Pythia, Isthmia, & Nemeæa vicissent, periodo vicisse dixerunt; quod clarissimas illas, apud Græcos celebritates vbique vincendo circumijssent. quin istas ipsas quatuor celebritates quidam e Græcis non indocti homines periodon vocant. Sed nos, ijs omissis, eo redeamus, vnde digressi sumus; & periodum latine circuitum, ambitum, circunscriptionem, comprehensionem, & continuationem dici meminerimus. Quoniam igitur, vt iam sæpe diximus, oratoriam dictionem neque ἔμμετρον, neque ἄρρυθμον, neque ἐξάρυθμον, sed ῥυθμοειδῆ esse voluerunt, & imaginem quandam poeticæ suauitatis rhythmo, atque ambitu quodam ita exhibere, vt a versu tamen, atque a diligenti & perpetuo rhythmo longe abesset; videamus, vtcunque possumus, quonam tandem modo periodus imaginem poeticæ exhibeat suauitatis, & a versu longe aliena, similitudinem tamen versuum præ se ferat. Aristoteles, grauis auctor, ait, versam orationem, hoc est, eam, quæ periodis constat, esse similem veterũ poetarum antistrophis. itaq; vt hanc similitudinem facilius intelligamus, quærendum nobis est, quid fuerint apud veteres poetas antistrophæ. quod etsi facile non possumus inuenire; quoniam Lyricos poetas, de quibus Aristoteles loquebatur, omnes pro-

pe amiſsmus: tentabimus tamen, an veriſimile aliquid, quod ad rem faciat, afferre in medium poſſimus. extant enim adhuc pauca Pindari, quæ per ſtrophas, & antiſtrophas, & epodos ita videmus eſſe digeſta, vt, quot membra habuerit ſtrophe, totidem ſemper habeat antiſtrophe: atque ea membra variis metris ita texuntur, vt, qualis fuerit in ſtrophe primus verſus, talis in antiſtrophe quoque primus deprehendatur; atque vt primus primo, ita ſecundus ſecundo, tertius tertio, ac deinceps ſinguli ſingulis metri ratione, & temporum numero reſpondeant: vt fortaſſe voluerit Ariſtoteles periodorum redditiones, quas ἀποδόσεις vocāt, ita propoſitionibus, quas προθέσεις appellant, reſpondere, vt oratoria dictio, perinde ac ode quædam Lyricorum more, conſtituta videatur. Verum ſi cui hæc ſimilitudo parum quadrare ideo videbitur, quod Pindaricæ ſtrophæ atque antiſtrophæ e multis fere membris ſibi mutuo reſpondentibus conſtant; periodi ad quatuor tantum membra porrigi credantur: is exiſtimet, apud alios poetas breuiores, quam apud Pindarum, fuiſſe ſtrophas, & antiſtrophas; nec putet Horatium apud nos lyrica ita compoſuiſſe, vt ſine Græcorum poetarum exemplo id fecerit; cum præſertim ipſe, ſe Archilochi numeros, animoſq; ſecutū eſſe, vltro glorietur. apud hunc autem nulla ſtrophe, aut antiſtrophe quatuor verſuum numerum excedit. odarum vero illius inſcriptiones, ſiue a poeta ipſo appoſitæ, ſiue ab aliquo alio fictæ, non tam membrorum, quam metricarum ſpe-

ſpecierum numerum indicant. eſt enim quæ inſcribatur monoculos, vt, Mecœnas atauis edite regibus: eſt quæ dicolos, vt, ſic te diua potens Cypri, ſic fratres Helenæ lucida ſidera: cum vero multæ ad quaternos verſus perueniant; nulla tamẽ eſt, quæ diuerſas quatuor metri ſpecies habeat: ſed in alijs ſunt tres verſus inter ſe ſimiles quartus diſſimilis, vt in illa, Iam ſatis terris: & in illa, Nolis longa feræ bella Numantiæ, quarũ vtraque dicolos inſcribitur, & tetraſtrophos: quæ inſcriptio duas metri ſpecies ineſſe, & a quarto verſu conuerſionẽ fieri oſtendit: cum tamen vtraque non minus tetracolos, quam tetraſtrophos inſcribi debuiſſe videatur. vt enim poſt quartum verſum conuertitur, ita quatuor verſus, quaſi membra quatuor complectitur. in alijs duo inter ſe ſimiles, tertius, & quartus, tum inter ſe diſſimiles, tum a ſuperioribus duobus differentes, vt in illa, Vides vt alta ſtet niue candidum: & in illa, Quis multa gracilis te puer in roſa: quarum vtraque tricolos tetraſtrophos a tribus metri formis, & a conuerſione, quæ poſt quartum verſum fit, inſcripta eſt. Nec dubitarim, quin apud Alceum, aut Sappho, aut Anacreontem, aut quempiam alium e lyricis huiuſmodi ſtrophæ, & antiſtrophæ reperirentur. adhuc certe Anacreontis extat fragmentum, cuius exode quadam verſus in epigrammatibus gracis leguntur,

ἄμοι μέλᾳ γύγαο
τᾦ σαρδίωυ ἁϊκτᾦ,

ὅτι αἰρέθημε χρυσὸς.
ὅδε φθονῶ τυραννοις
ἐμοὶ μέλῃ μῦροισι
καταβρέχειν ὑπάνθω
ἐμοὶ μέλῃ ῥόδοισι
κατα σέφη κάρηνα.

Quam odem fuisse monocolon ex diametris Iambicis catalecticis, manifestum est apud A. Gellium libro noctium Atticarum decimo nono, capite nono, sunt hi Anacreontis versus eiusdem generis:

χρυσοκόμην Ἔρωτα δήσας
ἔφασκέ μοι πολίτην:
πανοπλίας μὲν ἔχει·
τί δ' ἐν μάχαισι κάμοί
ποτ' ἔσται δὲ κεῖνον
ἄγειν δυνήσομαι βαθυσμὸν
καὶ μὴ ποιῇ κατ' αὐτὸ
μήτ' ἄγρα μήτ' ἀμάξας.

Sed & Ephestion in tractatu περὶ τοῦ μέτρου κατὰ ἀνθυπάθεμα oden quandam Sapphus tetrastrophon e tribus endecasyllabis & quarto pentasyllabo factam ostendit; & eius primum versum citat, & quartum. nos totam apud Dionysium repertam hic adscribendam curauimus: tum quod ad id, quod quærimus, erit accommodata: tum quod ijs, qui

pos-

poeticas delicias amant, gratum fore putabamus, si poetria tam celebris & antiquæ carmen, quod e multis vnum superesse creditur, hic quoque legendum exhiberemus.

Σαφοῦς ᾠδή.

Ποικιλόφρων ἀθανατ' Ἀφροδίτα
παῖ Διὸς δολοπλόκε, λίσσομαί σε
μή μ' ἀτασι, μήδ' ὀνίαισι, δάμνα-
τον τιν' θυμόν.
Ἀλλὰ τῆδ' ἔλθοις ποτε κατ' ἔρωτα
τὰς ἐμᾶς αὐδᾶς αἴοις, ἃς πρόλακὼ
ἔκλυες, πάτρος δ' ὄδομον λιποῦσα,
χρύσεον ἦλθες.
Ἅρμ' ὑπασδεύξασα, κάλοι δέ σ' ἆγον,
ὠκέες στροθοὶ περὶ γᾶς μέλαιναν
πυκνὰ δινεῦντες πτέρ' ἀπ' ὤρανῶ, αἰθέ
ρος διὰ μέσσω.
Αἶψα δ' ἐξίκοντο; τύ δ' ὦ μάκαιρα
μειδιάσασ' ἀθανάτῳ προσώπῳ
ἤρε, ὄττι δηὖτε πέπονθα, κὠττι
δηὖτε κάλημι.
Κῶττ' ἐμῷ μάλιστ' ἐθέλω γενέσθαι
μαινόλα θυμῷ, τίνα δηὖτε πείθω
καὶ σαγήνευσαι φιλότατα. τίς σ' ὦ
Σάπφ' ἀδικήει.
Καὶ γὰρ αἰ φεύγει, ταχέως διώξει,

αἰ δὲ δῶρα μὴ δέχετ', ἀλλὰ δάσῃ
αἰ δὲ μὴ φίλᾳ, ταχέως φιλήσῃ.
καὶ ἐν ἐυέ-
λοις ἐλθὲ Κνωῦ, χαλεπαῖ ἢ λῦθρ
ἐν μεσεῖ μναῖ, ὅσα δέμοι πλέοσαι
θυμὸς ἱμέρᾳ πέλεσθαι, σύ ἢ κώτὰ
σύμαχθ' ἔσσο.

Vides strophas & antistrophas quaternorum versuum: quales & Alceum fecisse scribit Ephestion. tales apud Horatium nostrum nemo non nouit. Huc accedit, quod non indoctus ille Hermogenis enarrator, quem iam antea citauimus, ait, veteres poetas tres versus ita facere solitos, vt duo precedentes longiores essent, tertius illorum vtroque breuior: e quibus primum strophen, secundum antistrophen, tertium epodon nominarent; & in festorum dierum celebritate ita canerent, vt strophen quidē choream ab oriente occasum versus agentes, antistrophen vero, eadem mutata, & ab occasu ad orientem conuersa, epodon autem stantes pronunciarent, addit etiam rei totius rationem, quod strophe motum supremæ sphæræ, antistrophe errantium siderum imitaretur; epodos autem terræ stabilitatem referret. quod ipsum & in Pindari commentarijs legimus. Huiusmodi igitur antistrophis similem esse elocutionem, quæ ex periodo constat, cum dicat Aristoteles; facile intelligimus periodos, sicut lyrica carmina, aut singulis, aut binis, aut ternis, aut quaternis constare

ſtare colū: & in hac re ſimilem eſſe poematibus periodicam locutionem, quod inſtar lyricorum carminum, per quaſdam quaſi ſtrophas, & antiſtrophas in orbem certum procurrat pariter ac recurrat. Erit igitur periodus monocolos, quæ vno membro cōſtat, ſicut ode monocolos. hanc Ariſtoteles ἀπελῆ appellat. quam ipſam Demetrius ἀπλῆν, quaſi tu ſimplicē dicas, interpretatur: eamq; fieri ait, vbi membrū, & iuſtam longitudinem, & κάμψιν, hoc eſt flexū quendam circa finem habuerit, vt longitudo ipſa protheſeos, flexus vero apodoſeos locū expleat. atq; eius exemplum ex Herodoto citat: ἡροδότου ἁλικαρνασσέος ἀπόδεξις ἥδε. tale dicit eſſe, & illud: Dilucida oratio magnum lumen præbet audientium mentibus. & hic enim, & in Herodoti verbis, ex mēbri longitudine, & eo flexu, quem finis habet: periodus conſtat, atque ita conſtat, vt vtrūque ſit neceſſarium, vnum vero ad periodum explendam ſatis eſſe non poſſit. Tales ſunt duæ illæ apud Ciceronem in primo de oratore libro: Tibi vero frater neque hortanti deero, neque roganti: nam neque auctoritate quiſquā apud me plus, quam tu, valere poteſt. neque voluntate. Adijcit Hermogenes, huiuſmodi periodorum ſententiam tali hyperbato figuratam eſſe oportere, vt vſque ad finem perduret, & porrecte comprehendatur: talemq; ex Demoſthene citat in hunc ſenſum: an non erubeſcitis, quod ne illa quidem, quæ vos pateremini, ſi poſſet ille, facere cum poſſitis, audeatis? talis eſt notiſſima illa: Boni viri, turpitudine, non

ſu: & delicto ſuo, non aliorum iniuria, commouentur. tales plurimæ, ac neſcias, an ſit vlla frequentior periodi forma: cum præſertim Ariſtoteles, ſi Demetrio Phalereo & Archidemo credimus, ſcriptum reliquerit: Colon, vbi compoſitæ periodi pars non eſt, periodum ſimplicem fieri, ſi ſententiam per ſe abſoluat. id autem ſæpiſſime vſu venire, quis neſciat? Quare ſubit mirari, cur quidam in libris, quos de rhetorica facultate ſcripſit tam perfracte, tamq; audacter negarit periodum vllam monocolon reperiri, ac non prius veteres auctores legerit, atque omnes ſchedas excuſſerit, quam eorum auctoritatem contemneret, quos multis ſeculis propter eruditionem in ſummo apud omnes honore fuiſſe legerat. ſed illum miſſum faciamus, & ad penſum noſtrum redeamus. Dicolos periodus eſt, cuius propoſitio cum vna, & vnius membri ſit, pari redditione contenta eſt: quales fere ſunt omnes, quæ ſimplicem ſententiam aliquam de media vita ſumptam continent: quas quidam ad ſimilitudinem eorum enthymematum, quæ γνωμικὰ appellantur, γνωμικὰς periodos vocant: quod vt illis, ita etiam his ſententiæ quædam graues explicentur: qualis eſt hæc: quæ præter dignitatem cõtingit fœlicitas, ea ſtultis male cogitandi affert occaſionem: Item: Omnis vitæ ratio in virtute ponẽda eſt, quando præter eam, vana fluxaq; ſunt omnia. Tricolos fit, cum aut propoſitioni bimembri vnius membri reddiũo accommodatur: aut contra, cum vnimembris propoſitio bimembrem acceperit reddi-

tio.

tionem. Exemplum prioris afferunt illud, vtcunque ex Demosthene translatum.

Quarum rerum gratiam Philippus suis fautoribus debet,
Quarumq; pœnas exigere nobis conuenit,
Earum nunc mentionem facere non vacat.
Post exemplum illud esse potest:
Qui beatorum morte tristantur,
Hi vel illorum fœlicitati inuident,
Vel propriis potius incommodis dolent.

Et illud.

Qui pecuniam largiri prodigo instituit,
Is & fontem propriæ liberalitatis exhaurit,
Et illi materiam peccandi suggerit.

Et illud ex quarta in. c. Verrem actione.

Ergo hoc vestro consilio & gratia perfectius,
Vt & mihi summa facultas ad accusandum daretur.
Et iudicibus libera potestas ad credendum.

Tetracolos est, quæ duas propositiones ita habet, vt suam vtraque earum redditionem inclusam contineat: ac rursus ita duas redditiones habet, vt suam quæque præpositionem includat. atque hanc quidem plenã periodum Cicero nominat. cæterum periodorũ membra quasi nodos quosdam atque articulos esse dicit, quos in periodo coniungimus, sensumq; & structuram in rotundum quoddam, atque in se redeũs corpus redigimus. Hac autem quadrimembri perio-

periodi formam in primis elegantem, & variandæ elocutioni aptam putant: quia, alio, atque alio loco positis membris, & mutato sæpius illorum ordine, oratio solet ita variari, vt tamẽ idẽ sensus maneat, nec argumentationis conclusio nec periodus ipsa dissoluatur. cui rei exemplo est Demosthenica illa a Græcis rhetoribus diligentissime considerata, & quater in varias facies, figura manente, mutata, in hunc fere modũ: Dum neminem esse decernit immunẽ, immunitatẽ immunibus abstulit. Dũ adijcit, ne cui deinceps dare liceat, vobis post hac dandi potestatẽ, vt extrinsecus accipiamus, abstulit. Transfer eam propositionem, quæ tertia est, in primum locum, & redditionem, quæ quartum locum tenebat in secundum, & primam in tertium, & secundam in quartum: non minus erit vera comprehensio, sic.

Qui decernit, ne post hac liceat immunitatem dare:
Is vobis eius dandæ potestatem adimit.
Idem, cum decernit immunem esse neminem,
Immunibus aufert immunitatem.

Potes & propositiones coniungere, & redditiones cõiunctim subdere hoc modo.

Qui neminem immunem esse decernit:
Et adijcit, ne dare post hac liceat immunitatem:
Is & immunitatem aufert immunibus,
Et vobis eius dandæ potestatem.

Potes

Potes e redditionibus propositiones facere, hoc modo:

Is simul & immunitatem immunibus,
Et vobis eius conferendæ adimit potestatem:
Qui & neminem immunem esse decernit,
Et dare post hac prohibet immunitatem.

Tetracolos est illa Ciceronis pro A. Cæcinna

Si, quantum in agris locisque desertis audaciæ potest,
Tantum in foro, iudiciisque impudentiæ valeret:
Non minus nunc A. Cæcinna cederet, Ebutij impudentiæ,
Quam tum in vi facienda cessit audaciæ.

Eam tu, si libeat, potes hoc modo immutare, sensu manente, ac figura.

Ita nunc A. Cæcinna cederet Ebutij impudentiæ,
Vt olim in vi facienda cessit audaciæ:
Si tantum in foro, iudiciisq; impudentiæ valeret,
Quantum in agris, locisq; desertis audaciæ potest,

Adeoque flexibilis est hæc quadrimembris periodi figura, vt curiosa Græcorum hominum sedulitas apud Demosthenem eiusmodi periodum deprehenderit, quæ per χιασμὸν, quam nos decussationem dicere possumus, saluo sensu, nec dissoluta periodo, sæpius, quam quisquam credat, variari queat. Ea variatio quo modo fiat, apud Hermogenem, & non contemnendos illius interpretes poterit, qui volet, inuenire. nos istam qualemcunque artis partem otiosis relinqui-

quimus, locum illū, vnde discerent, monstrasse contenti. In ea periodo tum vtrisque propositionibus redditiones, tum redditionibus propositiones accommodari alterutri pro arbitrio possunt: nec vllum prorsus in ea colon est, quod cuilibet aliorum non & præponi & postponi salua periodo possit. periodus ipsa hæc est.

ὁ μὲν γὰρ φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὑτοῦ, τοσούτῳ θαυμαστὸς πᾶσι νομίζεται.

ὑμεῖς δὲ ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι ὅσῳ χεῖρον ἢ προσῆκεν ἐχρήσασθε τοῖς πράγμασι, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνην ὠφλήκατε.

Philippus quo plura præter suam fecit dignitatem,

Eo apud omnes admirabilior iudicatur.

Vos, o Athenienses, quanto peius, quam conueniebat, rem gessistis,

Tanto plus dedecoris vobis comparastis.

Hæc autem periodicæ orationis cum lyricorum poetarum carminibus similitudo illud quoque præstat, vt multo iam facilius intelligatur quæ sit periodi mensura: de qua nos quinto loco dicturos promiseramus. Ex ijs enim, quæ proxime dicta sunt, constare cuiuis potest, periodum neque monocolo breuiorem, neque tetracolo longiorem esse oportere. quod ipsum Cicero quoque intelligens, in Oratore ita scribit:

bit: Constat ille ambitus, & plena comprehensio e quatuor fere partibus, quæ membra dicimus: vt & aures impleat: & ne breuior sit, quam satis est: neque longior. & tamen ait sæpius accidere, vt aut citius insistendum sit, aut longius procedendum: ne aures aut prolixitas obtudisse, aut breuitas defraudasse videatur. Idem non ita multo post ait: E quatuor igitur quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio. quod Rufinus quoque confirmat his versibus:

Quatuor e membris plenum formare videbis
Rhetora circuitum, siue ambitus ille vocetur.

Denique etiam Demetrius Phalereus constanter affirmat, comprehensionem, quæ quatuor membrorum numerum excedat, intra periodi symmetriam non consistere: Quintilianus quanquam, hæc legerat, tamen affirmare non dubitat, periodum plura, quam quatuor, membra frequenter admittere: mensuramq; eius ait a Cicerone aut quatuor senarijs versibus, aut ipsius spiritus modo terminari. neque non tamen Cicero ipse hac in re mediocritatis rationem habere se profitetur: propterea quod membra ista solutæ orationis, versus non sunt, sed instar versuum: & soluta oratio multo esse liberior debet, quam poetica: periodus neque immodica esse debet, vt memoria possit cõtineri: neque obscura, ne fatiget audientem, dum parũ intelligitur. L. Crassus, orator ille vel in primis laudatus, breues admodũ periodos,

auctore

auctore Cicerone, facere gaudebat: atque id Aristotelis auctoritate faciebat, vt opinor: qui videtur sensisse, omnē periodum aut monocolon esse, aut dicolon. nam cum definiret colon, id dixit esse alteram partem eius periodi, quæ ex membris composita esset ex eo enim, quod alteram partem dicit, duas tantum esse partes periodi compositæ, non plures, ostendit. quod Demetrius quoque Phalereus, & ante illū Archidemus intellexit. indicant id etiam exempla, quæ ille ex oratoribus citat. in quibus non facile vllum dicolo maius posis deprehendere. quibus causis fortasse adductus Crassus & periodos breues faciebat, & libenter orationem solebat in commata & cola partiri. Ciceronis in Bruto super ea re verba sunt: Comprehensio & ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) erat apud illum contractus, & breuis: & in membra quædā, quæ Græci vocant κῶλα, dispertiebat orationem libentius. commatum autē, & membri, ac periodi ex eiusdem Crassi scriptis hoc in Oratore Cicero exemplum ponit:

Missos faciant patronos:
Cur clandestinis consilijs nos oppugnant?
Cur de nostris profugis copias comparant contra nos?

Quem locum quasi exponens ait, prima illa duo incisa esse, tertium membrum, posteà sequi non longam periodum ex duobus membris perfectam, & in Spondeos cadentem. Quin etiam ex concione quadam

dam C. Carbonis, se stante, mirabili clamore populi hæc verba fuisse dicit excepta:

O Marce Druse:

Patrem appello.

Hæc commata duo esse dicit binis pedibus.

Tu dicere solebas,

Sacram esse remp.

Hæc duo cola esse affirmat ternis pedibus.

Quicunque eam violassent,

Ab omnibus esse ei pœnas persolutas.

Patris dictũ sapiens filij temeritas comprobauit.

Periodum esse dicit, & vltimum membrum, atque id, quod præcedit, Dichoreo claudi. Ponit etiam ex sua ipsius oratione hoc:

Domus tibi deerat?

At habebas.

Pecunia superabat?

At egebas:

Commata quatuor esse dicens.

Incurristi amens in columnas:

In alienas insanus insanisti:

Hæc vero membra duo dicit.

Depressam, cæcam, iacentem domum pluris, quam te, quam fortunas tuas, æstimasti: hanc periodum longam vocat. Ponit & illud ex sua oratione exemplum:

O callidos homines,

O rem excogitatam,

O ingenia metuenda:

Membra tria esse dicit.

Diximus:

Testes dare volumus:

Commata dicit esse duo.

Quem, quaeso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos? comprehensionem ex duobus membris esse affirmat. Quae exempla cum posuisset, adiecit, se ideo illa posuisse, vt, qui vellet, ipsis auribus iudicare posset, quid numerosum esset, etiam in minimis particulis orationis. Ego illud etiam considerandum puto, quid sit, quod illud suum, Depressam, caecam, iacentem domum plūris, quam te, quam fortunas tuas, aestimasti, longam comprehensionem dicit: quid item, quod illud L. Crassi, Cur de nostris profugis copias comparant contra nos? duorum esse membrorum periodum dicit: itemque illud, Quem, quaeso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos? tam brevem cōprehensionem esse dicit, vt nulla possit esse brevior. Ac prius quidem mirum videri potest, quid sit, quod haec, quae alius membra non immerito nominaret, periodos appellet duorum membrorum. cuius rei eam causam possumus iudicare, quod in longioribus membris eam partem, quam κῶλον Demetrius nominat, hic fortasse membrum appellet: atque ex hac, & ea, quae praecedit, parte periodon dicolon eam intelligat, quam alij simplicem, ac monocolon vocant. quae nimirum nulla potest esse brevior. itaque hac brevitate moti quidam non periodū, sed membrum paulo lorgius esse crediderunt: Quod vero illud, Depressam caecam,

cæcam, iacentem domum pluris, quam te, quam fortunas tuas, æstimasti, longã comprehensionem, hoc est periodum vocet: ea ratio videri potest: quod hanc vtique simplicem periodum intelligebat, quæ esset ex longissimo membro. hæc enim si comparetur compositis, ac longis, quæ trium aut quatuor hexametrorum tempora exæquant, breuis est. at contra, si eam conferas cum simplicibus, re vera longissimam deprehendes. habet enim membrum multo longius iusto, ex ijs, quæ κολοπενῆ vocari dicit Hermogenes. sustinet enim & producit sensum vsque ad vltimum. Ex huius igitur flexu, & præcedenti parte facta periodus longissima est, comparatione aliarum simplicium. Iam igitur, vt opinor, propemodum patet, cur Crassi periodum non longam, cur e duabus suis alterã longam, alteram adeo breuem dicat, vt nulla possit esse breuior. quod si quis instet, ac nimis anxie exquirat, cur has partes Cicero non cæsa, non flexus, sed membra nominet: is, velim, meminerit ab Aristotele neque κόμματα, neque κῶλα, quicquid hoc est, vsquam vocari: verum, siue paucis, siue multis syllabis huiusmodi vocũ structuræ cõpleantur, promiscue κῶλα nominari. quod sciens Cicero, ea mẽbra, quæ iusto longiora flexũ quendã circa finem acciperent, & in duas partes vt cunq; diuidi possent, duo, vt videtur, membra appellauit: & ea periodo, quæ ex ijs est, nullã posse breuiorẽ esse, iure pronunciauit. periodũ vero iubent æquilaterã, & æquis cruribus ac membris esse. Sed in redditione putat Demetrius

postremum membrum productius esse oportere: nè concisa videatur, & quasi manca periodus: quæ putatur grauior, ac multo augustior, si in longum membrum desinat: qualis est illa apud Ciceronem notissima:

Quæ nobis designatis timebatis,
Ea ne accidere possent,
Consilio meo, ac ratione prouisa sunt.

Ea de re Ciceronis verba ex tertio de oratore libro libuit asscribere. Sed continuatio ista verborũ soluta multo est aptior, atque iucundior, si est articulis mẽbrisque distincta, quam si continuata, ac producta. membra autem illa modificata esse debebunt. quæ si in extremo breuiora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus. sic enim has orationis conuersiones Græci nominant. quare aut paria debent esse posteriora superioribus, extrema primis: aut, quod etiam est melius, & iucundius, longiora. hæc ille cũ scripsisset, statim adiecit, ab ijs philosophis, quos Catulus maxime diligeret, esse dicta. intelligebat autem peripateticos, atque in ijs Aristotelem maxime ac Theophrastũ, quos Q. Catulus mirum in modum diligebat, vt peripateticus peripatetica secta principes. At enim Hermegenes ait, ἰσοκολῶ μὴ ἰσόπλευρον, hoc est, æquis cruribus, ac lateribus periodum esse oportere, vel certe breuiorem in apodosi: parumq; efficacem putat oratorem, qui redditionem in periodis faciat longiorem, quam propositionem: vt fortasse dicendum sit, hanc, quæ breuiore membro clauditur,

effica-

efficaciorem: vt hæc ex quinta in Antonium oratione: Cuius igitur singularem prudentiã admiramur, eius stultitiam timemus? illam quæ longiore, grauiorem, vt, Ille paludes siccare voluit: hic totam Italiã moderato homini diuidendam dedit. eam, quæ pari, mediam quandam esse, vtriusque participem, & ab vtraque tamen differentem, vt est illa: Forsitan vix conuenire videretur, quem ipsum hominem cuperent euertere, eius effigiem simulacrumq; seruare. Et hæc fere habuimus, quæ de periodi mensura dicenda viderentur. sequitur, vt dicamus, quo modo per casus enunciari, deinde etiam quibus maxime figuris ornari periodus soleat: Obseruatum igitur est ab eodem Hermogene, per omnes eam casus enunciari posse, per rectum quidem sic, Qui ea facit, ac comparat, quibus capi possim, is etsi nondum tela cõtorquet, mecum bellum gerit.

Per genitiuum ad hunc modum:

Cuius est animus in virtutibus occupatus,
Eius apud omnes gentes vita censetur esse laudanda.

Per datiuum vero ita:

Vt viris fortibus prodest animi celsitudo:
Sic ijs, qui sunt imbelles, solet nocere formido.

Per accusatiuum, vt,

Quem sua conscientia, & culpa condemnat,
Eum nemo sine suo dedecore defendit.

Per ablatiuum, vt,

Ab ijs optabile est vitæ præcepta discere:

A quibus viuendi initia sumpseris.

Possumus autem non solum enunciatiue, & asseuranter, sed alio atque alio schemate periodos efferre, atque exornare, per interrogationem quidem hoc modo:

Cur vero? cur hoc perperam decretum quisquam iudicet?

An quia contra leges? atqui hoc vnum est secundum leges.

An quia dissolutio est ordinis?

Atqui hoc, vt non aliud, fundamentum est ordinis.

Per increpationem hoc modo:

Non erubescitis, si, quae ille vobis damna, si posset, inferret,

Ea vos illi, cum liceat, non inferatis?

Per ironiam, vt,

Est vero venia vestra dignus Aeschines:

Credo: quia terra profectus est, tum, cum erat nauigandum:

Vel quia, cum maxime vera dicere expediret, mentitus est.

Per similitudinem, quae pulcherrima iudicatur, sic:

Vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis:

Sic non omne facinus in omni vita nascitur.

Et notissima illa:

Vt, si quis illorum prius damnatus esset, tu haec non scripsisses:

Ita,

Ita, si tu nūc pœnas dederis, alius deinceps nō scribet.
Potes & per alia schemata efferre, vt maxime commodum videbitur, per sententiam quidem hoc modo
Optima viuendi ratio est eligenda.
Eam consuetudo iucundam reddet.
Per conclusionem hoc modo:
Si in eos plurimum fortuna potest, qui suas omnes rationes in casum contulerunt: non sunt omnia committenda fortunæ: ne magnam nimis in nos habeat dominationem. Illud adnotauit Aristoteles, periodō, quæ in membris sit posita, & e pluribus constet, vel διῃρημένην esse, vel ἀντικειμένην. & διῃρημένην quidem dicit eam, cuius membra ita libera solutaq; sunt, vt eorū partes mutuo se non respiciāt: qualis illa ex Isocratis panegyrico prima: πολλάκις ἐθαύμασα τὰς παναγύρεις συναγαγόντων καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων. eius vero quā ἀντικειμένην nominat, membra ac verba prope singula vicissim opponi, ac sibi mutuo respondere ostendit. quales fere sunt omnes, quæ efferuntur per contrarium: quod alij antithheton, ipse antithesin nominat: quo in genere diligenter, vt omnia, considerauit, ac scripsit Phalereus, periodos, quæ in antithetis sunt constitutæ, interdum fieri ex membris, quæ sensu pariter ac verbis opposita sunt: cuius rei exemplum ab Isocrate sumptum, potes, si libet, ita effingere: Gerses vt Græciam occuparet, naturæ vim intulit nam & per terras instructa classe nauigauit: & per maria pedibus incessit. Interdū vero ex ijs, quæ verbis

modo non etiam sensu opponuntur, vt in Isocratica illa alia periodo, in qua Helena fratri suo Herculi hunc ferem modum comparatur. Iuppiter Herculi labori osam, & periculis obnoxiam vitam dedit. idem vero Helenæ speciosam, & pro qua pugnaretur, faciem contulit. Hic enim singula singulis ita opposita sunt, vt non rerum sed verborum oppositio sola videatur. Interdum porro membra eiusmodi deprehendas, vt, quamuis nec sensus sensui, nec verba verbis opponantur, falsam tamen quandam antitheti speciem exhibeant: ex quibus vrbanis hominibus ioci occasio non nunquam offertur: qualia sunt illa apud Epicharmū, poeram Siculum, lecta, & ab Aristotele, ac Demetrio citata. τόυα μέν σ' τύνοις ἐγὼν λῶ. τόυα δὲ πρὰ τύνοις ἐγὼν. nō modo enim inquit Demetrius, nihil contrarij est allatum in ijs verbis, sed idem prorsus repetitum. itaque videri potest Epicharmus hoc feciſſe, nō quia nesciret falsam antithesim esse, verum vt rhetoras irrideret, qui nimia ornandæ orationis affectatione pro antitheti ea vsurparent: quæ neque re, neque verbis essent opposita. ornari vero periodos Aristoteles ait antithesi quidem maxime, sed & parisosi, & paromæosi, & alijs eius generis figuris. Pulchrū putant vnū atque eundem sensum variata periodi forma exornare, vt si notissimā illam Demosthenis periodō ita variaris. Quæ nauigātibus seruare licuisset, ea hic perdidit terra proficisci iubens: quæ vera dicentibus, mentiēs. & rursus: Cur vero quisquā Aeschini ignoscat? An quia profe-

profectionem accelerauit? atqui nauigare, non terra proficisci oportebat. an quia vera vobis dixit? atqui mentiens omnia perdidit. Sed vtilis illa quoque exercitatio est, vt ex distracta, & fusa prius oratione, adhibitis quibusdam quasi nodis, periodum faciat, aut contra periodon vel impendentem illam iugemq; antiquorum orationem, vel in dissolutam, & omnibus copulis vacantem, non inepte conuertas. Demetrius periodorum tria esse genera dicit, rhetoricum, historicum, dialogicum. Rhetorica periodus, vt ille ait, est contorta, & circularis, ac quasi in orbem rediens: quæ rotundo pronunciantis ore, & manu, quæ ad numerum circumferatur, indiget. cuius illud exemplum ponit ex Demosthene: Maxime quidē, quia vtile arbitror reipublicæ, legem solui, tum vero etiā filij Chabriæ gratia, fateor me, quantum licuerit, his assensurum. hanc enim periodum dicit ab ipso statim principio contortum in se quiddam habere, & ostendere, simplicem se finem non habituram. Historica est neque plane circumducta, neque valde remissa, sed medium locum ita sibi defendens, vt nec propter exquisitam circunductionem rhetorica videatur, nec propter nimiam simplicitatem dialogica, sed grauitatem quandam atque historicam veritatem præ se ferat. cuius exemplum ex historia Xenophontis hoc ponit: Darij & Parisatidis filij duo fuere. Xerses natu maior, Cyrus autem minor. dialogica est remissa, ac multo simplicior, quam rhetorica, & vix vllam periodi faciē exhibens: qualis illa apud

Platonem: κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος προσελθόμενος τε τῇ θεῷ καὶ ἅμα, τίνα ἑορτὴν βουλόμενοι θεάσασθαι ἦλθε δόπομπεύσουσιν ἄτε νεῶν πρῶτον ἄγοντες. *Hic, vt vides, membra membris ita prope iunguntur, & continuantur, vt in distracta, & suspensa oratione: atque ita procurrunt, vt vix tandem, cum finieris, ex ipso fine ac clausula periodum fuisse cognoscas. Sed iam efflagitare ipsa res videtur, vt, quod vltimũ in promissis de periodo nostris fuerat, id aliquando praestem, atque ostendam, quibus maxime locis periodo & rhythmo vtendum, quibus abstinendum esse rhetores censuerint. Primum igitur Cicero in Oratore ad Brutum, cum notam, vt ipse ait, ac formulã cuiusq; characteris, seu generis anxie exquireret; atque id magnũ opus & arduum esse quaereretur; submissum & humilem dicendi charactera numerorum vinculis exemit: voluit tamen eum ita solutum esse, vt non vagetur; ita ingredi libere, vt non videatur errare: verba quoq; verbis negligenter coagmentari: vt sit non ingrata negligentia hominis de re magis, quam de verbis laborantis. & cum duo illa liberiora esse velit, circuitum, id est, periodum, & coagmentationem, hoc est, iunctũ verborum; ex qua, si modo est accurata, rhythmus plerunq; nascitur; concedit tamen, vt periodo interdum vtaris, dum modo relaxes eam ac diuidas. itaque vides hunc characterem esse liberum ac solutum periodorum & numerorũ lege, cum hac tamen exceptione, vt, qui volet, possit*

vti

vti dissoluta periodo; & numerum quidem ita neglig-
gat, vt tamen nec vagetur, nec erret oratio. Reliquæ
autem characteres, mediocrem dico, & grauem, non
modo liberi non sunt, sed vsq; adeo & rhythmum, &
periodum exigunt, vt Cicero in Oratore, quem locũ
superius quoq; appositis ipsius verbis, citauimus, pla-
cere sibi dicat, in historia, & in genere, quod appel-
latur ἐνδιάθετον, omnia dici σεμνοδικῶς. atq;
adijcit, posteaquam nata est periodus, neminem, qui
aliquo esset in numero, scripsisse orationem generis
eius, quod esset ad delectationem comparatum, remo
tumq; a iudicijs & forensi certamine, quin redige-
ret omnes fere in quadrum numerumq; sententias.
Quamobrem ex Ciceronis verbis aperte intelligimus,
tenuem orationis figurã numeris ac periodis non esse
obnoxiam: contra vero historias & demonstratiuas
causas rhythmo periodoq; gaudere. Sed post excogi-
tatam ac iam cognitam periodorum suauitatem,
suspicari cœperunt causarum patroni, id quod ex a-
liqua parte verum erat; circunductam istam ac ro-
tundam nimis, & compositam orationis formam, in
dicialibus causis esse noxiam: propterea quod nimis
insidiosa, & captandis auribus iudicum accommo-
data existimari posset; nec is reus ferendus esse vi-
deretur, qui etiam in periculis, periodorum ac sche-
matum lenocinia sectaretur. quod & Persius saty-
rico morsu carpit in hunc fere modum,

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis. doctas posuisse figuras,

Lau-

Laudatur: bellum hoc: bellum hoc? an Romuleæ ceues?

Addebant & illud, affectus & motus animorum per hæc lenocinia adimi orationibus: qua opinione ducti quidam, & ipsi infracta, & amputata loquebantur; & eos vituperabant, qui apta & finita pronunciarent, & periodo rhythmoq; gauderent. quorum vituperationem in eorum tantummodo oratione iustã esse Cicero dicit, qui inanibus verbis, & leuibus sententijs vtuntur. verum, si probæ res sint, & lecta verba, nullam iustã causam putat, cur claudicare, aut insistere orationem malint, quam cum sententia excurrere: cum rhythmus & periodus nihil omnino aliud afferat, nisi, vt sit apte verbis comprehensa sententia. sed nihilo secius asserit, orationem cæsim, & membratim tractatam, non modo in iudicijs, sed in omnibus veris causis plurimum valere, maximeq; in ijs locis, vbi acriter & subtiliter dicendum, atque altercandum est. Interim tamen vult misceri hanc numerosam rotundamq; periodon: neque id, si modice fiat, esse inutile ostendit. At contra reprehendit Egesiam, qui periodum nimis anxie fugiens, ideoq; orationem particulatim semper concidens, ineptum se palam ostenderit: cum præsertim interdum vltro ita se offerat, atque intercurrat, vt locus illi prope efflagitanti negari non debeat, ac tum maxime, cum breuis, ac simplex fuerit. Quintilianus proœmijs maiorum causarum, vbi solicitudine, commendatione, ac miseratione res eget, aptam esse periodum dicit;

item

item communibus locis, & omnibus amplificationibus illud etiam adijcit; in accusationibus austeram, in laudationibus fusam esse oportere; plurimum vero in perorationibus pollere; vbi iam totum genus amplum adhibere tuto potest. iam enim auditor rem plane tenet: nec vllas metuens insidias actori se totū credit, & voluptate ducitur. In quarto rhetoricorum ad Herennium libro scriptum est, continuatione (sic enim periodus illic nominatur) nos commodissime vti, in sententia, in contrario, & in simplici conclusione;

In sententia quidem hoc pacto:

Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu, præsidium collocauit.

In contrario hoc modo:

Nam si quis spei multum collocauit in casu,
Quid est, quod ei magnopere casus obesse possit?

In conclusione hoc pacto:

Quod si in eos plurimum fortuna potest,
Qui suas rationes omnes in casum contulerunt:
Non sunt omnia committenda fortunæ:
Ne magnam nimis in nos habeat dominationem.

In his tribus generibus ad continuationis vim adeo frequentatio est necessaria, vt infirma facultas oratoris videatur, nisi sententiam, & contrarium, & conclusionem frequentibus efferat verbis. ex quo intelligimus, has tres exornationes non cæsim, non mem-

membratim, sed adhibita periodi forma explicandæ esse. Narrationes autem membratim plerunque faciendæ: aut periodi maioribus interuallis, & veluti laxioribus nodis soluendæ sunt: nisi forte eiusmodi narrationes inductæ fuerint, non ei explicandæ, sed orationis exornandæ gratia: qualis illa est in Verrem de raptu Proserpinæ: vbi totum contextum lenem ac fluentem, si inspexeris, facile deprehendes. Historia quoque, quam Theopompi more, hoc est, per periodos, tractari oportere Cicero ait, non tam finitos numeros, quam obrem quendam, lenemq; contextum videtur desiderare. lubrica enim est, & fluens; atq; ideo omnia eius membra mutuo se nexu iungũt, ac firmant, & diu continuato sensu continentur. denique tum membris longioribus, tum periodis illis suis remissioribus contexta, genere quodam orationis tracto, ac fuso gaudens, æquabili lenitate profluit: ac iudicialium orationum asperitatem, forensesq; aculeos longe refugiens, grauitatem suam plerunq; custodit. Apologos autẽ sine vlla omnino periodo narrari iubet Hermogenes. At in forensibus causis nec penitus refugienda, nec continuanda est: ne, si penitus ablegetur, nimis concisa fit oratio; si continenter adhibeatur, nec fidem faciat, nec affectus moueat. admittenda est igitur, cum aliquid ornatius laudare instituetis, vt, cum Cicero Siciliam laudat; aut vbi aliqua inciderit narratio, quæ dignitatem potius quam dolorem exigat: vt, cum idem de Segestanæ Dianæ signo, & Syracusarum situ loquitur.

In

In amplificationibus autem periodos, & numerosam compositionem requiri nemo ignorat, qui peroorationes & amplificationes Ciceronis consideravit: in quibus id & res ipsa manifestat, & orator conatum se loqui numerose fatetur, atque ipsas peroorationes ita concludendas esse testatur. In reliquis orationis iudicialis partibus non diu retinenda erit hæc forma: sed cum ea prudenter vsi fuerimus, in ijs, qui ostensi sunt, locis; transeundū erit ad commata, & cola, & genus illud dicendi antiquum, quod ope copularum sit continens, ac iunge; vel etiam ad illud, in quo omnia solute, ac sine vllis copulis efferuntur; vt tot modis variata oratio, & fastidium euitet, & fortius contendat, ac pugnet. Illud vero, quod iam antea diximus, etiam atq; etiam videndum est, ne aut longius procurras, quam deceat; aut vsquam minus aptum hyperbaton admittas; neve vllum aptum, & idoneū verbum prætermittas compositionis, & periodi gratia: siquidem nullum erit tam durum verbum, quod in quadrum redigi non queat: adsit modo cura & exercitatio; quæ, dissimulata compositionis diligentia, facile præstabit, vt hæc non quæsita, sed vltro videantur oblata, &, quod de industria facimus, non quiuis facile deprehendat. Cum sint aūt multi probabiles numeri, ijs maxime assuescemus, quos auris erudita, & magnorū oratorum vsus, ac præceptio, & superius exposita ratio meliores esse demonstrat. Atque hæc quidem de eo genere orationis dicta sint, quæ periodo, & ambitu constat, atque eorum, quos iam

antea

ant ea nominauimus, ingenijs excogitata est, & arte formata, posteaq; passim ab optimis quibusque scriptoribus vsurpata. hanc orationis formam ita prudens scriptor adamabit, vt semper meminerit, illam, quae caesim, membratimq; procurrit, magno sibi suis locis vsui venire posse. proinde nunc hac, nunc illa elocutionis forma orationem variare contendet. sic enim fiet, vt non modo fastidium continuatae similitudinis euitet, sed & iucundae varietatis gratiam consequatur. hoc autem cum in ipsa compositione, atq; oratoris actione iucundum videretur; ratio est excogitata; qua pari commoditate, ac gratia, quae essent scripta, legerentur. nam vt notas quasdam a maioribus acceperant, quibus syllabarum celeritas, aut tarditas; acumen, aut grauitas; exilitas, aut crassitudo posset agnosci: sic etiam notas alias excogitarunt, quibus commata, cola, & periodos indicarent. eas notas Diomedes, & beatus Isidorus, Hispalensis episcopus, homo multae lectionis, latine posituras nuncuparunt, & a Graecis θέσεις appellatas esse scripserunt: atque in eo maxime consentiunt, vt subdistinctio, quae Grace ὑποστιγμὴ dicitur, sit commatis nota; media distinctio, quae Graecis μεσοστιγμὴ, colon indicet; τελεία στιγμὴ, quae a nobis plena distinctio dicitur, periodon notet. neque inter ipsas triumtam diuersarū rerum notas vllam prorsus aliam, quam loci, differentiā constituerunt. nam subdistinctio punctum est, vt ipsi aiunt, ad imam vltimae commatis literae partem appositum: distinctio

ctio media, punctum est, ad mediam eius literæ, quæ in membro vltima est, partem adfixum: distinctio plena, punctum est, ad summam partem vltimæ in tota periodo literæ constitutum. in eo tantum differre inter se videntur; quod Diomedes plenæ distinctionis notam supra versum, subdistinctionis infra versum collocat; Isidorus vtranque intra versum ponit. nam mediæ distinctionis nota neque supra versum, neque infra videri potest esse ponenda; quippe quæ vtroque consentiente ad mediam literæ partem apponatur. ex quibus apparet, distinguendi notas vsque ad Isidori tempora hoc, quo diximus, modo fieri, ac constitui solitas. sunt autem ab illo ad ætatem nostram anni plus minus noningenti: quod illius scripta facile declarant. neminem vero ex antiquis, & eruditis scriptoribus adhuc legere me memini, qui de his rebus tractarit. sed dum curiosius fortasse, quam decebat, quæcunque nobis possent hac in re prodesse, conquiro; legi apud recentiores quosdam, & ignobiles artis grammaticæ scriptores, notam commatis esse tertiam latini alphabeti literam, si inuertatur ad diastoles similitudinem, & ad imam in fine commatis literam apponatur, sic, vel virgulam a dextra in leuam descendentem, & eodem loco positam sic, membri vero notam esse puncta duo ad finem ipsius collocata, sic: in nota periodi homines nostri sæculi nihil variant, & vno omnes puncto contenti sunt, nihil curantes ad imamne, an ad mediam, an ad summam par-

tem ponatur. docet idem Isidorus, de quo supra locuti sumus, notas ipsas rerum, quæ notantur, nominibus insigniri; vt incisi nota comma dicatur; membri, colon appelletur; comprehensionis, periodus nominetur. qua in re hodieque grammatici illum vulgo imitantur, subdistinctionem comma, mediam distinctionem colon, plenam periodum appellantes. Addunt his illam quoque notam, qua vel interrogatio vel percunctatio indicatur. ea sunt puncta duo, ita iuxta se posita, vt alterum superius, alterum sit inferius. & quod superius est, paulum supra versum intorquetur. hoc modo? vt, cuium pecus? quæ non tam negligenda, quia vulgo vota, quam adscribenda, quia erant ijs coniuncta, iudicauimus.

IOVI-

IOVITAE RAPICII, DE NVMERO ORATORIO, LIBER QVINTVS.

Ad Paulum Rhamnusium Venetum.



Neminem prorsus ex ijs, qui docendi studio incitati nonnunquam labuntur, acrius insectandum esse vnquam existimaui, sed honestos omnes conatus, quamuis interdum male cedant, probare consueui. proinde veteri quodam meo, non ignoto tibi, instituto, ijs, qui probabili ratione in errorem inciderunt, non minus libenter ignosco, quam si quid ipse peccauero, ignosci mihi desidero. quod si minus in tota vita seruare potuimus, id certe in ijs libris, quos de oratorio numero proxime conscripsimus, adeo religiose seruauimus, vt, cum multos possemus, neminem tamen nominatim reprehenderimus. res solas si quando opus fuit, notasse contenti. pusilli enim ac sibi diffidentis animi esse semper iudicauimus, non potius ex propria virtute, si qua modo inest, quam ex aliorum reprehensione sibi laudem quærere: cum præsertim, vt nemnem lædas, ad claritatem nominis regia tamen ac lata via liceat peruenire. Quæ quan quã ita se habẽt Paule Rhamnusi, tamen, quod sæpe

monuisti, contemnere sine quadam demissi animi nota posse me vix arbitror. tu enim præmatura quadam prudentia tam diligenter omnia officiorum momenta perpendis, vt senem adolescens in tuam me sæpe sententiam trahas: vt nuper feceris perlectis nostris de rhythmo oratorio libris, identidem nobis inculcans, vereri te, ne multi sint, qui me hunc laborem frustra suscepisse contendant; si nullam aliam ob causam, certe propter hanc, quod viri eloquentes & apprime docti, Philippus Melanclon & Gerhardus Bucoldianus in ijs commentarijs, quos de arte rhetorica superioribus annis ediderant, affirmare sint ausi, hoc totum, quicquid est, quod de oratorio numero a veteribus dicitur, vel, quasi nec doceri, nec disci possit, prorsus omittendum, vel, quasi per se obuium & facile, contemnendum: atque aliqua, & illa quidem non parua pars hominum in alterutram harum opinionum iam concesserit. Quin alios etiam fore suspicaris, qui prædicent, si quid hac de re post antiquos rhetores tradi potuit, id totum ab Iacobo Lodoico Stebæo, diligenti scriptore, diuersis in locis esse tractatum. Quæ, vt verum fatear, mihi quoque meditata erant omnia; quippe qui illorum prope omnium scripta prius legeram, quam de his rebus quicquam prorsus scribere tentassem. sed tantum abfuit, vt aut Melancton iste, quanquam celebri nomine insignis, aut Bucoldianus, quamuis artis rhetoricæ non incuriosus, me a proposito de hac re scribendi auocarint, vt vel propterea, quod rem

scitu

scitu dignam, atque in primis vtilem a nonnullis tam aperte contemni videram, ardentiore mihi studio incumbendum putauerim, vt, quod semel incœperam, primo quoque tempore perfectum publicarem: tum ne iuuentus studiosa in horum errorem vna cum illis laberetur: tum vero ne consilium tuum, quod ab optimo proficisci animo noueram, viderer contempsisse; præsertim cum later, hac in re te propemodum prudentia & doctrina parem magno patruo tuo Hieronymo Rhamnusio, qui cum iam & philosophus grauis, & eximius esset poeta, gracique & latini sermonis peritissimus, tanto tamen discendi desiderio flagrauit, vt, contemptis omnibus patrij soli commodis, in intimam se Syriam, vbi etiam fato functus est, abdiderit, & aliquot annorum iugi labore literas Arabicas ita didicerit, vt, si paulo diutius vixisset, optimum quenque linguæ illius scriptorem in nostrum sermonem fideliter, ornateque versurus fuerit. Auicennam certe, quem apud te ipsius manu Arabice & Latine descriptum sæpius vidi, tanta cura transtulit, vt a nostri sæculi hominibus nihil elegantius desiderari iure possit. Huc accedebat, quod non parum verebar, ne quis putaret, degeneri quadam diffidentia me perpeti, meam in rebus difficillimis, tum colligendis, tum discutiendis, sedulitatem adeo vel inutilem, vel superfluam iudicari, vt quasi reus absens indicta causa condemnarer, & inani iuuandorum hominum studio nihil aliud, quam contemptum, mi-

hi quæsisse dicerer. Proinde, quod instat, nunc agamus; &, quantus sit istorum error non dubijs rationibus ostendamus. de reliquis postea videbimus. Primum vero, qui legent, eos omnes oratos velim, ne in hac mihi causa noceat Melanctonis, *alioqui docti hominis, auctoritas; neue quisquam, quia ab ijs, qui vulgo docti iudicantur, dissentimus, nostra prius contemnat, quam intelligat; sed meminerit prudentis esse, non tam a quo, quam quid dicatur, considerare; ac sæpe accidere, vt homines alioqui vigiles opere in longo interdum conniueant atque dormitent. Primum igitur occurram huic, qui cum multa de arte dicendi, ac præsertim de elocutione dixisset, stultum est, inquit, nunc de numeris præcipere, cum sonus latinæ linguæ hoc tempore non sit natiuus. Quibus verbis voluisse illum dicere suspicamur, adeo corruptum esse sonum linguæ eorum, qui latine loqui tentant, aut scribere, vt de rhythmo latini oratoris præcepta neque recte tradi, neque vtiliter disci queant. qua in re non leuiter falli hominem ingeniosum, nemo iure dubitauerit. nam neq; omnes corrupto sono pronunciant; neque, si id facerent, tamen obijcienda esset rei ab antiquis tam laudatæ cura. quis enim rerum omnium adeo imperitus est, qui nesciat, non modo nunc esse, sed semper fuisse aliquos, qui natiuum tum græcæ, tum latinæ linguæ sonum corrumperent? & semper aliter Romanos, atq; Italos, aliter Græcos, aliter Germanos, & Gallos, atq; Hispanos lin-*

linguam, ac spiritum, & vocis sonum solitos esse moderari? Quin, quod videri debet mirabilius, tanta soni discordia est, vt in vna atque eadem gente literas alij putidius exprimant, alij negligentius obscurent, alijs verba sint exilia, & quasi exanimata, alijs inflata & grauius anhelata, non solum cum scripta sua ipsi pronunciant, verum etiam cum Virgilij versus, aut Ciceronis orationes legunt. quod adeo verum est, vt in eisdem vocibus non solum valde distantiam inter se gentium sonũ possis dignoscere sed Apulum a Lucano, Siculum a Calabro, Campanos ab Hetruscis, Romanos ab omnibus facile discernas. nam vt voces & linguas tractuum, ac regionũ ratione differre certum est: ita sonum vocis pro locorum diuersitate, alium atq; alium esse, nemo dubitarit. anus certe Attica Theophrastum, summo studio Attice loquentem, sono vocis ducta, Atticum non esse intellexit, & hospitẽ appellauit. & Q. Valerium Soranum, hominem suo sæculo literatissimum, a Romanis, quanquam imperitis, vocis sono & lenitate victum fuisse, apud Ciceronem L. Crassus affirmat, verum hanc soni varietatem nihil obesse, quo minus de rhetorum rhythmo præcipere prudenter possimus, et vtiliter discere, ex eo patet, quod hic rhythmus, qui oratorius dicitur, none quibusuis sonus nascitur, sed ex ijs, quos reddunt tum longæ tum breues syllabæ, ita positæ, vt versum quidem nullum faciant, rhythmum tamen reddant quendam delectabilem, & qui ad versuum propè suauitatem accedat. itaq;

nulla vel imperitorum, vel peregrinorum hominum rusticitas, & infantia eruditos vnquam potuit impedire, quo minus numerose scriberent, ac loquerentur, si modo scirent ac vellent. nequeenim aut Athenis, cum florerent Demosthenes & Aeschines, aut Romæ, cum primas in foro L. Crassus & M. Antonius obtinerent, indocti ac peregrini homines defuerunt, qui vel illic græcæ vel latinæ linguæ sonum mutarent, & inepta pronunciatione corrumperent. Cicero certe scriptum reliquit, non defuisse illis temporibus, qui vel molli & muliebri, vel absono, atque absurdo, vel rustico & agresti vocis sono loqueretur, ac se palam ridendos exhiberent. nec tamen deterritum videmus eloquentissimum virum, quo minus de numeris tam multa, quam alius nemo, præciperet, & ipse numerose diceret ac scriberet, non in orationibus modo, sed etiam in dialogis, quos vtique sermonibus ex tempore effusis videri similes volebat. Nec vero aut tam oppressum a barbaris Latium vnquam fuisse, aut tantam vnquam peregrinitatem vrbi infusam crediderim, vt latinæ linguæ sonus in nemine prorsus supereresset. hodie certe Latij atque vrbis indigenæ latinæ vocis sono reliquam omnem Italiam, nedum gentes exteras, superant. Quod si isti non solum sonum, sed totam linguam penitus immutatam dicunt atque corruptam, & neminem putat esse, qui latine loquatur; videant, ne totam plane Europam aduersum se concitent: in qua iam non

Ita-

Itali modo, & Galli, ac Germani, se Britanni quoque, & Scoti magnis de rebus adeo pure & Latine scribunt: vt hoc seculo latina locutio ad antiquam puritatem reuocata videatur. Verum vt pertinaciter pugnantes aliquid immutatum esse peruincant: nunquam tamen, aut quantitatem, aut sonos, aut spiritus syllabarum mutatos esse, poterunt ostendere, quantæ enim apud Plautum, Lucilium, & Q. Ennium fuerunt syllabæ, tantæ post tot secula apud omnes adhuc manent: & quæ apud antiquissimos acutæ, graues, ac circũflexæ fuerunt, in eodem hodie quoque sono perseuerant. Spirituum quoque ratio eadem adhuc esse deprehenditur, quæ ab hinc mille annos ac sexcentos fuerat: aut, parte in hac si quid aliquando mutatum est, id parum admodum fuisse deprehendes. Cum igitur pedibus, ac syllabarũ quantate, & tono, & quasi cantu constet hic numerus: nec syllabarum quantitas, nec tonus, nec spiritus ab antiquorum consuetudine quicquã variauerit: quid obstat, quo minus numerum hunc conficere, & de eo præcepta veterum more tradere possimus ac debeamus? quis enim ignorat, vbicunque omnes fuerint alicuius rei partes quanquam disiectæ, ibi tamen, si in vnum adduxeris, totum posse constitui? constitui autem solere, & debere, quam fieri potest aptissime: nisi quis aut tam hebeti, aut tam præpostero sit ingenio, vt, cum parata expolitaq; ante oculos atque inter manus extent membra omnia, e quibus vel Phidiæ Minerua, vel Polycleti Hercules possit confici,

disiecta illa malit iacere, quam in aptum ordinem redigi, atque in signa orbe toto celebranda consurgere. Quis porro, cum ædes struere desideret, nec quadrati lapides, lignorumq; & laterũ, ac reliquæ materiæ desit copia: struet quidem opus, sed adeo negligenter, vt nihil curet, cum quo lapide, lignoue, aut latere, quem lapidem, lignum, aut laterem coniungat? nec consideret, quo modo copulari possint, & quæ sui parte stabiliorem firmioremq; queant exhibere structuram? nec saltem abscindat removeatq; si quid obstat, nec addat si quid deest, vt tota structura firmior fiat, tum etiam aspectu ipso pulchrior: sed omnia incondita, vtcunque sors tulerit, coaceruet, ac sibi non tam domum quam ruinam paret? Huic similes sunt quicunque contemptis his, quæ traduntur de numero, præceptis mente circumscriptas sententias incondita potius atque indistincta oratione iactari latantur: quam, quæ delegerint, verba ita dimittere, vt suo quodque loco respondeat: nec, cum possit, curent, vt periodi, colaque, & commata omnia & prima & media ad finem spectent, & alia atque alia terminatione claudantur. Quæ tam absurda sunt, vt vix animum audeam inducere, hominem tã celebri doctrina, atque eloquentiæ fama nobilẽ, tale quicquam vel dicere, vel sensisse. Quanquam si hoc non dicit, quod aliud dicat, non facile intelligas: cum tam insigni fiducia, ne dicam temeritate, affirmet stultum esse quicquam de numero solutæ orationis præcipere non aliam ob causam, quam quia natiuus lati-

latinæ linguæ sonus hodie nusquam supersit. Proinde sum aliquando suspicatus eum existimare hanc præceptionem stultam propterea videri posse, quod & in foro, & in curia, & in concionibus oratores hodie non latina, sed suæ quisque gentis lingua loquantur: gymnasia vero sophistarum, & nouorum interpretum turis, vulgi sermone vtantur: qui tam longe a latinorum veterum puritate, ac stylo, & elegantia recesserunt, vt non tropos modo omnes, & olim etiam pueris nota elocutionis oratoriæ schemata negligãt, sed sæpius ita generibus numeris, casibus, atque temporibus turbentur, vt vix se possint explicare, ne dum istas oratorij rhythmi delicias sectentur. Sed vereor fore, vti ne hanc quidem excusationem accipiat iudex seuerus. si enim omnes orationes, omnes historiæ omnes dialogi alia, quam latina aut græca lingua fieri solerent: si nihil latine, nihil exquisite scriberetur: aliquid sortasse probabile dicere videretur. difficilius enim rhythmi huius rationem accipere possunt barbaræ linguæ, quam latina aut græca: quod ratio syllabarum apud barbaros, non vt apud Græcos & Latinos, certis sit præscripta legibus: aut, si quæ sunt apud illos quoque huius disciplinæ leges, non satis sunt adhuc omnibus notæ. & tamẽ sic quoque nescio quo modo, natura monente aliquem, iam qualicunque orationi suæ numerum adhibere cœperunt, nec minus diligenter solutã orationem hodie tentant exornare, quam iam pridem certatim versus facere, & expolire contenderunt. sed cum orationes, dialogi, & didas-

didascalici de magnis rebus libri tanta passim cura latine scribantur, vt non pauca ad veterum eloquentiam proxime accedant: atque eorum scripta non solum erudita, sed numerosa etiam & distincta sint, & ob id ipsum tum audientibus tum etiam tacite legentibus gratiora: cur non hanc, si possumus, gratiam colligere quouis labore nitamur? cum praesertim videamus, ea, quae absono, vel nimis poetico, vel identidem repetito numero vitiosa profluunt, ne indoctis quidem placere posse. Quin etiam, quod miremur, mens ipsa non solum cum sono excitata est, sed saepe etiam per se, cum taciti legimus, totum hoc parum distincta & expolita orationis genus auersatur ac respuit. neque sane mirum: cum numerus mentibus nostris suapte natura adeo sit cognatus, vt Phiroxenus animam esse harmoniam putarit: mentem ipsam de re sibi tam coniuncta posse iudicare. Cum igitur tam multa latine scribantur, & inscriptis etiam is, qui repente factus sit surdus, ac mutus, sibi vni legens numeros possit agnoscere, & hunc laudare & illum reprehendere: prudentis autem sit, & virtutes orationis complecti, & eiusdem vitium fugere: profecto stultum non est, de numeris praecipere. quid enim aliud hoc est, quam docere quonam modo culpam facile declines, & laudem consequaris? Nec quisquam mihi persuaserit, hominem alioqui doctum, natiui soni appellatione intellexisse modulatum aliquem, ac musicum sonum, quo vel Graeci vel Romani oratores suas orationes quasi poema aliquod

quod canerent. cur enim credam illum nescisse, quod omnes sciunt, oratores, non canere solitos, sed dicere aut recitare de scripto? quod quantum distet a cantu, Augustus Cæsar ostendit: cum legenti voce nimis canora inquit: Si legis, cantas: si cantas, male cantas. At si quis paulo molestior me vrgeat, ac petat, qui sit natiuus latinæ linguæ sonus: non eum quidem dicam esse, quo Fauni, & Aborigines, & Aurunci pronunciabant, sed in singulis literis eum, qui a literatis hominibus traditus quasi per manus ad nos vsque descendit. in syllabis etiam multo certiorem pronunciandi rationem esse contendam. si quidem e tot millibus vix vllam reperias, cuius grauitatem vel acumen, breuitatem vel longitudinem, exilitatem vel crassitudinem quisquam mediocriter eruditus vel apud Græcos vel apud Latinos possit ignorare. In ijs porro attributis atque accidentibus syllabarum, quæcunque possunt esse vocis dimensiones, ita constitutas esse nouimus, vt in dimetiendis atque enunciandis vocibus nemo nisi sua culpa errare possit aut labi. Quare cum tam multa sint, quæ nobis addere animum possunt, & vel ignauos ad antiquorum diligentiam excitare: ablegemus istum, qui nos vetat laborare in re doctissimis seculis ab optimis oratoribus & philosophis inuenta & laudata, & summis Athenienſis & Romani populi plausibus approbata: aut certe hortemur hominem: vti & hæc, & alia sua mysteria, quæ eloquentiæ studiosos ab honesto labore deterrent, symmystis suis impartiatur: nos, quasi

durum

durum aliquod genus laborare patiatur. stulte ne, an prudenter factū sit, post videbimus. illud interim non sine summa fiducia dicimus, hoc, quicquid demū est, mutationis in latinæ linguæ sono, si quid modo est nunquā tanti fuisse, vt homines industrios & ad musicam factos deterrere potuerit, quo minus ad tam summo studio cōtenderent, ac passim alij rhythmos, alij versus, & poemata conderent niterentur. quorū lex ac ratio longe seuerior est, ac difficilior, quam soluta orationis. Quod cum ita sit, quanto nos minus ea res ab oratorio rhythmo exquirēdo conficiēdoq; deterrebit? cum leges eius adeo indulgētes ac faciles esse noscamus, vt sine cura nostra sæpissime vltro occurrat. At enim dicat aliquis, desuetudinē ipsam huius rhythmi & diuturnā apud multos rei huius ignorantiam desperationē afferre posse. At mehercle Pontani Vrania et horti Hesperidū, Fracastorij Syphilis, & Synceri de Virginis partu libri, & pauca Andreæ Naugerij, pauca itē Cottæ poemata facile declarāt, nō esse desperandū, quin intermissa & diu desueta in cōsuetudinē reuocari aliquando possint. cum enim poematū recte scribendorū ratio diu latuisset: & malos versificatores Latini plurimos, poetam nullum haberent: hi quasi de cœlo dimissi sunt, qui desita & prope obsoletæ artis obseruatione pertinaci bonorum imitandorum studio, multaq; & iugi exercitatione tantum profecerunt, vt cum antiquis poetis conferri ure possint. itaque horum poemata, vt primum perfecta sunt, quasi quædam Phidiæ signa, statim ab omni-

omnibus ita sunt probata, vt artem poeticam, quam prius quasi sopitam ac iam prope extinctam lugebamus, eam nunc omnes tantorum, & tam excellentium virorum ingenio, & arte suscitatam gaudeamus: atque hodie viuant non pauci, qui ad palmam musicam tanto ingenio atque arte contendant, vt non seculum modo nostrum, sed & futura etiam tempora illustraturi esse videantur. quorum exemplo sperare studiosi debent, ita se posse ad numerosæ orationis laudem peruenire, vt illi ad poeticæ gloriã hac ætate peruenerunt. Sed quoniam nihilominus periculosum studiosis hominibus offendiculum obijcit audacia, quam desperatio: quemadmodum hactenus Melanctoni, desperare nos iubenti, respondimus: sic iam Bucoldiano quoq; ad inconsultam temeritatem vocanti, iam respondeamus. quod nobis eo diligẽtius faciendum censeo, quo plures illum erroris sui subscriptores habiturũ esse suspicor. his enim tẽporibus, vt in reliqua vita, ita in studijs honestarũ disciplinarum plus videas confidentiæ, & audaciæ, quam laboris & industriæ. & nemo ferme est, qui non malit videri doctus, quã discere. Hic igitur in secundo eorũ librorum, quos de oratoria inuentione atque amplificatione conscripsit, aduersus Ciceronem & Quintilianum, de dictionis oratoriæ numero disputantes, quædam adeo inconsulte atque imprudenter effudit, vt quiuis vel mediocriter eruditus contemnenda potius intelligat, quam refellenda: cum eos, quos tam audacter inceßit, adeo negligenter legerit, vt quæ

ab

ab illis scripta sunt, vix mediocriter intellexisse videatur. Eiusmodi porro sunt, quæ contra illos iactat, vt, si quando paulum respere cœperit, erroru sui pœnitentiam vltro sit acturus. itaque nihil est, quod quisquam illos a tam iniusto calumniatore defendat: cum ipsi, si quis eorum scripta non oscitanter legat, vltro se satis superq; defendant. Quo nomine illa omnia, quæ nulla defensione indigent, nunc omittam, ad illud properans, quod vltimo loco posuit, &, contemptis prorsus omnibus, qui de hac re vnquam scripserunt, quasi quoddam e Delphico tripode oraculum promere se existimauit. quod vt quale sit omnes facilius intelligant, verba ipsius apponam. Cum igitur, inquit, omnes in orationem pedes cadant, nec certis ex his sæpius sit vtendum: quod de industria crebro positi atque iterati satient, & fastidium afferant: nemo profecto in quærendis locandisq; ijs solicitus erit: quod vltro ipsius, quibus animi sensa explicantur, verbis inclusi sese nobis vel non vocati offerant: quare si, quod res est, fatendum est, inanem propemodum omnem de ijs esse præceptionem. nam cum omne verbum aut ex longis & breuibus, aut ex his solis aut illis constet: fieri non potest, quin vel rudissimi cuiusque oratio numeros pedesque habeat. Equidem numerosam orationem esse oportere non negauerim, sed dixerim idem, ijs potius, quorum supra meminimus, & similibus confici, si latinis proprijs atque vsitatis verbis constet. Priusquam ad defendendam eorum auctoritatem, quos iste temere con-

re condemnat, veniamus, operæpretium fuerit prius ostendere, quid nobis in hac, quæ ad oratorium numerum pertinet, quæstione cum nouo isto artis antiquæ contemptore conueniat: deinceps vero, quid non conueniat, & quantopere fallatur. Primum igitur fatetur, orationem rhetoricam numerosam esse oportere: fatetur & illud, quod sine magna imperitiæ nota negare non potest, a vetustissimis rhetoribus, Trasymacho Chalcedonio, Gorgia Leontino, ac deinceps ab Aristotele, atque Isocrate, mox etiam a M. Tullio, & Fabio Quintiliano, atque ab ijs omnibus, qui hæc vel inuenere, vel ab alijs inuēta docuere, hac ipsa de re præcepta fuisse tradita, non cauponibus aut nautis, aut vllis prorsus eorum, qui orationis ornatum negligunt, neque aliud omnino curant, quam vt intelligantur. Fuisset enim inane & stultum ijs tradere ornate dicendi præcepta, qui ne pure quidem loqui nituntur, adeoque ab eloquentiæ studio longe absunt, vt eam etiam odisse videantur, quippe quam rerum excellentium studijs nocere contendant: inconditum vero sermonem & ab omni cultu remotum, vel præcipuum veræ doctrinæ testimonium arbitrentur. Conuenit igitur nobis cum erudito isto homine, præcepta de oratorio rhythmo non ijs fuisse tradita, qui hoc genere ornatus non tam adiuuari se, quam lædi iudicant: sed ijs, qui vt latine & pure loqui volunt, ita etiam, quod oratoris proprium est, apte & distincte ornateque dicere desiderant. hoc autem & Me-

tanctbonem & Bucoldianũ nobiscum sentire, vel ex hoc ipso manifestum est, quod eorum duces inter ea, quæ traduntur, de elocutione præcepta hanc opinionem suam memoriæ prodiderunt. eos enim, qui de elocutione disputant, de eo, quod ad ornatum pertinet, quodque in primis decet, agere certum est: cum sciant omnes, eloqui, vnde nomen elocutionis & eloquentiæ ducitur, non esse incondite & parum pure loqui. sed distincte atque ornate dicere. ad ornatum vero pertinere non inconditos illos numeros, & plerunque ineptos, sine cura vlla in eorum sermonem, qui rudes sunt, incidentes. sed oratorios & aptos ac de industria quæsitos, omnes plane cõsentiunt. Verũ Melanctbon hoc tempore numerosam fieri posse orationem negat, quia non sit hodie natiuus latinæ linguæ sonus. aduersus quem satis superius arbitror disputatum. At Bucoldianus numerosum istud, quod dicitur, non negat fieri posse: & ad ornatum orationis necessarium putat: & recte putat: verum cum e veteribus Aristoteles numerosam fieri orationem idoneis & melioribus pedibus, ac numeris senserit: alij vero non solis pedibus & numeris, sed etiam figuris quibusdam orationis, & quadam verborum concinnitate, atque apta iunctura id fieri solere contendant: Bucoldianus sola verborum iunctura, & figurarum concinnitate contentus, totum illud, quod ad pedes attinet, quanquam ab Aristotele atque ab omnibus antiquis rhetoribus probatum, negligit, & inane ac nulla præceptione dignum iudicat. in

qua

quo quam temere labatur, vel ex eo licet coniecturam facere, quod vnus satis omnino doctus, & vix nuper agnitus contra multos iam longe doctissimos, & multorum seculorum iudicijs comprobatos ferre, ac præcipere non veretur. sed quamuis hoc per se satis videri possit, nos tamen, ne defectu rationis ad auctoritates confugere videamur: omissis auctoritatibus, videamus, an ratio per se satis sola demonstrare possit, pedum cognitionem curamque oratori non esse negligendam. Primum igitur, dictionem oratoriam debere esse numerosam, optimi quique rhetores fatentur, ac ne iste quidem negat. numerum porro istum oratorium adeo ex pedibus fieri constat, vt, quicunque fine syllabis numeri possunt excogitari, ij omnes non ad oratores, sed solos musicos pertinere dicantur: contra vero omnes tetrasyllabi pedes numeri esse a Cicerone iudicentur, & sint: quidam vero etiam trisyllabos & dissyllabos numeros vocari posse crediderint. siue igitur pedes sint rhythmi, siue potius oratorij rhythmi partes: cognosci & confici non potest rhythmus iste sine pedum cognitione, & cura: quæ adeo non est inanis, vt eam esse necessariam vel imperiti possint agnoscere. At enim omnes, inquit, isti in orationem pedes cadunt: & inanem curam suscipit, quisquis eos exquirit: cum vltro se offerant, & adsint inuocati. Aliquid fortasse diceret, si omnes æquales essent, & non alij aliis meliores: si omnibus locis omnes idonei: si eos variari subinde non esset necesse: si nihil referret,

versum facerent, nec ne. nunc autem, cum sint & numero temporum, & ea proportione, quæ ex arsi & thesi dignoscitur, inæquales, & alij alijs meliores, alij in vna dicendi forma alij in alia expetãtur, & aliter atque aliter mutari debeant: atque in primis cauendum sit, ne in versum incidamus: quis, contempta pedum obseruatione, poterit tam multa præstare? nam vt initium ab ijs, quæ sunt vltimo loco dicta, capiamus: nemo aut versus facile cauerit: aut, cum res exiget, rhythmum mutauerit: aut suis formis suos pedes reddiderit: nisi versuum omne genus a soluta oratione, & rhytmum a rhythmo poterit secernere. id autem nemo potest, qui rationem pedum non teneat, & diligenter obseruet. Itaque videamus quosdam ex ijs pedum contemptoribus non solum in Iambicos, & Trochaicos, Sapphicosque, & Phaletios versus, verum etiam in hemistichia heroica, & commata elegiaca turpiter labi. quod vitium & omnes rhetores reprehendunt, & aures non penitus surdæ refugiunt. Quid dicam, quod ad mutandum in clausulis numerum quidam ex ijs satis putant, si verba mutauerint: cum non verba sola, sed pedes mutare iubeamur: alij vero quidlibet aliud videntur curare, quam vt suis formis suos pedes reddant? quibus vitijs quamuis omnes ignoscant, orator tamen spe veniæ non debet esse contentus, aut sibi satis putare, si culpam vitauerit: sed illud in primis curare, vt laudem quoque mereatur, atque id non tantum docendo, ac mouendo, quæ duo quasi eloquentiæ

funda-

fundamenta sunt necessaria, sed etiam delectando: in quo totius eloquentiæ fastigium est & expolitio: nec maximorum oratorum industriam sibi negligendam putabit: qui hanc partem artis a poetica ad eloquentiam traducendam iudicarunt: & cum versum fugerent, orationem tamen tanquam versum numerose cadere, perficiq; ac quadrare voluerunt, vt verba neque essent alligata lege versuum, neque tamen ita soluta, vt vagarentur. quod etsi fieri sine aliquo nostro labore non potest: is tam suscipiendus nobis est, ac libenter perferendus: cū non leuis gloria inde expetatur, & labor ipse non magnus sit: cum præsertim & imitatio veterum ad spem nos possit inuitare, & rhetorum præcepta non mediocriter sint profutura. quæ non esse inania aut superuacanea, vt iste ait, tum ea, quæ a nobis superius dicta sunt, tum illud quoque facile demonstrat, quod multo suauior est, & dilucidior eorum oratio, qui hæc aliqua ex parte norunt, & vel mediocriter obseruant, quam eorum, qui aut plane ignorāt, aut certe quamuis nota contemnunt. Nec vero negauerim nonnullos longa & frequenti bonorum oratorum lectione, atque imitandi studio tantum profecisse, vt illorum oratio non modo videatur, sed sit etiam persæpe numerosa. nanque hæc ipsa diligens imitatio vicem quandam artis multis in rebus solet exhibere. in re certe musica agrestes mulierculæ, & imperiti artis pueri, peritos cantores imitati, nonnunquam eadem, quæ illi, cantica prope pari suauitate modulātur. quod quia non

ratione, sed casu fit, id neque in multis, neque sæpe contingit. verum vt eadem illæ mulierculæ, ac pueri, si recte modulandi artem didicerint, & ad hanc, imitationis quoque curam addiderint, non solum multo suauius canunt, sed illud etiam consequuntur, vt nullo prorsus errore labantur: ita eloquentiæ quoq; studiosi, vbi ad pertinax imitandi Ciceronis, aut Demosthenis studium eorum etiam, qui de elocutione tractarunt, præcepta assumpserint, multo peritius orationem distinguent, & sensus omnes iucundiore fine concludent neq; id, casu solo ducente, interdum, sed, quotiens cunque voluerint, constanti ratione præstabunt. Nec vero quenquam tam habeti ingenio esse crediderim, vt non intelligat, ea præcepta, quæ vtilia sunt, non esse inania. hæc porro vtilia esse, quæ de numeris traduntur, quis neget, cum videat ijs nos institui, quo modo ea, quibus auditor offenditur, peccata vitemus, & numerosa dicendi rationem ac viam consequamur? Nam quod aiunt commata & cola, & qualescunque periodos, atque in ijs etiam rhythmos, in omni locutione deprehendi: dicere illi quidem nonnihil viderentur, si possent homines ijs modo, quæ suapte natura oriuntur rudia atque inchoata, esse contenti: sed cum omnes aliquid, atque adeo etiam plus multo, quam deceat, voluptati tribuendum putemus: nec voluptas aurium nisi exquisito artificio comparetur: non video, cur quisquam nos in orationis suauitate contemnenda tam seueros & agrestes esse desideret, vel

vel potius imperet, vt audiendi sensu nescio quo pacto priuare contendat: cum præsertim in ijs, quæ ad sensus pertinent, homines tanto studio delectationes aucupentur, vt longe maxima vitæ pars huic vni rei deseruiat. nam, vt indecoras relatu voluptates omittam, quam multa in cultu corporis, quam multa in apparatu domestico, in publicis, in priuatis, in sacris, & profanis ædificijs ad voluptatem sunt excogitata. qui colorum flos, quæ varietas, quæ vmbræ, quæ in picturis lumina, quot porro vnguentorum, quot odoramentorum genera exquisita. iam vero in cibis ac potionibus nulla non gulæ irritamenta tentamus: neq; vnquam desinimus aut in vsum desueta reuocare, aut noua subinde inuenire. Sed quid ego in his moror? quasi non in illis ipsis, quæ ad aures pertinent, id palam spectari, ac prope manu tãgi queat. quis enim non videat non modo in comessationibus & conuiuijs, sed in ipsis etiam deorum immortaliũ templis, & sacris solennibus hodie ita cani, vt longe maiorem temporis partem occupent delicatæ nescio quæ flexiones, & nimis minutatim concisæ ac falsæ voculæ, quam cantus stabilis, casti⁹, ac seuerus. in metris vero ac versibus tot genera vel primigenia & simplicia, vel declinata & composita sunt, vt vix vllo certo ac præfixo numero liceat comprehendere. in rhythmis poeticis vel apud Latinos olim, vel apud Hetruscos hodie, vel apud omnes potius gentes ac nationes tanta varietas, tanta concinnæ curæ conclusionis, tanta cupido prolectandæ voluptatis incessit,

vt nulla linguæ barbaries potuerit homines impedire, quo minus similiter vel cadentia vel desinentia certis locis disponerent, & concinnitatem summo labore aucuparentur: ac sententiarum grauitatem, quam vel in primis sectari oportebat, non raro negligerent, vt aures delicatas frequens concinnitas iucunde feriret. quæ cum ita sint: quæ tandem inuidia est, aut quæ, vt isti aiunt, superuacanea & inanis cura, si quis numeri istius oratorij rationem paulo diligentius exquirat, pedesque non negligat, ex quibus & numerus ipse conficitur, & orationis non sonora modo, sed etiam distinctæ gratia comparatur? cum præsertim is, qui oratoris nomine præstare se dignum velit, non solam vim roburque probationum, sed audientium quoque delectationem quibuscunque potest modis aucupari debeat. Neque vero est, cur quisquam se ad desidiam, quam sirenem improbam Flaccus recte nominat, a Bucoldiano isto sinat se pertrahi: & laboris fuga pedes ideo negligat, quia vltro verbis ipsis inclusi, vt ait, occurrant. Primum enim, quod iste quasi exploratum ponit, omnes pedes ad oratorium numerum conficiendum pariter aptos esse: id non esse verum deprehenditur. siquidem musici, auctoribus Terentiano, & Augustino, Amphibrachum ab omni rhythmo alienum probant: quod irrationalis sit, & legitima nulla probatione in arsin ac thesin diuidi queat. qua ratione tũ quatuor Epitriti, tum hic quoque Amphybrachus quãuis non nominatim ab Aristotele quoq; excluditur: qui alios quoq; quos-

quosdam pedes non nominando, aut iusta proportione alienos, aut certe oratori parum aptos putasse creditur. Sed demus illi, omnes pedes ad conficiendum numerum venire posse; quando id Cicero quoque confirmat: non tamen statim sequitur, omnes esse æque idoneos & laudabiles: sed adhuc relinquitur, posse alios alijs esse meliores, & magis vsitatos: vt in versibus quoque fieri videmus. in hexametro enim heroico cum proprius & natiuus pes sit Spondeus, ex quo primum versus hic, auctore Terentiono, factus est; in eum tamen quasi vicarij cadunt Dactylus, Anapæstus, & Proceleumaticus, pares illi temporum tum numero, tum diuisione in arsin & thesin æqua: vt meliores tamen ideoque frequentiores audiuntur Spondeus & Dactylus. In Iambico locis omnibus laudatur Iambus, ex quo primum factus est: admittit tamen ipse quoque Tribrachum, parem sibi temporibus, & proportione diuisionis. admittit locis imparibus Spondeum, & dissolutiones eius. Sed cum tot pedes recipiantur, meliores tamen reliquis Iambus & Spondeus iure creduntur. quod frequens bonorum poetarum vsus facile nobis in vtroque metri genere comprobat. quis enim tam alienus a musis, qui vel Heroicum ex continuatis Anapæstis, aut Proceleumaticis faciat; vel Iambicum texat ex continuatis Tribrachis, aut etiam alternis Anapæstis? quod si quid facere tentarit, non ille quidem metrices artis iura violarit, sed tamen, perinde ac audiendi sensu carens, irridebitur. Pari

modo putandum fieri in soluta quoque oratione posse, vt omnes quidem pedes admittantur, sed inter eos tamen gradus quidam relinquantur, vt alius alio melior existimetur, non solum in sua quisque idea, sed passim quoque, si permiscere contingat. Neque tantæ tarditatis, indicta præsertim causa, M. Tullium damnare debet Bucoldianus, vt tantus orator nescierit, quod iste scire se crediderit, an ista duo inter se ita sint opposita, vt simul esse non possint. Omnis numerus cadit in orationem. numerus alius est alio melior & aptior. nã si pugnare Tullius hæc aduersis frontibus ita sensisset, vt altero cõcesso, alterũ statim tolleretur; nunquam in Oratore hæc ad verbum scripsisset. si, numerus orationis, quæritur, qui sit? omnis est. sed alius alio melior, & aptior. Ex quibus verbis colligitur, omnes quidem numeros in orationem cadere, veruntamen ex omnibus esse alium alio meliorem atque aptiorem. Hæc autem non pugnare, neque contradicentia esse, vel illud ostendit, quod in heroicum, vt supra diximus, versum cadunt pedes quatuor, & tamen ex ijs duos meliores, aptioresque vsus iudicat. Iambici sex recipiunt; & tamen ex ijs duo tam frequẽter inseruntur, vt alios quasi degeneres & abiectos iacere credas. Sed & Pæanas in soluta oratione cæteris omnibus anteponi certissimum est. ac, ne plura dicam, sua cuique aures, nisi penitus surdæ, satis id probare possunt. Propositis autem bonis & melioribus, aptis & aptioribus, nemo, nisi plane stolidus, non videt

esse

esse melioribus & aptioribus vtendum, idq; cum in rebus omnibus, tum in orationis compositione faciendum. nam si in propriorum verborum delectu iubent nos rhetores abiecta atque obsoleta fugere, lecta atque illustria sectari, præsertim ea, in quibus plenum quiddam & sonans inesse videatur; si in priscis, in translatis, in nouatis alia vt alijs meliora recipienda putauerunt: cur non idem, quatenus licet, in numerorum ratione faciamus? atque omittamus istos, qui quasi ex eo, quod a Cicerone scriptum legerunt, omnem numerum esse orationis, hoc est, in orationem admitti, statim illud quoque sequi credunt, numeros in oratione omnes esse pariter bonos atque aptos: atq; ideo nullam pedum curam suscipiendam putant, sed, vtcunque se offerunt, admittendos: laborem diligendorum pedum, &, quod sequitur, numerum penitus negligere nos iubent; ne a rebus, vt aiunt, cognoscendis auocemur. quasi vero vel Cicero, vel Aristoteles, & alij rhetores eos secuti, voluerint oratorem studio numeri ac distinctionis res negligenter considerare: ac non viderint, eum, qui recte sit institutus, vel saltem discendi cupidus, posse hæc, quæ ad numeros pertinent, nullo fere negocio in promptu habere, atque in his vel nunquam vel rarissime labi. nam si Archias ille a Cicerone defensus, cum literam scripsisset nullam, magnum tamen numerum optimorum versuum de ijs rebus, quæ tunc agerentur, dicebat ex tempore; si eandem rem sæpius dicere commutatis

verbis

verbis atque sententijs solebat; si poeta Sulmonensi per eadem fere tempora contigit, vt, quicquid dicere conaretur, versus esset; si denique hodie multi idem possunt facere, quod Archias fecit; cur ingeniosis hominibus desperandum est, quo minus & ipsi queant vel ex tempore, vel certa modica meditatione ita verba collocare, vt aptissimis numeris sententia concludatur? Neque vero, quod iste putat, satis est, vti proprijs latinis, & vsitatis verbis. nam ijs vtebantur antiqui; & tamen vim numerosæ orationis non sunt consecuti. his enim rebus pura fit oratio & dilucida, non numerosa & distincta, itaque nec apud nos Ser. Galbam, aut M. Catonem, nec apud Græcos Herodotum quisquam vel obscure vel parum pure scripsisse dicit: ipsos tamen, ac totam eorum ætatem, & superiorem numero caruisse, constanter affirmant. Quod autem promittunt fore, vt, dempta ista syllabarum ac pedum cura, numeri in oratione non desiderentur; si vel hiulca & aspera iunctura, si nimis crebra vnius atque eiusdem numeri repetitio vitetur; si mensura in periodis habeatur: primum vereor, ne parum præstent, quod temere promittunt: deinde, si maxime præstent, non amo subdola ista promissa; quæ cupidos eloquentiæ ad contemptum Ciceronis inuitant, & ab eius imitatione diuellunt. quem scimus adeo huius rei fuisse studiosum, vt de pedibus & rhythmo solutæ orationis vix quisquam apud Latinos pluribus locis mentionem fecerit. Nimirum isti non docere studiosam

iuuen-

iuuentutem, sed aut eos, quos per ætatem discere iam pudet, consolari desiderant, aut desidiosos ad supinam negligentiam inuitare; qui vagari & licenter peccare vel ob illud vnum gaudeant, quod non omnes visuros peccata putent sua, atque intra spem veniæ sibi satis videatur, ijs similes, qui non bene viuendo, sed vitia sua callide occultando, bonitatis nomen aucupantur. at enim, si meminerint, se bene dicendi artem tradere, simul illud quoque, nisi fallor, meminerint, eos a bene dicendi magistris doceri, qui non putant satis vitijs carere, sed virtutibus nituntur abundare; nec culpam modo vitare, sed laudem etiam mereri desiderant: & admirabiles bene dicendo se exhibere conantur. vident autem vim laudemqüe istam sine diligenti meliorum pedum ac numerorum obseruatione se consequi non posse; cum ea quoque, quæ similiter cadunt, aut desinunt, aut paria paribus redduntur, aut inter se contraria opponuntur, quamuis sponte numerosa credantur: tamen multo melius confici ab eo norunt, qui syllabarum pedumque rationem calleat, quam ab eo, qui vel ignoret, vel negligat. hic enim & in versus imprudentius incidet; & ignorabit quæ paria sint, quæ imparia. metietur enim persæpe syllabis, quæ sunt metienda temporibus: & alia eiusmodi incommoda non contemnenda patietur, quæ nunc enumerare non vacat. quare qui pedes contemnit, prope totum hoc, quod numerosum dicimus, contemnit. Verum si quis ad id

facien-

faciendum induci potest, non video cur non idem tropos quoque omnes, ac schemata, atque omnem plane ornatum possit contemnere. vt enim aliquando sine numeris, ita sine tropis, & schematibus, atque aliis eiusmodi delicijs fuit oratio nuda prorsus & incompta. Aut igitur omnia ista negligemus, atque omnem prorsus elocutionis oratoriae cultum ablegabimus: aut, si retineamus, vt certe retinere debemus, has exornationes, quae vnum modo atque alterum verbum, aut sensum illuminant; cur ea negligenda credamus, sine quibus oratorij numeri peritia constare non potest? hic enim vnus omnium pene sensuum principia, vnus media, vnus ornat extrema, & haec ipsa, qua nominamus, orationis insignia, quaeque isti sola iactant, suo quasi condimento reddit longe iucundiora. Quam ob rem nihil video cur nouos istos artifices audiamus; qui studiosos eloquentiae homines aut animum despondere volunt, aut nimis audere; cum rem a summis viris acri ingenio excogitatam, & deinceps diligenti cura ab optimis quibusque oratoribus seruatam, vel fieri nostris temporibus non posse praedicant, vel, quasi leuem, & omnibus obuiam, contemni volunt. quorum alterum inertis & abiecti, alterum superbi & contumacis animi crimen esse, quis non videt? quin potius igitur missos istos faciamus; &, quando licet, ac maxime expedit, hac in re, vt in reliqua vita, medium quiddam ita seruemus, vt audacia simul & inertiae crimen euitemus, atque

que hanc elocutionis partem excolamus; vt, si non possumus, quo maxime optamus, peruenire, quoadam tenus certe prodeamus; & quando honestus est error magnos duces sequentibus, sequamur potius, quamuis infirmo gradu, Isocratem, & Demosthenem, M. Tullium. & L. Crassum, quam aut cum ijs, qui per ætatem vel non possunt vel nolunt discere, desperemus; aut cum ijs, qui sibi multo plus sumunt, quam maximis oratoribus deferunt, quæ studiose discenda sunt, temere negligamus. sed contra semper animo fixum atque immotum maneat, quod apud M. Tullium Crassus inquit, numerosæ orationis vim esse magis necessariam, quam difficilem, nihilque esse tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocunque ducas, quam orationem: ex hac versus, ex eadem dispares numeros confici; ex hac hanc etiam solutam varijs modis multorum, generum compositionem. Proinde nihil nos deterreat ratio ista pedum, sed facilitas potius inuitet. qua sit, vt verba de medio sumpta quasi mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formare ac fingere possimus, & modico labore consequi, vt, quo tot alij peruenere, nos quoque, via non fallente, veniamus. itaque stultum est, aut ingenio diffidere, aut aleæ semper incertæ famam committere. illinc enim humilis & abiectæ formidinis, hinc damnosæ ac fallacis audaciæ nota metuenda est. Cæterū, quod times ne operam lusisse videamur, quod, post Strebæi Rhemensis de oratoria ver-

verborum collocatione libros, tam multa de rhythmo oratorio scripserimus; amori vel pietati potius in me tuæ gratias agam necesse est; quæ tanta est, vt tuum istud alijs in rebus acre iudicium impediat, & ea pro scriptis meis timere te cogat, quæ ne pro tuis quidem timeres, qua in re PAVLI, aui tui, non minus humanitatem, quam nomen, refers. is enim cum iuris & legum prudentia nemini secundus esset, nec minus consilio quam iudicio excelleret, ac tota quidem Italia, sed in florentissima ista ciuitate vestra vel in primis esset illustris; tanta tamen humanitatis fuit, non amandum sibi putaret. me certe non longi temporis consuetudine ita deuinxit, vt semel agnitum, quamuis postea locorum interuallo disiunctus, colere nunquam desiterim; defuncti porro veram expressamque imaginem patrem tuum, IOAN. BAPTISTAM, mihi obseruandum prepositurum; atque id quidem, vtcunque potui, si minus opera, certe animo semper fecerim. postea vero quam in vestram hanc, vel potius communem omnium patriam ad docendum publice vocatus me contuli, ita colere hominem cœpi, vt illi meam in amore atque obseruantia fidem, constantiamq; breui probarim. quo in proposito vti, quandiu vixero, perseuerem, iam me non tam defuncti memoria, quam amor ac multa magnaque in me beneficia compellunt. quantum enim est, quod me quasi parentem in conuictum recepit? quod totum tam no-

uen-

uenium sine vlla querela senij mei molestias pertulit? De meis vero commodis, si quando apud principes ciuitatis actum est, multo magis, quam de suis, laborauit. nam qui in suis adeo verecundus semper fuit, vt ne debita quidem suscipiendis pro republica laboribus petere sustineret, idem in meis, vbi se profuturum credidit, importunitatis notam subire non recusauit. Quæ vel ex eo maiora iudicem necesse est, quod abeo profecta sunt, qui propter longum rerum publicarum vsum cognitionemque, ac totos annos quinquaginta probatam multis magnisque rebus integritatem & continentiam singularemque in omnibus fidem, principibus in rep. viris ita carus est, vt eum non quasi ministrum aliquem diligant, sed iam quasi collegam complectantur. quam ille tot meritis collectam gratiam, non ad sua, vt plerique, commoda, sed ad amicos vel subleuandos vel ornandos semper conferendam iudicauit. Quæ ego de multis pauca libenter retuli, vt intelligeres te mihi vel ob hoc esse carissimum, quod illorum studia, mores, ac virtutes ita refers, vt, quisquis PAVLVM auum, quisquis HIERONYMVM magnum patruum, quisquis IOANNEM BAPTISTAM patrem tuum nouit, omnes illos in te vno se spectare lætetur. Ego certe ex ijs fructibus, quos ex tua educatione vberes percepi, vel præcipuum duco ac iucundissimum, quod te tanto auo, tanto patruo, tanto patre dignum probas: quod e puero præclaræ indolis cito factus es verecundus adoles-

cens, cito robustus iuuenis, cito vir omnis officij iustus æstimator. Quid dicam, quod ad veterum poetarum maiestatem sic iam tuum carmen accedit, vt tamen solutæ orationis laude nihilominus excellas. quod, vt alia nunc tua scripta præteream, vel duæ illæ funebres laudationes satis probarint: quarum altera Tryphonem Gabrielem, virum bonum, ac nobilem, & bene doctum, quasi quendam nostri temporis Socratem apud populum aptissimis laudibus extulisti: altera vero Andream Franciscum, magnum reipublicæ Cancellarium, summæ probitatis virum, apud senatum tanto facundæ orationis ornatu, tanta vultus, vocis, ac gestus moderatione laudasti, vt neque vera vlla laus ei detracta, neque falsa afficta esse videretur. verum maiora mihi in dies & meliora promittit tum præclara ista ingenij felicitas, quæ laude aliquid dignum semper parturit, tum præmatura prudentia, & benefica in omnes voluntas: quam meis in rebus talem quotidie sentio, vt semper tua mihi officia opportuna pariter & iucunda contingant. in his enim non tuam modo, sed paternam quoque, & auitam prudentiam mihi videor intueri. Sed vt eo reuertar, vnde me digredi tua pietas coegit: Ago tibi gratias, quod pro me times etiam quæ timenda non sunt id enim vel præcipuum est beneuolæ mentis argumentum. Verum, quod ad doctos viros, qui de rhythmo aliquid diuersis locis ante nos hac ætate scripserunt, pertinet, bono sis animo velim. hi enim non modo nobis nihil obsunt,

sed

sed contra potius prosunt: & in eo causam nostram adiuuant, in quo maxime premi videbatur: Primum quod de rhythmo oratorum his temporibus scribere stultum non putant: deinde, quod oratoribus pedum syllabarumque cognitionem non vtilem modo, sed etiam necessariam iudicant, & eos, qui superuacaneam credunt, auctoritate sua refellunt. neque vero futurum pertimescas, vt, qui nostra legerint, operam se puteut perdidisse, quod eisdem de rebus post illos scripsimus nam vt honestas disciplinas ex doctissimis eorum scriptis magna accepisse adiumenta libenter prædicamus: sic, nobis scribendi de rhetorico rhythmo materiam non magis ab illis esse præceptam, quam indicatam, & relictam, dicimus. vtinamque, quantum reliquerunt, tantum commode potuissemus explicare. suscepit enim vir ille doctus alioqui, & in Ciceronis lectione, quod illius scripta declarant, diu multumque versatus, onus, quod nullum non ingenium fatigare, nullam non eloquentiam exercere posset. nam de rhetorica verborum electione ac collocatione, vel, vt apertius loquar, de partibus & artificio totius elocutionis orsus scribere, multa alioqui necessaria, quæ de veterum fontibus haurire, multa, quæ, vt fuit ingeniosus, sed haud scio quam cautus, potuit excogitare, vel oneris grauitate pressus abiecit, vel alio vocatus præteriuit: & ingenio indulgere, quam materiæ seruire, maluit. Quia vero ferre non poterat, linguam latiuam, tam late patentem, tot rerum naturæ tot scientiarum

tiarum interpretem, miseris, vt ait, modis violari: multa queritur est: multa dixit: multa fecit, vt tantam pestem procul arceret. sed dum veteres omnes rhetoras, quos procul sequi satis honestum fuerat, anteire sesperat, nullum non onus suscepit, nihil sibi pepercit. multa de magistris, multa de scriptoribus vel eligendis vel fugiendis disputauit. neque vero minus prolixe tractauit, vtri priores legendi, poetæne, an oratores: quæ pars rhetorica prima tradi, quæ componendi rudimenta constitui debeant. quid loquar, vt verborum differentias in ordinem longissimum digesserit, vt prolixo tractatu tentarit explicare quæ sordida, quæ inusitata, quæ barbara & agrestia, & humilia iudicanda sint & euitanda: vt a grauibus leuia, ab alienis & assumptis propria, a veteribus noua, a sonantibus exilia, a grandibus parua, a volubilibus tarda, ab integris corrupta distinxerit: vt in latini sermonis contemptores tam longa atque acri oratione sit inuectus: vt susceptæ materiæ oblitus esse videatur. quin vbi iam de verbis non eligendis sed collocandis tractare cœpit, de natura syllabarum, de coagmentatione vocum, de concinnitate clausularum, de figuris, quas rhythmus plerunque comitatur, itemque de tribus illis dicendi figuris, quas græca voce characteras nominant, tam multa verba fecit. vt alijs satis amplam super ea differendi materiam reliquerit. Sed siue soli pedes recte collocati, oratoriu rhythmum faciunt, vt Aristoteles crediderit: siue non solos quidem,

dem, sed prope modum solos quod nemo veterũ negat hoc præstare iudicemus: longa difficiliũ quæstionum series occurrit, quæ discendi cupidos huc atque illuc distrahat. quod isti non ignorantes retro pedem tulerunt. atque alij quidem iure optimo id fecisse mihi videntur. nam cum philosophos, aut oratores, aut poetas interpretarentur, apud quos numeri mentionem fieri videbant: satis putarunt ea dixisse, quæ ijs locis, quos præ manibus habebant, aliquam lucem afferre possent. Alij vero, cum dedita opera de hoc ipso numero rhetorum præcepta traderent, de iunctura, de figuris, de concinnitate, quibus rebus adiuuari numerum putant, tam multa, quæ magna ex parte nota erant, inculcarunt, vt, cum vix tandem ad locum, in quo de pedibus ad numerum aptis dicendum erat, peruenissent, eos imitati esse videantur, qui dispendiosoitinere fatigati susceptum semel onus prius abijciunt, quam quo intenderant, peruenerunt. nam pauca de multis veterum præceptis in angustum cogentes, rem totam cursim & saltuatim perstrinxerunt, vel parum cogitantes vel dissimulantes quam multa & quanta præterirent, quæ discendi cupidis vel desperationem vel impedimenta possent afferre. hanc nos artis partem quod erat longe difficillima, nostrisque temporibus tum neglecta, tum non satis intellecta, tractandam suscepimus: non vt cum veteribus, quos rhythmicæ rationis fuisse peritos nemo ambigit, contenderemus, sed vt, quæ illi tanquam suo seculo nota

partim neglexerunt, partim nimis breuiter attigerunt, colligeremus, copioseque tractata studiosis hominibus ita traderemus, ut, quod hactenus alij desperauerant, alij neglexerant, id tandem nō imitatione sola, quæ plerumque fallit, sed certa ratione perceptum, cum libuisset, vsurpare non timerent. tam diligenter enim, quid sit numerus, & quāta numerorum varietas, & quo modo hic oratorius ab alijs differat, ex antiquorum & iuniorum sententijs expressimus, vt eum etiam rudes facile possint intelligere. ita porro, quæ numerorum vitia sint vitanda, ita, quæ virtutes sint expetendæ, tum dilucide, tum breuiter expressimus: vt nemo aut in illa incurrere, nisi videns ac volens, aut has non consequi, nisi prorsus hebes aut negligens, non possit. quin etiā de pedum natura, & exquisita quadam eorum differentia, de commatibus, de colis, de periodis ea diligentissime collegimus, quæ ab ingeniosis maxime desiderari putauimus, & quæ numerose dicendi cupidos, & non ignauos homines possent vel ab audaci quorundam temeritate reuocare, vel ab aliorum turpi desperatione vindicare: si quidem & opus esse rhythmica pedum ratione percepissent: & non magno labore, quicquid hoc est, disci posse intelligerent, quod an præstiterimus, homines bene docti viderint. nos illud modo constanter affirmamus, nec voluntatem nobis defuisse, nec curam. neque enim timuimus, posse quenquam iure nobis vitio vertere, si post doctissimos viros, quorum alij de tota bene dicendi ratio-

ratione scripserunt, alij de partibus elocutionis commentarios reliquerunt, nos in hac, quæ ad oratorium numerum spectat, artis parte tantum operæ ponemus, quantum & ad desperationem tollendam, & ad temeritatem reprimendam, & ad studia discentium iuuanda satis esse videretur. nam si, post doctissimos Nigidij Figuli de re literaria commentarios, Messalla, vir foro magis aptus quam scholis, tum de litera S bene magnum volumen scribere, tum singulis literis singulos libellos reddere non est veritus: si Ioannes Pontanus memoria nostra post tot aliorum scripta duos de vnica non litera, sed aspirandi nota libros scripsisse laudatur: si denique etiam nostri seculi homines non sunt veriti his de rebus scribere, quas ab antiquis ornate copioseque videbant esse tractatas: cur me quisquam vel contemnat, vel reprehendat, quod de oratorio numero non timuerim post eos scribere, qui hac ipsa de re futuris oratoribus necessaria, sed multis quæstionum difficultatibus impedita vel nimis breuiter & obscure, vel adeo properanter & contemptim scripserunt, vt doctis potius ostendere scientiam suam, quam nescientes docere voluisse videantur: cum præsertim per tot & tam difficiles quæstiones ita stylum temperarim, vt nec ieiuna breuitas discentiū vota frustraretur, nec obscuritas affectata legentis cursum posset impedire, nec vlla rerū aut humilitas aut difficultas tāta potuit offerri, quam vel contempserim vel reformidarim. nam cum maximū quiddam præclarumq;

sit eloquentia: quis non videat, rationem numeri, qua res tanta vehementer iuuari potest, non vt paruum quiddam oportere contemni, sed vt magnum rarumque quibusuis laboribus debere comparari? quamobrem fore confido, vt æquus totius rei æstimator huic labori nostro non contemptum, non odium, sed aliquam potius gratiam deberi iudicet. Inuidiam vero his temporibus habere hac materia prope nullam potest: tum quod tenuis & exilis iudicatur: tum quod multorum calumnijs est obnoxia. nam qui ab ineunte ætate neque pedum neque syllabarum rationes ac momenta didicerunt, ij nunc vel se posse discere desperant, vel tanti non putant, vt eum laborem suscipiant. quamobrem praue pudentes nescire malunt, quam discere: &, ne soli nescire videantur, alios quoque ad huius rei contemptum impudenter hortantur: vt, si nemo discat, quod ipsi, cum per ætatem possent, discere neglexerunt, alijs vel superiores vel pares iudicentur. sed me perpetuo bene de literis merendi studio flagrantem, nec inquisitionis longæ tædia, nec humilitas vlla materiæ, nec inexplicabiles in re tenui quæstiones, nec vllæ calumniantium voces deterrere vnquam potuerunt, quo minus iter semel cœptū constanter tenerem, & nostrum hoc perpetuum de literis bene merendi studium vtile discentibus futurum confiderem. quapropter tantum abest, vt suscepti laboris, & intentæ hanc in rē sedulitatis me pœniteat, vt iamnū paratus sim libēter & hac, & si quid aliud scrip-

scripsero, vel mea diligentia, vel amicorum monitu, vel æmulorum reprehensione, si modo iusta fuerit, emendare. Quamobrem RHAMNVSI *amicissime, velim desinas ea mihi timere, quæ me non timere perspicis. amicorum enim monitus nunquam non libenter admisi: reprehensiones inimicorum mihi re ipsa fuisse semper vtiles comperi. nam quæ iustæ fuerunt, vt vel erroris vel delicti mei me pœniteret, præstiterunt: quæ vero minus iustæ, hoc plus attulerunt, vt iam non delicta modo, sed, quicquid poterat esse suspectum, diligenter cauerem, & vtraque ratione melior fieri subinde tentarem.*

FINIS.

ERRATA IN PRIOREM TRActatum paſsim irrepta, hic in vnum collecta, minus exercitatis conſpicienda poſuimus.

In præfat. *pro quicqua, legendum eſt quicquam. & in ipſo libro pagina 2. linea 3 pro pedes lege pes. pag. 3. lib 2. audient, non audiens. pag 5. lin. 3. confragoſa, non confragoſo. pag. 13. pro doctioru lege doctoris. pag 17. lin. 11. pro hac, hac. pag. 44. lin. 27. pro nihili, nihilo. pag. 63. lin. 3. referunt, non referuntur. & ibidem pro ingentem, lege in ingentem. pagin. 64. lin. 24. integra, non ingra. pag. 75. lin. 10 pro ſonentia, lege ſonantia. & pag. 81. lin. 6. pro, non præ. item pag. 83. lin. 3. pro verborum, verbum. & 84. lin. 23. pro illius, illu. pagin. 103 lin. 14. lege ſonoras, non ſonaras. & pag. 110. lin. 24. leges iunguntur, non vngantur. pag. 116. lin. 27. innectitur, non inuectitur. pag. 123 lib. 19. pro dolunt, nolunt. item, pag. 125. lin. 5. pro doctori, lege doctorum. & ibidem lin. 8 poſt immutatione, adde tranſmutatione. & eadem lin. leges mutandi, pro mudandi, fol. 186 lin 6 pro cœlo, cœco. fol. 198. lib. 15. pro minitatem, minitantem fol. 201 lin. 24. pro de vt hoc, leges, vt de hoc pag. 233. lin. 22. pro fatuiſſe, ſtatuiſſe. & pag. 280. lin. 14. pro ſiguris, figuris. & 281. lin. penult. ſapientamq;, pro ſapientamq; demum fol. 284. lin. antepenultima, pro ſis. puto legendum his. fol. 291. lin. 15 pro prima, prima leget. & fol. 292 pro ſine, ſiue.*

Sequuntur errata tractatus poſterioris.

In frontiſpicio *delendum, paraphraſis in pſalmos, &c. in præfat. pag 4. lege pro cuius, quo. pag. 6. lin. 22. pro* ΝΙΥΝΟΥΣ, ΝΙΥΝΟΙ *& pag. 33. lin. 27. pro lauere, lege leuare. pag. 59.*

lin.

lin. 5. communem, non commune. & ibid. lin. penult. hanc, non hunc. fol. 83. lin. 5. quartum, non quarum. fol. 85. lin. 20. Amphibrachus, non Amphimacrus, fol. 109. lin. 6. altercationes, non vltercationes. & in eadem pag. lin. 28. pro interualla, in eruallo. fol. 113. lin. 2. pro illæ sum, lege vno verbo, illæsum. pag. 158. lin. pro ὃσ δυτω ϑαυμασόπρος, leges, ὃσ τω δαυμασόπρος. & pag. 180. lin. 21. pro Stebæo, lege, Strabæo.

Hæc potissimum mendosè offendimus, si quid præterea minus rectum occurrat, id ingeniosus lector nullo negotio ipse restituet.



COLONIAE,
In Officina Birckmannica.
ANNO M. D. LXXXII.



